

Inter libros
Josephi Mariæ Pariscandolo
Antecessoris Regii
A. L. X

DECRETA AUTHENTICA
CONGREGATIONIS
SACRORUM RITUUM
EX ACTIS EJUSDEM SACR. CONGR. COLLECTA

CURA, ET STUDIO SACERDOTIS

ALOYSII GARDELLINI

EJUSDEM S.R.C. ASSESSORIS, ET SUB-PROMOTORIS FIDEI

EDITIO ALTERA EMENDATIOR

TOMUS QUARTUS

COMPLECTITUR DECRETA

AB ANNO 1704. AD 1753. = A NUM. 3522. AD 4088.

ROMAE

TYPIS FRANCISCI, ET LEOPOLDI BOURLIÉ

M. DCCC. XXV.

Praesidum permissu, et privilegio.

INDEX

DIOECESIUM, ET DECRETORUM.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Sacri Palatii Apostolici Magistro.

J. Patriarch. Constant. Vicesg.

REIMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed.
S. P. A. Pro-Magist.

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM.

3522. CAMERINEN.

In memoriam, quod insignis Terra Fabriani Camerinen. Dioecesis a trementis Terrae periculis fuerit specialiter praeservata, in Consilio generali ipsius Terrae emanatis Decretis, ut pervigilium Purificationis B̃mae Virginis, et Festus dies S. Romualdi Abbatis Patroni minus principalis, etiam in toto comitatu perpetuis futuris temporibus de praecepto observaretur, et respective coleretur; ex parte Magistratus Terrae praedictae pro approbatione eorumdem Decretorum Sacrorum Rituum Congregationi demisse supplicatum fuit.

Et S. eadem R.C., ad relationem Em̃i, et Rm̃i Dñi Card. Colloredi, audita relatione Episcopi, nec non attento tam Saecularis, quam Regularis Cleri consensu, *utrumque Decretum posse approbari* censuit; *secundum tamen, celebrationis nempe diei festi S.Romualdi, cum obligatione tantum audiendi Sacrum, non vero abstinendi ab operibus servilibus, si SSm̃o Dñ̃o Nostro placuerit. Die* 19. *Januarii* 1704.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis *SSm̃o Dñ̃o Nostro* relatione, *Sanctitas Sua* benigne annuit. *Die* 26. *ejusdem mensis Januarii, et anno* 1704.

3523. CREMONEN.

Inter Cantorem tertiam, et Decanum quartam Dignitatem Ecclesiae Cathedralis Cremonae exortis controversiis super jure, Episcopo pontificaliter celebrante, supplendi vices Archipresbyteri primae Dignitatis absentis, vel legitime impediti, absente vel impedito Archidiacono secunda Dignitate, eisque per Decanum ad S.R.C. delatis, ab Em̃o, et Rm̃o Dño Card. Colloredo infrascripta dubia super eisdem decidenda proposita fuerunt.

1. An, absente, vel impedito Archidiacono secunda Dignitate Cathedralis, vices Archipresbyteri primae Dignitatis pariter absentis, vel impediti in peragendis Functionibus Ecclesiasticis suppleri debeant a Cantore, vel potius a Decano? et quatenus a Cantore.

2. Ad quem pertineat in tali casu delatio Baculi Pastoralis?

S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit. Ad 1. *Suppleri debere a Cantore*.

Ad 2. *Pertinere ad Decanum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 19. *Januarii* 1704.

3524. NUCERINA PAGANORUM.

Cum in Cathedrali Nuceriae Paganorum paucis ab hinc annis erectum fuerit Seminarium, Episcopus, Capitulum, Parochi, et Clerus Civitatis, ac Dioecesis praefatae demisse S. R. C. declarare supplicarunt, quem locum

Clerici praedicti Seminarii habere debeant, cum ante, et post ipsius erectionem usque adhuc praecesserit Crux Cathedralis, quam sequebantur Clerus, Parochi, Abbas, et Canonici Ecclesiae Terrae Angriae dictae Dioecesis, et postremo Capitulum Cathedralis?

Et S. eadem R. C. censuit: *Locum Seminarii in casu esse debere immediate post Crucem, juxta Coeremoniale lib. 2. cap. 33. §.* Ordo praescribendus. Et ita declaravit. *Die* 19. *Januarii* 1704.

3525. ALEXANDRINA.

Cum S. R. C. inter alia dubia ad instantiam Episcopi Alexandrini in S. R. C. proposita super infrascripto, nempe.

1. An Presbyter assistens, qui est prima Dignitas, et, ea impedita, altera gradatim ex Dignitatibus Cathedralis in functionibus, quae ab Episcopo peraguntur, teneatur supra caput Missale, prout a Pontificale, et Caeremoniale Episcoporum disponitur, non obstante quacumque consuetudine, sustinere?

3. An similiter sustinere debeat Missale, dum in Missa ab Episcopo thurificatur Altare?

Et 5. An etiam dicto ab Episcopo Postcommunio, a cornu Evangelii, ad cornu Epistolae transferre teneatur?

S. R. C. *sub die* 8. *Aprilis* 1702. (3476.) respondendum in omnibus *Affirmative* censuerit.

Cumque Archidiaconus Gavianus, habito recursu adversus responsa praedicta eidem S. R. C. pro clariori dubiorum praedictorum declaratione, ac insuper, ad evitandas novas controversias, pro resolutione etiam sequentium dubiorum demisse supplicaverit, nempe.

1. An, canente Episcopo *Te Deum* etc. pro gratiarum actionibus, teneatur Archidiaconus, vel alia Dignitas sustinere librum?

Et 2. An celebrante aliqua ex Dignitatibus, teneantur ei duo Canonici ministrare?

Repropositis ab Emo, et Rmo Dno Card. S. Clementis praedictis dubiis, alias ad instantiam Episcopi Alexandrini resolutis, nec non et aliis, ut supra ab Archidiacono pro declaratione porrectis.

S. R. C., partibus auditis, respondit: quoad alias resoluta. Ad 1. *In decisis, adjuvantibus Ministris ad formám Caeremonialis lib. 1. cap. 7. et lib. 2. cap.* 8.

Ad 3. *In decisis.*

Ad 5. *In decisis.*

Et quoad dubia ab Archidiacono excitata.

Ad 1. *Negative, nisi hymnus* Te Deum *cantetur ab Episcopo inter Missarum Solemnia, ipsomet Episcopo celebrante.*

Ad 2. *Affirmative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Februarii* 1704.

3526. CAVEN.

Assumpto per Archidiaconum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Cavensis habitu Protonotarii, successive Archipresbyter secunda Dignitas, et The-

saurarius sexta Dignitas ejusdem Cathedralis, eumdem Protonotarii habitum assumpserunt, et exinde inter Archidiaconum, Archipresbyterum, et Thesaurarium praedictos, nec non et caeteros Canonicos super hujusmodi habitus assumptione controversiis exortis, eisque ad S.R.C. delatis, ab Emo et Rmo D. Card. S. Clementis super eisdem propositis infrascriptis dubiis videlicet.

1. An Archidiacono Cathedralis Caven. tamquam primae Dignitati sedenti in proprio stallo, et non intendenti lucrari distributiones quotidianas liceat in Choro, aliisque functionibus Ecclesiasticis, uti habitu Protonotarii, de quo est insignitus vigore Brevis Pontificii, reluctantibus Canonicis? Et quatenus Affirmative.

2. An idem jus competat Archipresbytero, qui est secunda Dignitas, et Thesaurario, qui est sexta, et ultima Dignitas, etiam sedentibus in proprio stallo, simili privilegio Protonotariatus decoratis, et non intendentibus, ut supra, lucrari distributiones quotidianas?

S. eadem R.C., partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit, *Die* 23. *Februarii* 1704.

3527. PAPIEN.

Demisse S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii supplicatum fuit.

An Praepositi Curati, qui simul sunt Dignitates, et Capita Collegiatarum Episcopo subiectarum, debeant inclinari ipsi Episcopo Ecclesiasticas functiones peragenti eo modo, quo Canonici Cathedralis, vel potius ad differentiam Canonicorum Cathedralis, teneantur genuflectere eidem Episcopo, et praecipue in Consecratione Oleorum feria V. in Coena Dñi, cum ipsi Praepositi munia gerunt duodecim Sacerdotum tamquam Parochi; et ita in visitatione peragenda ab ipso Episcopo Ecclesiarum Collegiatarum?

Et S. eadem R.C. censuit: respondendum: *secundum ea, quae proponuntur, in casu teneri genuflectere*. *Die* 23. *Februarii* 1704.

3528. CIVITATIS PLEBIS.

Ex parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Plebis demisse S. R. C. expositum fuit.

1. Quod in Ecclesia Cathedrali Civitatis Plebis die 20. Januarii recolitur Festum S. Sebastiani Martyris magno Populi concursu, et fit Processio cum statua ejusdem Sancti per civitatem, cum interventu Magistratus, adstricti voto solemnizandi dictum Festum ad tres dies continuos, cum Missa votiva pro re gravi; et quaesitum fuit declarari, an possit dividi a S. Fabiano P. et M. celebrando Officium S. Sebastiani, cum sit Patronus minus Principalis, sub ritu dup. maj. transferendo Officium S. Fabiani ad primam diem non impeditam sub ritu semidup.

2. In dicta Ecclesia die 10. Junii incidit dies Dedicationis ejusdem, saepe accidit in Dominica SSmae Trinitatis, et institum pro declaratione: an debeat Officium Dedicationis, cum sit duplex primae classis, fieri die immediate sequenti, transferendo Officium S. Barnabae Apostoli.

3. Die 16. Augusti fit Processio cum statua S. Rochi per civitatem, ut supra, cum interventu Magistratus voto adstricti, et Populi concursu, et supplicatum responderi: An Episcopus possit concedere Officium dicti Sancti sub ritu dup. maj., cum sit Patronus minus principalis, transferendo Officium dup. min. S. Hiacynthi ad primam diem non impeditam?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Officia non esse dividenda*.

Ad 2. *Servandas esse Rubricas*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Martii* 1704.

3529. VITERBIEN.

Emus, et Rmus Episcopus Viterbiensis a S. R. C. benigne declarari expostulavit: An Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quod a toto Clero Civitatis, et Dioecesis Viterbiensis recitatur, debeat etiam a Clero Civitatis Tuscanellae singulis annis recitari?

Et S. eadem R. C. respondit: *Negative*. *Die* 8. *Martii* 1804.

3530. AQUAE SEXTIAE.

Ex parte Fratris Thomae de Merles da Beauchamps Commendatarii Aquae Sextiae Ordinis Hierosolymitani in Provincia, exposito S. R. C. ad ipsum tamquam Ordinarium spectare collationem Beneficiorum Ecclesiae sibi commendatae, demisse supplicatum fuit, sequentia Dubia declarare.

1. An Prior praedictae Ecclesiae commendatae, ipsi commendatario uti Beneficiorum collatori subjectus, possit celebrare Missam privatam cum quatuor luminibus accensis?

2. An etiam celebrare cum annulo cum gemma, et pileolo absque speciali Indulto Sedis Apostolicae?

3. An etiam a Sacrario ad Altare progredi, duobus Acolythis associatus, et celebrare Missam privatam cum Rocchetto, nec non cum assistentia Sacerdotis?

4. An etiam uti in Ecclesia sede camerali cum tapete, ac pulvinaribus?

Et S. eadem R.C. censuit *in omnibus* respondendum, *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 12. *Aprilis* 1704.

3531. FERRARIEN.

Super praetensa per Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Ferrariae Hiacynthum Nonium, et Horatium Scalabrinum cum participatione distributionum in Stallo, ac habitu canonicali assistentia Anniversariis Azzolinis nuncupatis inter eosdem, ac Mansionarios, et Cappellanos ejusdem Cathedralis controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Gabriellus infrascripta Dubia inter partes concordata proposuit.

1. An liceat Canonicis obtinentibus Cappellanias in Ecclesia Cathedrali Ferrarien. assistere Anniversariis cum Mansionariis, et Cappellanis, et participare de eorum emolumentis? Et quatenus Affirmative.

2. An dicti Canonici teneantur deferre habitum Cappellanorum, et sedere inter eosdem Cappellanos juxta illorum antianitatem in casu etc?

Et S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus ad

utrumque *Affirmative* respondendum censuit, et ita declaravit. *Die* 12. *Aprilis* 1704.

3532. PAPIEN.

Exposito ex parte Communitatum, et Parochianorum Oppidorum Trivultii, et Burgi Franci Dioecesis Papiensis, quod cum die 9. Augusti pervigilio S. Laurentii solemniter, et cum maximo Populorum concursu in oppidis praedictis celebretur dies festus S. Firmi, exinde inevitabiliter publica transgressio jejunii pervigilii S. Laurentii sequebatur, ad obviandum praefatae transgressioni, pro Indulto, praeventive die 8. Augusti pervigilium S. Laurentii observandi, S. R. C. demisse supplicaverunt.

Et S. eadem R.C., *Oratoribus praedictis petitam gratiam benigne* indulsit, *atque* concessit. *Die* 12. *Aprilis* 1704.

3533. AVERSANA.

Remissis ab Auditore SSmi ad S. R. C. controversiis inter Civitatem Aversanam, et Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis ejusdem Civitatis super praetensis a Civitate praedicta praeeminentiis, mediante suo deputato, interressendi Synodis cum sede holoserica, et pradella, nuper excitatis, Emus, et Rmus D. Card. S. Clementis in Ponentem datus, infrascripta dubia coram ipso inter partes tam super praemissis, quam super aliis, deinde per eumdem Promotorem Curiae Episcopalis promotis concordata proposuit.

1. An Civitas Aversana, sive ejus deputatus, intimari debeat pro celebratione Synodi?

2. An dictus deputatus intervenire, et admitti debeat, prout admittuntur alii Cives, quando, januis apertis, promulgatur Synodus?

3. An sedere debeat a latere sinistro exteriore suggestus, et extra Presbyterium, et omnem Clerum, vel in alio loco congruo arbitrio hujus Sacrae Congregationis?

4. An sedere debeat cum sede holoserica rubra, pradella substrata panno viridi cooperta?

5. An, Episcopo Pontificaliter celebranti, Electi Civitatis cum Gubernatore assistentes possint, et debeant sedere super machina lignea, quartum Chori ex sex gradibus coaequante apposita, desuper pradella, et super pradella pulvinari, vel potius in planitie Ecclesiae?

6. An iidem possint, et debeant sedere in sedibus holosericis villosis rubris, cum pulvinaribus similibus, addito genuflexorio, panno viridi ornato, cum duobus pulvinaribus rubris pro Gubernatore, pradella omnibus substrata panno viridi cooperta?

7. An iidem Episcopo cum Mitra sedente possint, et valeant in parte Missae sedere capite pileis cooperto?

8. An duo deputati, pro aqua Episcopo celebranti ministranda, sedere possint, et debeant super eodem quarto gradu Chori, in scamno tapete viridi cooperto, cum pulvinaribus substratis?

9. An Electi, et Gubernator thurificandi sint eodem tempore, quo

Canonici parati thurificantur, etiamsi adesset consuetudo, vel potius expleta Canonicorum thurificatione?

10. An iidem thurificari debeant duplici thuribuli ductu, stante usu, vel unico tantum?

11. An iidem Electi, et Gubernator in Ecclesiis Regularium, vel quomodolibet, et qualitercumque exemptis, non praesente Episcopo, possint thurificari triplici ductu?

12. An possint thurificari a Diacono parato; et quatenus negative: a quo sint thurificandi?

13. An dictis Electis, et Gubernatori in supradictis Ecclesiis Regularium, aut exemptis, permittendum sit osculum Missalis, stante consuetudines?

14. An ipsi Electi, et cujuscumque Ecclesiae exempti Gubernatores, possint sedere juxta Presbyterium, idest cancellos, vulgo *balaustrata* ante Altare majus, dum Missae celebrantur, aliaeque functiones solemnes peraguntur, in praefatis Ecclesiis quomodocumque, et qualitercumque exemptis?

15. An publicae preces, et gratiarum actiones possint peragi in Ecclesiis Regularium, aut ut supra exemptis, absque licentia Ordinarii?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis, utraque parte informante audita, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Posse admitti, prout alii cives*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Negative quoad primam partem, quoad secundam Emo Ponenti juxta mentem*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Negative*.

Ad 8. *Ut ad quintum*.

Ad 9. *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam*.

Ad 10. *Duplici ductu*.

Ad 11. *Negative*.

Ad 12. *Emo Ponenti ad mentem, quae est pro tolerantia*.

Ad 13. *Negative*.

Ad 14. *Negative*.

Ad 15. *Affirmative, demptis Processionibus, aliisque actibus, vetitis fieri absque licentia Ordinarii*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 26. Aprilis* 1704.

3534. MATERANEN.

Pro parte Sindaci, et Magistratus Civitatis Materanen. exposito, a tempore immemorabili in Missis solemnibus a Diacono, qui alios de Choro thurificat, ipsos thurificari consuevisse, S. R. C. demisse supplicatum fuit, quatenus Archiepiscopo circa thurificationem praedictam, observantiam antiquae consuetudinis benigne demandare dignaretur.

Et S. eadem R. C., Archiepiscopo Materanensi audito, *posse permitti* respondendum censuit. *Die* 26. *Aprilis* 1704.

3535. MELITEN.

Obtento ab A. C. adversus Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Meliten. per Alphonsum Toralba Baronem Calimerae ejusdem Dioecesis, monitorio super manutentione in quieta, et pacifica possessione detinendi in Parochiali Ecclesia dicti Castri Calimerae sedem, stratum, et genuflexorium, et recipiendi aquam benedictam, consuetas thurificationes, osculum Evangelii, et exercendi caeteras praerogativas, et praeeminentias, ac jura etc. pro avocatione hujusmodi causae a Tribunali A. C., et ejusdem remissione absolute ad S. R. C., quam pluries ex parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis praedictae coram Auditore SSmi institum fuit, eaque tandem avocata, et ab eodem Auditore SSmi ad S. R. C. sub *die* 4. *Januarii* 1703. absolute remissa, ab Emo, et Rmo D. Card. Francisco Barberino super praemissis infrascriptis propositis Dubiis.

1. An liceat D. Alphonso Toralba Baroni Calimerae retinere in Ecclesia Matrice, seu Parochiali dicti loci, pro audiendis Divinis, sedem fixam extra Presbyterium, absente, et non residente Episcopo, vel potius amovibilem cum scabello, tapete, suppedaneis, et postergalibus in casu etc?

2. An eidem liceat retinere genuflexorium cum tapete, et pulvinaribus? et quatenus Affirmative.

3. An eaedem Praerogativae in eodem Dubio recensitae, competant etiam Baronissae ejus Matri in casu etc?

4. An eidem Baroni ministranda sit propriis manibus Aqua lustralis, a Parocho superpelliceo, vel pluviali induto in solita aspersione facienda ante initium Missae in diebus Dominicis, ac festivis, in casu etc?

5. An ipsi pariter debeatur incensatio, seu thurificatio inter Missarum solemnia triplici ductu, et sit praebendus ulterius ad osculandum Sacer Evangelii Textus in casu etc?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Quoad sedem fixam*, *Negative*; *quoad amovibilem*, *et cameralem tantum*, *Affirmative*. *In reliquis Negative*.

Ad 2. *Affirmative*, *juxta Decreta in Larinen*. 12. *Septembris* 1699., *et in Ostunen*. 1703. (3378. 3519.)

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 26. *Aprilis* 1704.

3536. NUCERINA PAGANORUM.

Cum S. R. C. demisse ex parte Episcopi Capituli, et Parochorum, ac Cleri Civitatis, et Dioecesis Nuceriae Paganorum requisita declarare: quem locum in processionibus deberetur Clericis Seminarii, cum ante, et

post ipsius erectionem usque adhuc praecesserit in praedictis Processionibus semper Crux Cathedralis, quam sequebantur Clerus, Parochi, Abbas, et Canonici Collegiatae Ecclesiae Terrae Angriae, et postremo Capitulum Cathedralis, responderit *sub die* 19. *Januarii* 1704. (3524.) *Locum Seminarii in casu etc. esse debere immediate post Crucem, juxta Caeremoniale l.* 2. *cap.* 33. §. Ordo praescribendus.

Episcopus Nucerinus praedictus pro moderatione declarationis praedictae uniendo scilicet Clericos Seminarii suo corpori, nempe Capitulo Cathedralis, et praescribendo, ut unusquisque Clerus sub sua gradiatur Cruce, S. R. C. demisse supplicavit.

Et S. eadem R. C. respondendum censuit: *in Decisis die* 19. *Januarii proximi praeteriti*. Et ita, *die* 26. *Aprilis* 1704.

3537. ROMANA.

Inter Subdiaconum, et Praefectos Caeremoniarum Cappellae Pontificiae super jure supplendi vices Diaconi impediti in explendo munere imponendi, et auferendi Mitram, et Gremiale Celebranti in Cappella Pontificia, excitata controversia, eaque ad S.R.C. a SSmo D. N. *Clemente Papa XI.* remissa, Eñus, et Rñus D. Card. Franciscus Barbarinus in relatorem datus, infrascriptum Dubium inter partes concordatum proposuit.

An impedito Diacono, munus auferendi Mitram, et Gremiale Celebranti in Cappella Pontificia, et alia ejusdem Diaconi munera, spectent ad Subdiaconum, vel potius ad caeremoniarum Magistros in casu etc?

Et S.R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Dilata*, et ad Eñum Ponentem *ad mentem*. Et mens est, *quod Eñus Ponens curet, ut Magistri caeremoniarum abstineant in futurum ab imponendo, et auferendo Mitram, et Gremiale in casu etc., nisi impeditis Diacono, et Subdiacono*. *Die* 26. *April.* 1704.

3538. TURRITANA.

Inter multiplices controversias exortas inter Archiepiscopum Turritanum, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae in materia respiciente Sacros Ritus, quamplurimae etiam emersere disceptationes, super quibus Eñus, et Rñus Dñus Card. Gabriellus infrascripta dubia inter Partes concordata in Sac. Rit. Congregatione proposuit.

1. An Canonici Metropolitanae Ecclesiae Turritanae tam in Missis privatis, quam solemnibus uti valeant instrumento vulgo *Bugia* in casu etc?

2. An dictis Canonicis liceat tempore Divinorum Officiorum, absente Praelato, vel Sede vacante, sedere in quadam sede existente in antiqua Ecclesia extra Civitatem Turritanam, ut asseritur S. Gavini, ad quam duobus gradibus ascenditur in casu etc.?

3. An liceat Canonicis celebrantibus sedere cum postergali in Ecclesia Cathedrali in casu etc.?

4. An Archiepiscopus Turritanus Regularis, et Ordinis S. Augustini, possit uti Rochetto, et Pileolo violaceo, et fasciis violaceis in ejus pallio?

5. An Archiepiscopus Turritanus accedens ad Ecclesiam Cathedralem

in Solemnitatibus, ad effectum assistendi functionibus Ecclesiasticis, teneatur deferre Cappam magnam, sive potius possit incedere cum sola mozzetta, sive alio habitu minus solemni?

6. An Capitulum, et Canonici Turritani teneantur processionaliter accedere ad palatium D. Archiepiscopi Turritani, ad effectum eumdem associandi tam in accessu a praedicta Ecclesia Cathedrali ad palatium, non obstante distantia biscentum, et ultra passuum, et intermediatione viae publicae?

7. An Archiepiscopus Turritanus valeat peragere functiones solemnes majoris Hebdomadae in Ecclesiis particularibus, derelicta Ecclesia Cathedrali, et in quibus casibus?

Et S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus pluries auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Quoad primam partem Affirmative*, *in reliquis Negative*.

Ad 6. *Affirmative*.

Ad 7. *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Aprilis* 1704.

3539. URBEVETANA.

Cum ex parte Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Collegiatae S. Andreae Urbisveteris S. R. C. declarare demisse supplicatum fuerit.

An ipsi in peculiari Processione, quam sine interventu Canonicorum Ecclesiae Cathedralis infra Octavam SSmi Corporis Christi peragunt, possint incedere cum Planetis?

S. R. C. censuit respondendum: *Posse*. Et ita declaravit. *Die* 26. *Aprilis* 1704.

3540. AESINA.

Excitata per Gubernatorem Civitatis Aesii accedentem ad quascumque Ecclesias tam saecularium, quam regularium praetensione recipiendi ipsum Aspersorium, cum ipso se signandi, et per contactum etiam aliis aquam benedictam ministrandi, eaque ad S. R. C. ab Episcopo Aesino reclamante delata, Emus, et Rmus Dnus Card. Colloredus infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An Praelato Gubernatori Civitatis accedenti ad aliquam Ecclesiam sive regularem, sive saecularem cum Magistratu, sive sine illo, et in habitu praelatitio, sufficiat ministrari aquam benedictam ab aliquo Sacerdote, vel alio ministro per simplicem contactum Aspersorii, vel potius debeat porrigi, ac tradi ipsum Aspersorium ad hoc, ut Praelatus se ipsum, et alios signet etiam per aspersionem?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Quoad primam partem*, *attenta consuetudine Affirmative*; *et quoad secundam*, *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 7. *Junii* 1704.

3541. ARETINA FUNERUM.

Cum S. R. C., occasione Funeris qm Mariae Granata inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae, et Conventum, et Patres S. Thomae Ordinis Praedicatorum Terrae Floriani Aretinae Dioecesis exortis controversiis, ad relationem cl. mem. Emi, et Rmi D. Card. Petrucci super infrascriptis Dubiis, nempe.

1. An Regulares invitati ad funera, et signanter Patres Ordinis Praedicatorum Terrae Floriani, quando cadavera sunt sepelienda in eorum Ecclesia, debeant convenire in Parochiali, vel in alia tertia Ecclesia, ubi cadaver deponi contingat; sive potius Capitulum Collegiatae, et Parochi, aliique Ecclesiastici, ex aliqua praetensa consuetudine, debeant accedere ad Ecclesiam S. Thomae de Aquino eorumdem Regularium?

2. An cadaver qm Mariae Granata existens loco depositi in Ecclesia Parochiali S. Angeli ejusdem Terrae, sit nec ne restituendum dictae Ecclesiae S. Thomae de Aquino, cujus erat sepultuaria?

3. An cadavera defunctorum debeant deponi in Ecclesia Parochiali, quousque sepeliantur, vel in alia Ecclesia, arbitrio ipsorum defunctorum, vel haeredum, soluta tamen Parocho quarta funerali? et quatenus Affirmative quoad secundam partem.

4. An spectet ad proprium Parochum cum sua Cruce illa extrahere e domo, et ducere ad Ecclesiam, vel potius ad praedictos Regulares, quorum Ecclesiae erant sepultuariae? *Sub* 11. *Julii* 1699. responderit. Ad 1. *In Casu, de quo agitur servetur consuetudo loci*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Posse deponi cadavera in quacumque Ecclesia arbitrio testatorum, vel haeredum, et quoad quartam funeralem expectetur Resolutio S. C. Concilii in Mantuana Quartae Funeralis*.

Ad 4. *Dentur Decreta*.

Obtenta adversus has resolutiones nova audientia, praevia repositione eorumdem Dubiorum, ex parte Capituli, et Canonicorum Collegiatae Ecclesiae praedictae pro recessu a decisis demisse supplicatum fuit?

Et S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Francisci Barberini in locum cl. mem. Emi, et Rmi Dni Card. Petrucci in relatorem subrogati, censuit respondendum: Ad 1. *In decisis*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *In decisis quoad primam partem, petita tamen, et non obtenta licentia, et quoad secundam: Servetur solitum*.

Et ad 4. *In decisis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 7. *Junii* 1704.

3542. ROMANA.

Cum inter Subdiaconum, et Praefectos caeremoniarum Cappellae Pontificiae super jure supplendi vices Diaconi impediti in explendo munere imponendi, et auferendi Mitram, et Gremiale Celebranti in Cappella Pontificia excitata controversia, et ea ad *S. R. C. a SSmo Dño Nostro Cle-*

mente PP. XI. remissa, ab Emo, et Rmo D. Card. Francisco Barbarino infrascripto Dubio proposito.

An, impedito Diacono, munus auferendi Mitram, et Gremiale Celebranti in Cappella Pontificia, et alia ejusdem Diaconi munia spectent ad Subdiaconum, vel potius ad caeremoniarum Magistros in casu etc?

S. eadem R. C. *sub die* 26. *Aprilis proximi praeteriti* (3537.) censuit respondendum: *Dilata*, et ad Emum Dominum Ponentem ad mentem, et mens fuerit, *quod Emus Ponens curaret, ut Magistri caeremoniarum abstinerent in futurum ab imponendo, et auferendo Mitram, et Gremiale in casu etc. nisi impeditis Diacono, et Subdiacono.* Non acquiescentes hujusmodi resolutioni Praefecti caeremoniarum praedicti, pro nova audientia eidem S. R. C. demisse supplicaverunt.

Et S. eadem R. C., ad relationem ejusdem Emi, et Rmi D.Card. Francisci Barberini, respondit: *Nihil de nova audientia, et servetur Decretum sub die* 26. *Aprilis proximi praeteriti. Die* 7. *Junii* 1704.

3543. CAMERINEN.

Ex parte Canonicorum Ecclesiae Collegiatae S. Ginesii Camerinen. Dioecesis S. R. C. demisse supplicatum fuit, prout in infrascripto supplici libello vulgari sermone concepto, videlicet.

„ Emi, et Rmi Signori = Li Canonici della Chiesa Collegiata della „ Terra di S. Ginnesio Oratori Umi dell'EE. VV. riverentemente rap„ presentano, come avendo detta loro Chiesa due Santi Protettori, cioè „ S. Ginuesio mimo Romano principale, e S. Bartolomeo Apostolo meno „ principale, la Festa de quali cade nel giorno 25. Agosto, nel quale „ giorno cade anche quella di S. Luigi Rè di Francia, ed essendosi sem„ pre *ab immemorabili* celebrata in detto giorno quella di S. Ginnesio co„ me Protettore principale, e quella di S. Bartolomeo trasferita al gior„ no segnente 26. del detto mese, e l' uffizio di S. Luigi si è trasportato „ dopo l'ottava: al presente si pretende da alcuni riformanti, che la Fe„ sta di S. Luigi si debba celebrare il dì 26., e quella di S. Bartolomeo, „ benchè Protettore, si debba trasferire in altro giorno: che però supplicano „ l'EE. VV. a volersi degnare ordinare, che si celebri la festa di ciascuno di „ detti Santi nel modo, che si è sinora pratticato con la ragione d'esse„ re il primo di loro Protettore principale; e l'altro meno principale, e „ che debba trasferirsi quella di S. Luigi dopo l'ottava di essi, e decide„ re questa difficoltà nuovamente suscitata. Che della grazia etc.

Et S. R. C. censuit: *Officium S.Ginnesii Patroni Principalis celebrandum fore die* 25. *Augusti, Officium vero S. Bartholomaei die* 26. *immediate sequenti, translato Officio S. Ludovici ad primam diem non impeditam.* Et ita declaravit. *Die* 26. *Junii* 1704.

3544. GERUNDEN.

Cum Magister caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Gerunden. S.R.C. demisse declarari supplicaverit.

An die 2. Octobris Officium Sanctorum Angelorum Custodum dup. min. concurrens saepe in Ecclesia Gerunden. praedicta cum alio duplici mino-

ri, nempe cum Officio S. Hieronymi, quod Gerundae die 3. celebratur, habere debeat dimidiatas Vesperas juxta antiquum S. R. C. decretum sub die 2. Octobris 1627. editum, et a P. Gavauto secundum antiquam impressionem ad Rubricas Breviarii sess. 7. cap. 12. relatum, vel potius juxta Rubricam generalem cap. 11. de concurrentia Officiorum num. 2. cum Vesperis integris sit celebrandum?

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi, *sub die* 21. *Januarii* 1702. rescribendum censuit: *Servetur Rubrica generalis de concurrentia Officii cap.* 11. *num.* 2., *non obstante tabella concurrentiae*. Et dilata deinde declarationis praedictae publicatione, et omnibus, quae in contrarium obiici possent, bene perpensis, et mature consideratis, eodem Emo, et Rmo D. Card. Colloredo referente, *stetit in declaratione*, nempe *servandam esse praedictam Rubricam generalem de Concurrent. Offic. cap.* 11. *num.* 2. *Tabella concurrent.*, *et quibuscumque aliis non obstantibus*. *Die* 12. *Julii* 1704.

3545. GERUNDEN.

Inter Capitulum, et Canonicos ex una, et Beneficiatos Ecclesiae Cathedralis Gerunden. ex altera partibus super jure deferendi in Processionibus Pluvialia controversiis exortis, in S. R. C. super eisdem, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi infrascriptis dubiis plene examinatis, atque discussis.

1. An etiam Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Gerundae incedere debeant in Processionibus induti Pluvialibus, sicut Dignitates, et Canonici? Et quatenus Affirmative.

2. Si in Ecclesia non adsint Pluvialia ejusdem coloris in numero sufficienti pro Dignitatibus, Canonicis, et Beneficiatis, quomodo sit providendum?

3. An Beneficiati, qui non interfuerunt Processioni in die Nativitatis, debeantur specialia emolumenta dari solita?

Favorabilis Beneficiatis in omnibus *sub die* 20. *Januarii anni* 1703. (3491.) resolutio prodiit, et ad primum *Affirmative*, *attenta immemorabili*; ad 2. *sumptibus Ecclesiae juxta solitum*; et ad 3. *Affirmative* responsum fuit. Et expedito postmodum ex parte Beneficiatorum coram A. C. Monitorio, introductoque judicio super executione, et observatione praedictarum resolutionum; cum Capitulum, et Canonici pro declaratione, tam supra praefixione competentis termini ad conficiendum Pluvialia, quam super modo praefatas resolutiones reducendi ad praxim, donec eadem Pluvialia conficerentur; nec non pro impetranda ad effectum praedictum ad S. R. C remissione causae, ad Auditorem SSmi recursum habuerunt. Hujusmodi instantia ad S. R. C. ab Auditore SSmi remissa, firma in reliquis remanente causa coram A.C., et ab Emo, et Rmo Dno Card. Colloredo proposita: S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis Partibus auditis, eadem *sub die* 24. *Novembris proximi praeteriti* ad eumdem Emum, et Rmum D. Cardinalem Ponentem, *juxta mentem* remittendam censuit, et mens fuit: *Quod Episcopus praescriberet terminum competentem ad paranda Pluvialia*, *et interim provideret pro suis arbitrio*, *et*

prudentia, et S. R. C. certiorem redderet. Et cum a praedicta *die* 24. *Novembris* usque adhuc nullus terminus ad parandum Pluvialia assignatus, nulla provisio ab Episcopo capta, et mens S. R. C. in nihilo adimpleta fuerit: ex parte Beneficiatorum ad finem imponendum controversiae pro aliquo opportuno, et ultimo remedio S.R.C. demisse supplicatum fuit, et hujusmodi supplici instantia ab eodem Emo, et Rmo D.Card. Colloredo relata.

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, respondit: *In decisis, et Episcopus omnino praefigat terminum competentem ad parandum Pluvialia, et interim, quousque fuerit completus numerus Pluvialium, servetur omnino Caeremoniale tam quoad Canonicos, quam quoad Beneficiatos*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 12. *Julii* 1704.

3546. MOTULEN.

Episcopo Civitatis Motulae Sac. Rituum Congregationi demisse supplicante responderi.

An sit permittendum Gubernatori, et Syndico, et aliis Nobilibus Terrae Masafrae Motulen. Dioecesis intra Presbyterium sedere super scamno ligneo, et absque postergali in loco inferiori, et a Clero separato, eo sub praetextu nempe inserviendi de aqua, et linteo Episcopo Pontificaliter celebranti?

S. eadem R. C. respondit: *Non permittat*. *Die* 12. *Julii* 1704.

3547. VALENTINA.

Rectore Ecclesiae Parochialis S. Andreae Apostoli Civitatis Valentiae S. R. C. demisse supplicante declarari.

An recte in sua Ecclesia prohibuerit in Officio, et Missa superaddi, Confiteor, *et S. Andreae Apostolo*?

S. eadem R. C. respondit: *Bene prohibuisse*. *Die* 12. *Julii* 1704.

3548. URBIS.

Patre Josepho Maria a Turribus Ordinis Capuccinorum supplicante demisse S. R. C. declarare.

1. An Cruces Altarium, seu Processionum, sint benedicendae de praecepto?

2. An, si non sint de praecepto, possit simplex Sacerdos eas benedicere private, et non solemniter?

S. eadem R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 12. *Julii* 1704.

3549. OSTUNEN.

Cum in causa Praeeminentiarum inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, et Ducem Civitatis Ostuni, inter alia dubia ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. proposita, super primo, nempe.

An Duci Civitatis Ostunen. liceat retinere sedem cameralem coopertam serico villoso rubeo, cum genuflexorio cooperto aliquo panno serico, tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis saecularibus, et regularibus ejusdem Civitatis extra tamen Presbyterium sive absente, sive praesente Episcopo? Et quatenus etc.

S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis responderit, *sub die* 24. *Novembris* 1703. *Nihil de sede fixa, et dentur Decreta* (3519.)

Vigore supradicti Decreti praeemiuentias cum omnibus suis qualitatibus in eodem conteutas praefato Duce Ostuni praetendente; Episcopo vero easdem, et praecipue genuflexorium permittere renuente, hinc ad supplices ejusdem Ducis instantias reproposito hodie ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Colloredo dubio praedicto, S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, responsionem alias *sub die* 24. *Novembris* 1703. datam declarando, censuit iterum respondendum: *Nihil de sede fixa, et dentur Decreta, quibus alias declaratum fuit, Dño loci permitti posse sedem cum genuflexorio, et tapete, non tamen gradatam, neque fixam, sed amovibilem, et extra Presbyterium*. Et ita declaravit, decrevit, et servari mandavit. *Die* 12. *Julii* 1704. Iterum proposita causa die 4. Aprilis 1705. S. C. stetit in decisis.

3550. OSTUNEN.

Cum S. R. C. in causa Praeeminentiarum inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, Ducem Civitatis Ostuni, et Fratres ejusdem Ducis sub die 24. Novembris 1703. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi declaraverit, Fratribus Ducis praedicti non competere, excepta Pace, praeeminentias pro Duce in propositis dubiis expressas; obtenta nova audientia, ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Colloredo infrascripta dubia subscribi, et hodie proponi curarunt.

1. An Fratribus Ducis Civitatis Ostuni instantibus, liceat retinere sedem cameralem non fixam cum genuflexorio inferioris ornatus, ac est illa, quae juxta antiqua decreta conceditur dicto Duci tam in Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis saecularibus, et regularibus ejusdem Civitatis extra tamen Presbyterium, sive absente, sive praesente Episcopo? et quatenus etc.

2. An dictis Fratribus Ducis Ostuni debeatur thurificatio unico ductu per Cappellanum, sive Acolythum cotta indutum? Et quatenus etc.

Et S.R.C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, *Ad utrumque, Nihil* respondendum censuit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 12. *Julii* 1704.

3551. URBIS, ET ORBIS DUBIORUM.

Propositis ab Emo, et Rmo D. Card. Colloredo in praesenti S. R. C. infrascriptis dubiis in antecedenti non relatis, nempe.

2. An liceat proponere Spinam Dñi Nostri Jesu Christi ab immemorabili, praesertim in Parasceve capite scilicet aperto sub Baldachino processionaliter propositam?

3. An in occurrentia Festi Calendarii particularis, et Festi Calendarii universalis cum paritate ritus, et sine excellentia majoris dignitatis, faciendum sit de primo, translato secundo?

S. eadem R.C., omnibus bene perpensis, et mature consideratis, censuit respondendum. Ad 2. *Affirmative, in casu de quo agitur*.

Ad 3. *Affirmative*. Et ita declaravit. *De* 12. *Julii* 1704.

3552. CATANIEN.

Ad humilimas preces Magistri caeremoniarum Jacis Dioecesis Catanien. Emus, et Rmus D. Card. S. Clementis sub diebus 23. Augusti, et 13. Septembris labentis anni 1704. infrascripta dubia in S. R. C. declaranda proposuit.

1. Stante decreto S. R. C. in una Novariensi die 22. Novembris 1664. (2157.) quo declaratum fuit, Anniversaria, et Missas cantatas de requiem relictas ex dispositione testatoris quotannis, recurrente ipsorum obitus die, etiam in duplici majori contingente, non comprehendi in Decreto Alexandri VII., de non celebrandis Missis privatis in Festis duplicibus; an hoc Decretum supradictum sit restrictivum, ita ut praedicta Anniversaria, et praedictae Missae de requiem relictae, ut supra, non possint celebrari, nec cantari in Festis primae, et secundae classis, quae non sunt de praecepto. Et dato, quod non sit restrictivum; an in praedictis Festis duplicis majoris, secundae, et primae classis, ut supra, possint cantari Missae de requiem pro implenda devotione testatorum, et haeredum, ac etiam pro cantandis illis Missis, quae feria secunda prima cujuslibet mensis pro omnibus Fidelibus defunctis praescribuntur?

2. In Regnis Catholico Regi subiectis fuit concessum Officium Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph sub ritu dup. maj. ad libitum: an possit praedictum Officium fieri, dum semper occurrit cum Festo semidup. de praecepto in Ecclesia universali, stante Decreto de Sanctis ad libitum non transferendis, quando occurrunt cum Sanctis de praecepto?

3. An in Ecclesiis titularibus, in quibus celebrantur Festa B.M.V. uti titularis, et de S. Maria de Scala etc. occurrentia in Dominicis per annum, possint dici duae Missae privatae de eadem B. Virgine in dictis Ecclesiis? Et an idem sequatur, si in Festis duplicis majoris occurrentibus in dictis Dominicis per annum possint dici eaedem Missae privatae de eadem Beata Virgine?

4. An Canonici debeant uti mozzetta nigra tempore Adventus, quando in Bullis de dicto colore non fit exceptio?

5. An Canonici possint uti mozzetta violacea in exequiis parvulorum, ex eo quia Parochus utitur stola alba?

6. An Canonicus paratus ad Vesperas, qui ex consuetudine incensat Chorum, debeat ne incensare Mansionarium etiam paratum, qui simul assistunt cum dicto Canonico primae Dignitati celebranti?

7 An Canonici in Choro debeant recitare Vesperas defunctorum pro prima die mensis etc. cum sit pars Officii illius diei, quando in die sequenti non recitant Officium defunctorum, quia non sunt obligati Choro ex fundatione?

8. An Titularis matricis Ecclesiae, quae est matrix totius Populi Civitatis, habeat aliquam specialitatem aliarum Ecclesiarum titularium, ita ut possit recitari Officium, et Missa a toto Clero saeculari Civitatis, vel an tantum ab illis, qui sunt de gremio ejusdem Ecclesiae matricis?

9. An si in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesi-

mae occurat Festum Purificationis B. M. V. (cum per Rubricas generales transferatur) in Ecclesiis dictis B. Mariae sub alio titulo, scilicet Annuntiationis, Missa solemnis post Processionem Candelarum debeat cantari de Festo Purificationis, an vero de Dominica ?

Et S. R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Quoad primam partem Decretum enunciatum comprehendere duplicia minora, et majora tantum, non autem duplicia altioris ritus, et quoad secundam, Servetur Rubrica generalis Missalis tit. 5. num. 1.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Melius exprimatur Dubium, et in reliquis dilata.*

Ad 4. *Negative, et servandam formam praecisam, et colorem praecisum, prout in Indulto Apostolico exprimitur.*

Ad 5. *Ut ad proximum.*

Ad 6. *Affirmative in casu etc.*

Ad 7. *Vesperas defunctorum non esse omittendas.*

Ad 8. *Ab illis tantum, qui sunt de gremio.*

Ad 9. *Celebrandam Missam de Dominica.* Et ita declaravit. *Die* 23. *Augusti, et* 13. *Septembris anni* 1704. de quibus supra etc.

3553. CONGREGATIONIS CASSINEN. PROVINCIAE SICULAE.

Cum in Provincia Sicula, prout Abbas, et Monachi Congregationis Cassinensis ejusdem Provinciae exposuerunt, dies Festus S. Patriarchae Benedicti ab utroque sexu Congregationis praefatae sub ritu dup. primae class. cum Octava celebretur; cumque in omnibus Regnis Majestati Regis Catholici subjectis, prout pariter expositum fuit, dies Festus S. Josephi sub ritu dup. primae class. sine tamen Octava tamquam de Patrono Hispaniarum principali veneretur: Hinc inter Clerum Saecularem, et Regularem monasticum utriusque sexus exortis controversiis, de quo scilicet ex supra recensitis Sanctis, quando veniunt transferendi post Octavam Paschae, ab ordine Monastico in genere celebrari possit Festum, et Officium respective recitari debeat, iidem Abbas, et Monachi Congregationis Cassinensis Provinciae Siculae S. R. C. demisse supplicarunt benigne declarare, quod in casu praedicto a toto Ordine Monastico utriusque sexus prius Festum cum Officio S. Patriarchae Benedicti, quam alterum S. Josephi veniat celebrandum.

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Gabrielli, respondit: *Translatis Festis S. Benedicti, et S. Josephi, primo ponendum esse apud Monachos militantes sub regula S. Benedicti, Festum, et Officium S. Benedicti tamquam Fundatoris Ordinis, etiamsi Festum, et Officium S. Josephi esset duplex primae clas. pro Regularibus utriusque sexus in Regnis subjectis Regi Hispaniarum.* Et ita declaravit. *Die* 23. *Augusti* 1704.

3554. ORDINIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM CONGREGATIONIS MONTIS CORONAE

Procurator Generalis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae pro declaratione inf ascriptorum dubiorum S. R. C. humillime supplicavit.

1. An in Ecclesiis illarum Eremorum, quae titulum habent SSmi Salvatoris, in feriali Officio omitti debeat in suffragiis communibus commemoratio de Cruce, vel e converso, cum aequipolleant, vel potius facere possint utramque ad instar concessionis per hanc S. R. C. diebus 10. Januarii 1604., et iterum 13. Junii 1682. (85. 2842. ad 7.) factae Ecclesiis titularibus B. M. V. non omittendi illius commemorationem inter Sanctorum suffragia, licet recitatum fuerit in Choro ejus Officium parvum?

2. An in Festis S. Bonifacii Episcopi, et Mart. die 20. Junii, et SS. Joannis, et Benedicti die 16. Novembris Ordinis Camaldulensis, quae ex antiqua S. hujus R. C. concessione celebrantur sub ritu dup. secundae clas., dicere possint *Credo*, attento quod expositores Rubricarum asseverant, dici posse *Credo* in Festis principalibus Ordinis, et sub nomine Festorum principalium comprehendi etiam illa, quae sunt secundae classis? Et si secus, supplicat pro gratia.

3. An Decretum hujus S. C. die 12. Martii 1689., quo indulta fuit ipsis Eremitis Camaldulensibus facultas celebrandi Festa cum Missa quamplurimorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti, juxta concessiones, et Decreta alias emanata pro Congregatione Cassinensi, extendi possit etiam quoad celebrationem Festi cum Missa S. Columbani Abbatis eo modo, et ritu, quo concessum fuit ipsi Congregationi Cassinensi per Decreta hujus S. C. diebus 27. Septembris, et 6. Decembris Anni 1698.? Et si non extenditur, supplicat pro gratia?

4. An pari modo concessio celebrandi Festum S. Gregorii Magni PP. et conf. sub ritu dup.maj., facta ipsi Congregationi Cassinensi die 22. Augusti 1699., extendi possit etiam ipsis Eremitis Camaldulensibus? Et si secus, supplicat pro gratia.

5. An possint transferre Festum S. Heduigis Viduae Reginae Poloniae semidup. ad libitum inciden. die 17. Octobris perpetuo impedita Festo duplici sui Ordinis? Si vero secus, supplicat etiam pro hac gratia, ut valeant ipsam Sanctam venerari, juxta concessionem alias per hanc S. R. C. factam Patribus Societatis Jesu, transferendi hoc ipsum Festum S. Heduigis, non obstante Decreto sub die 24. Januarii 1682. edito de non transferendis Festis ad libitum? (2823.)

6. An, occurrente Octava S. P. Benedicti in hebdomada Passionis, in Missa principali de Feria debeat fieri tantum commemoratio de Octava, seu addi possit, vel etiam debeat tertia Oratio: Ecclesiae etc. vel pro Papa; et similiter, an in Missis privatis, quae ex privilegio hujus S. C. dici possunt de Octava, fieri debeat tantum commemoratio Feriae, vel debeat etiam adjungi tertia Oratio: haec vero, utrum debeat esse Ecclesiae etc. vel pro Papa, seu potius de B. V. *Concede*, juxta Rubricas generales de Octavis, in quibus nihil habetur in casu proposito?

7. An Eremitis Sacerdotibus dictae Congregationis Camaldulensis occasione itineris, seu alia quacumque ex causa licitum sit celebrare Missam de Requiem in aliena Ecclesia, ubi non agitur Officium duplex, imo fiunt exequiae pro aliquo defuncto, praesente corpore, vel Anniversaria, vel

aliquod simile Officium pro defunctis eo die, quo ipsi Eremitae recitaverunt Officium alicujus Sancti duplicis, non obstante Decreto hujus Sac. Congregationis die 5. Augusti 1662. edito (2030. 2031.) prohibente Missas defunctorum in Festis duplicibus, et per consequens: an hoc Decretum habeat locum tantum in Ecclesia propria, vel etiam in aliena in casu proposito?

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Rubini, respondit. Ad 1. *Non esse omittendas commemorationes SSmi Salvatoris, nec S. Crucis*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Pro gratia*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Omittendam esse tertiam Orationem in casu*.

Ad 7. *Posse conformari cum Ecclesia, in qua celebrat*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Augusti* 1704.

3535. ORDINIS EREMIT. S. AUGUSTINI DE OBSER. PROVINCIAE LOMBARDIAE.

Procuratore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini Provinciae Lombardiae S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicante.

1. Cum de anno 1697. die 27. Aprilis (3279. ad 5.) decretum fuerit non esse celebrandas Missas votivas, vel de Requiem in Vigilia Epiphaniae, et in Calendario Romae impresso excludantur tantum Epiphania, et dies infra ejus octavam, nulla facta mentione Vigiliae; quaeritur: An supradictum Decretum sit universale, an vero speciale tantum pro aliquibus Ecclesiis, et Religionibus?

2. Cum ob decretum emanatum 8. Aprilis 1662. (2012.) Regulares teneantur celebrare Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis sub ritu dup. 2. class. sine Octava, et Bergomi apud Augustinianos occurrant die 14. Januarii Festa Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, et SSmi Nominis Jesu sub ritu dup. secundae class.; quaeritur: Quale ex his Officiis sit suo die celebrandum, translato altero ad primam diem non impeditam?

3. Cum in Rubrica Missalis tit. 6. de translatione Festorum dicatur, quod in Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae, diebus impeditis possint cantari duae Missae, una de die, altera de Festo; quaeritur: Utrum, occurrente Festo Annunciationis, vel alio simili in Dominica Passionis, in Ecclesiis Regularium, et praesertim Monialium, possit cantari tantum Missa de Titulari, omisso cantu Missae Dominicae?

4. Cum in Rubrica Breviarii Tit. 20. de Hymnis num. 4. mandetur, ut in conclusionibus Hymnorum infra Octavas ibi notatas dicatur, *Jesu tibi sit gloria etc.*, etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, nec aliud praeterea excipiatur; quaeritur: Utrum in Vesperis Sabbati, et in Officio Dominicae infra eas Octavas sit dicendum, *Jesu tibi sit gloria etc.* An vero conclusio assignata Hymnis Sabbati, et Dominicae?

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi, Dni Card. Rubini censuit respondendum. Ad 1. *Detur, seu servetur Decretum die 27. Aprilis anni 1697. editum.*

Ad 2. *Servetur Tabella occurrentiae Festorum posita post Rubricas generales Breviarii Romani num.* 8.

Ad 3. *Servetur Rubrica Missalis de tranlatione Festorum. In Ecclesiis autem, ubi quotidie non cantatur Missa, posse celebrari tantum Missam solemnem de Festo Titularis.*

Ad 4. *Affirmative, dummodo Hymni sint ejusdem metri.* Et ita declaravit. *Die 23. Augusti* 1704,

3556. CAMPANIAE.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, et Ducem Civitatis Campaniae super nonnullis praeeminentiis in functionibus Ecclesiasticis ab ipso Duce praetensis, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gabriellus infrascripta dubia decidenda proposuit.

1. An Duci Campaniae dari debeat a Concionatoribus salutatio cum titulo Excellentiae post illam Episcopi?

2. An eidem licitum sit retinere in Ecclesia sedem, et genuflexorium debite ornatum cum strato?

3. An ipsi sit danda pax post Episcopum, et Assistentes ante Dignitates, et Canonicos?

Et eadem S. R. C., auditis partibus, respondendum censuit. Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Negative quoad sedem, et genuflexorium fixum, et dentur Decreta.*

Ad 3. *Negative.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 13. *Septembris* 1704.

3557. MAJORICEN.

Supplicante S. R. C. Joanne Baptista Cerereolo Clerico Majoricensi benigne declarari.

An in Ecclesiis, in quibus Festum SSmae Trinitatis est primae classis, concurrentibus Vesperis diei Octavae ejusdem cum duplici sequenti majori tantum, Vesperae debeant fieri integrae de die octava cum commemoratione sequentis, ut Rubrica generalis praescribit in Octavis Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, et Corporis Christi?

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, censuit respondendum: *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 13. *Septembris* 1704.

3558. RAVENNATEN.

Per Joannem Franciscum Vistoli tamquam unum ex Cappellanis Confraternitatis Suffragii, Civitatis Ravennae demisse expositum fuit, in Ecclesia Confraternitatis praedictae morem invaluisse, quod tam super Altari Privilegiato, in quo quamplures, quam super caeteris, in quibus infrequenter celebrantur Missae, Sacerdos, qui est primo celebraturus, extendit Corporale, et nonnisi ab alio, qui ultimo celebrat, amovetur, illud etiam ad

Sacrarium, una cum Calice extra bursam reportando, cum in bursa nulla adsit pars aperta ad effectum, ut in ea valeat sacrum linum includi, et enixe pro declaratione sequentium Dubiorum S. R. C. enixe supplicatum.

1. An deceat, nec ne Corporale retinere extensum super Altare toto tempore, quo celebrantur Missae, et donec ab ultimo in eo celebrante reportetur ad Sacrarium?

2. An conveniat Corporale extra bursam deferri?

Et S.R.C., referente Emo, et Rmo D. Card. Colloredo, respondit: *Archiepiscopus incumbat observantiae, et executioni Rubricarum*. *Die* 13. *Septembris* 1704.

3559. BAREN. PRAEEMINENTIARUM.

Super praetensis praeeminentiis inter Priorem, et ejus substitutum Ecclesiae Collegiatae Civitatis Baren. ex una, et Thesaurarium ejusdem Collegiatae ex altera partibus, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, et deinde a SSmo D. Nostro Clemente Papa XI. ad Congregationem particularem plurium Emorum, et Rmorum Dominorum Cardinalium, et Praelatorum remissis, Emus, et Rmus D. Card. Barberini Relator deputatus in Congegatione particulari praedicta in aedibus Emi, et Rmi D. Card. de Carpineo congregata, sub infrascripta die sequentia dubia declaranda proposuit.

1. An, absente, vel impedito Priore prima Dignitate, spectet ad Thesaurarium secundam Dignitatem in ordine praecedentiae celebrare Missas solemnes, aliaque pariter solemnia exercere, vel potius ad substitutum ejusdem Prioris, vulgo Vicarium nuncupatum?

2. An in casu praemisso ad Thesaurarium, vel potius ad Prioris substitutum pertineat dirigere Chorum?

3. An licentia aperiendi, et ostendendi devotis concurrentibus Sacrum Corpus S. Nicolai, et Thesaurum Ecclesiae privative spectet ad Thesaurarium?

4. An distributio sacri liquoris *Manna* nuncupati, privative pariter spectet ad ipsum Thesaurarium?

Ac petente Priore super primis duobus dubiis admissionem Articulorum ad probandam immemorabilem, S. C. rescribendum esse censuit, ut infra.

Ad 1. *Nihil de admissione Articulorum, et Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam*.

Ad 2. *Ut ad proximum*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 23. *Decembris* 1704.

3560. BITUNTINA SERVITII.

Remissa nuper ad S. R. C. per Auditorem SSmi Domini Nostri Papae Clementis XI. in statu, et terminis antiqua, et fere per saeculum agitata controversia inter Dignitates, et Canonicos Presbyteros ex una, et Canonicos Diaconos, et Subdiaconos Ecclesiae Cathedralis ex altera partibus, super munere inserviendi in officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus, et Canonicis in Missis solemnibus, juxta dispositionem *Caeremonialis l.* 2. c. 3.

vertente, et perventa relatione super eadem per Episcopum Biluntinum exarata, Eminus, et Rmus Dominus Card. Colloredus in Relatorem datus in S. R. C. infrascriptum dubium inter partes concordatum proposuit.

An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 23. Julii 1661. in casu etc.? (1977.)

Et S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis: *In Decisis sub die* 23. *Julii* 1661. respondit, *et amplius proponi* vetuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 14. *Februarii* 1705.

3361. ORDINIS CAPUCCINORUM GALLIAE.

Ex parte Capuccinorum Galliae infrascripta dubia declarari S. R. C. humillime supplicatum fuit.

1. An cum ex Decreto S. R. C. 11. Januarii 1661. (2789.) dicenda sit Antiphona Bmae Virginis: *Ave Regina Coelorum* cum ℣. *Dignare me etc.* in fine Completorii secundae diei Februarii, licet transferatur Officium Purificationis Bmae V. Ac similiter licet nondum recitatum sit Officium Purificationis, dici tamen debeat in suffragiis, quando fit de officio semidup. vel simplici ℣. *Ora pro nobis S. Dei Genitrix* cum oratione *Concede nos famulos etc.* et in Missa secunda oratio *A cunctis*, tertia ad libitum?

2. An, translato Officio Annunciationis Bmae Virginis, de quo potest fieri 5. die Aprilis, omisso officio ad libitum S. Vincentii Ferrerii hac die occurrentis, satis sit celebrare Officium Annunciationis, vel hac die, vel die sequenti, ut non omittatur Officium S. Vincentii? Et si hoc ultimum satius judicetur: An in Dioecesibus, in quibus celebratur 5. die Aprilis Officium translatum Annunciationis B. V. cum feriatione diei, in quam transfertur, satius sit et nos illud celebrare hac die, omisso Officio ad libitum S. Vincentii Ferrerii in gratiam populorum, qui ad nostras Ecclesias accedunt audituri Missam, et Officium de Mysterio Annunciationis? et inde etiam; An, translato eodem Officio Annunciationis, juxta Romanas Rubricas in quartam diem Aprilis, debeamus tamen, vel possimus illud differre in sequentem diem quintam Aprilis in Dioecesibus, in quibus tunc transfertur cum feriatione in hanc diem ob festum S. Ambrosii, quod celebratur 4. Aprilis propria ipsius obitus die?

3. An in Dioecesibus, in quibus in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, vel Quinquagesimae fit de Officio Purificationis Bmae Virginis, in Dominicis occurrentis, debeamus, vel possimus iis diebus recitare idem Officium cum sola commemoratione, et 9. Lectione Dominicae in gratiam populorum ad nostras Ecclesias accedentium?

4. An sub nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII. tenemur recitare Officium sub ritu dup. primae clas., veniat etiam Patronus Parochiae, in qua commoramur? Et si sub hoc nomine comprachendatur: An, ubi Ecclesia Parochialis dedicata est in honorem, et memoriam plagarum Jesu Christi, vel Dolorum Bmae Virginis, debeamus de his recitare Officium, cum de his nullum est in Breviario Romano?

5. An in Dioecesibus, in quibus, Festo S. Marci occurrente per Octa-

vam Paschae, vel in Dominica, Litaniae transferuntur cum abstinentia post Octavam, vel post Dominicam, debeamus haec observare?

6. An dignior de Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, et Palmarum recipit candelam, cineres, palmam, debeat accedere ad Altare cum, vel sine Stola? Et si sine Stola: An ipse debeat genuflexus sicut alii, vel stans inclinatus recipere candelam, cinerem, palmam a Celebrante, et osculari manum Celebrantis porrigentis candelam, palmam?

7. An toleranda sit consuetudo quorumdam, qui, contra quod praescribitur in Missali, exponunt patenter Hostiam Consecratam conservandam a feria V. in Coena Domini usque ad ipsius consumptionem in feria VI. in Parasceve?

8. An primo possit omitti in Choro Antiphona Bmae Virginis in fine Officii, licet immediate sequatur Missa, quam apud nos Capuccinos vocamus conventualem, quae tamen juxta Rubricas Missalis tit. 3. num. 1. et 2., tit. 15. num. 2., cum non cantetur a Choro, sed submisse recitetur a Celebrante vere conventualis dici non potest, nec pars Officii antecedentis?

Secundo cum non verè conventualis sit talis Missa, nec solemnis, licet in festo secundae classis celebretur cum incenso, quia non celebratur cum aliis caeremoniis, et ministris ad Missam solemnem requisitis, ut patet ex ritibus Missae solemnis in Missali: An in ea in festis secundae classis possit omitti commemoratio simplicis eodem die occurrentis, cujus omissio praescribitur a Rubrica Missalis tit. 7. num. 1. in Missa tantum solemni?

Et S. eadem R. C., referente Eмо, et Rмо Domino Card. Colloredo, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Quando transfertur solum Officium, et solemnitas, tunc potest fieri de Sancto ad libitum occurrente*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Quoad primam partem, quoad Litanias, et Processiones servetur Rubrica particularis Missalis in festo S. Marci; quoad secundam partem, servetur consuetudo loci*.

Ad 6. *Quoad primam partem sine stola: quoad secundam, cum genuflexione, et osculo manus*.

Ad 7. *Servandam omnino Rubricam Missalis*.

Ad 8. *Quoad primam partem circa Antiphonam finalem servetur Rubrica 36. num. 3. circa Missam, quae habenda est tamquam conventualis. Quoad secundam partem provisum in prima parte, et servetur Rubrica Missalis in dubio allegata tit. 7. num. 1.* Et ita declaravit. *Die 14. Februarii 1705.*

3562. AVERSANA.

Cum S. R. C. *sub die 26. Aprilis proximi praeteriti* (3533.), referente Eмо, et Rмо D.Card. S.Clementis, *super 6. dubio* responderit: *Electos Civitatis Aversae cum Gubernatore non posse, nec debere in sedibus, holosericis villosis rubris sedere*: praetendentibus Electis praedictis ab

hujusmodi responso ipsos affici, dumtaxat Episcopo pontificaliter celebrante; ex parte ejusdem Episcopi in praesentiarum S. eidem C. demisse supplicatum fuit, declarari supracensitum responsum, seu decretum non solum comprehendere functiones pontificales, verum etiam et assistentiam concionibus, et omnes alias non pontificales tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis.

Et S. R. C., referente eodem Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis, respondit: *Electos Civitatis, et Gubernatorem non posse sedere in sedibus rubri coloris, neque in functionibus Pontificalibus, neque in audiendo conciones, aliisque functionibus ecclesiasticis*. Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 21. *Martii* 1705.

3563. NEAPOLITANA DELATIONIS COTTAE.

Inter Congregationem Humilitatis, et Hebdomadarios Ecclesiae Cathedralis Civitatis Neapolis Confratres ejusdem Congregationis orta controversia super obligatione deferendi cottam cum bireto in associatione cadaverum aliorum confratrum, eaque ad S. R. C. delata, Emus, et Rmus D. Card. Gabriellus, cui haec controversia commissa fuit, infrascriptum dubium resolvendum proposuit.

An Hebdomadarii Cathedralis Neapolitanae habentes usum Cappae, et Rochetti cum manicis non incedentes collegialiter, sed uti Confratres in associatione cadaverum aliorum Confratrum S. Mariae Humilitatis, teneantur deferre cottam, et biretum, prout alii confratres, vel potius incedere debeant cum pallio post feretrum, juxta praerogativam concessam a Statuto Confraternitatis habentibus usum mitrae, prout habent Canonici dictae Cathedralis in casu etc.?

Et S.R.C., tam in voce, quam in scriptis, utraque parte informante audita, censuit respondendum: *Quoad primam partem, Affirmative, et quoad secundam Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1705.

3564. NICOTERAE.

S. R. C. Episcopo Civitatis Nicoterae pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicante.

An Canonici Cathedralis Ecclesiae Civitatis Nicoterae teneantur assistere celebrationi diei anniversariae obitus Episcopi praedecessoris immediati absque ulla recognitione?

S. R. C. respondit = *Teneri* = *die* 21. *Martii* 1705.

3565. PAPIEN.

Cum S. R. C., referente Emo, et Rmo Domino Card. S. Clementis, et instante Emo, et Rmo D. Card. Morigia Episcopo Papiensi super Dubio.

An Praepositi Curati, qui simul sunt Dignitates, et Capita Collegiatarum Episcopo subjectarum, debeant inclinari Episcopo Ecclesiasticas functiones peragenti eo modo, quo Canonici Cathedralis, seu potius ad differentiam Canonicorum Cathedralis teneantur genuflectere eidem Episcopo, et praecipue in consecratione Oleorum feria V. in Coena Domni, cum ipsi Praepositi munia gerant duodecim Sacerdotum tamquam Parochi,

et ita in visitatione peragenda ab Episcopo Ecclesiarum Collegiatarum?

S. R. C. *sub die* 23. *Februarii* 1704. responderit: *Secundum ea, quae proponantur in casu teneri genuflectere* (3527.)

Cumque adversus hujusmodi declarationem Praepositi praedicti super praetensa ab ipsis immemorabili obtinuerint audiri; hinc ad eorumdem instantias in praesentiarum ab eodem Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis proposito dubio infrascripto, videlicet.

An sit concedenda Remissoria, et admittendi Articuli in casu etc.?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum = *In decisis sub die* 23. *Februarii* 1704. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Martii* 1705.

3566. TERRACINEN. PRAECEDENTIAE.

Inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae, et Parochos Terrae Priverni Terracinen. Dioecesis super praecedentia in associatione defunctorum orta controversia, cum ab Emo, et Rmo Domino Card. S. Clementis, non citatis Parochis, in S. R. C. propositum fuerit infrascriptum dubium.

An in associatione funeris alicujus defuncti ad aliquam Ecclesiam Parochialem, in qua Archipresbyter, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae cum proprio Parocho defuncti simul conveniunt, praecedentia danda sit proprio Parocho, vel potius Archipresbytero, et Canonicis dictae Collegiatae in casu etc.?

Et S. eadem R. C. *sub die* 7. *Junii proximi praeteriti* 1704. rescripserit: *Dentur Decreta*: per Parochos praedictos obtenta adversus hujusmodi Decretum tamquam non citatos audientia, inpraesentiarum ab eodem Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis supradictum dubium denuo cum alio An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.? propositum fuit.

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis: *Probandam esse consuetudinem* censuit. *Die* 21. *Martii* 1705.

3567. AESINA.

Praetendente Antonio de Guglielmis Canonico Coadjutore Amantii Britii Canonici Ordinis Diaconalis Cathedralis Aesinae indistincte, tam absente, quam praesente dicto Can. Britio Coadjuto, in Churo, et functionibus Ecclesiasticis praecedere Canonicis Ordinis Subdiaconalis ejusdem ecclesiae Cathedralis, praecedentiam praedictam eidem Canonico Guglielmo Coadjutori, praesente tantum Coadjuto, denegantibus; hinc inter eosdem exortis controversiis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Barbarinus in Relatorem datus, infrascriptum dubium inter Partes concordatum decidendum proposuit.

An, praesente Coadjuto Diacono, et per se ipsum inserviente, illius Coadjutor Diaconus debeat in Choro, et functionibus ecclesiasticis stare post omnes Canonicos ejusdem Ordinis Diaconalis tantum, vel potius post etiam Canonicos Subdiaconos in casu, et ad effectum, de quo agitur?

Et S. eadem R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Affirmative quoad* 1. *partem*; *Negative quoad secundam*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 4. *Aprilis* 1705.

3568. COMACLEN.

Ad habendam certam regulam super modo, quo in lotione manuum, Episcopo pontificaliter celebrante, Magistratus Civitatis Comaclen. se gerere debeat, infrascriptis dubiis cum eodem Episcopo nuper concordatis respondere S. R. C. demisse supplicavit.

1. An Magistratus Comaclen., ministrans aquam pro lotione manuum Episcopi solemniter celebrantis, in eundo, et redeundo, ultra genuflexionem Altari debitam, teneatur alteram facere eidem Episcopo, adeo ut idem Magistratus comprehendatur sub illis verbis = omnesque praedicti = cap. 11. lib. 1. Caerem. Episcoporum, vel potius illa verba stent taxative pro familiaribus Episcopi, et nobilibus viris Civitatis?

2. An idem Magistratus teneatur accedere ad abacum pro accipiendis pelvibus, seu lance, et urceo cum aqua pro eadem manuum lotione, vel potius eadem eidem Magistratui obviam sint deferenda, et in qua distantia?

3. An idem Magistratus debeat uti velo serico circum spatulas extenso in praestatione ejusdem lotionis manuum, adeo ut ab Episcopo possit etiam cogi?

4. An idem Magistratus, volens se abstinere a ministratione dictae lotionis manuum, pro evitandis genuflexionibus etc., possit cogi ad eamdem lotionem ministrandam?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Gabrielli, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Quoad primam partem Affirmative: quoad secundam Negative.*

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative, si adsit consuetudo*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 4. Aprilis 1705.*

3569. LYCIEN. DUBIORUM.

Magistro Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Lyciensis pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. demisse supplicante.

1. An si Festum Purificationis B. M. V. est transferendum, vel ratione octavae diutius perseverabit, eo usque perseverabit Antiphona, *Alma Redemptoris Mater*: An vero in hoc casu die 2. Februarii ad Completorium dicenda sit Antiphona: *Ave Regina Coelorum*?

2. An si dies Anniversaria Consecrationis Episcopi incidat in Dominica primae class., vel infra totam hebdomadam majorem, vel die S. Paschae, Pentecostes, Nativitatis Dni, vel alio die solemniori, debeat, vel possit dici eo die Missa de dicta Consecratione, cantata altera Missa de die, vel in ipsa Missa de die possit, vel debeat fieri collecta pro dicta Episcopi Consecratione? Et in casu, quo neque debeat, neque liceat tali die praedicta Missa, vel sola collecta; an possit, vel debeat transferri Missa pro Anniversario dictae Consecrationis, et in quem diem?

3. An in Missa votiva SSmi Sacramenti tertia Oratio dicenda sit ea, quae secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, an potius ea, quae est assignata secundo loco infra Octavam SSmi Sacramenti?

4. An Officium expectationis partus B. M. V. concessum sit omnibus

Regnis Hispano Monarchae subjectis, an solum aliquibus, et quibus? In quibusdam enim Breviariis apparet generaliter concessum omnibus, in quibusdam vero solum aliquibus determinatis.

5. An Officia Sanctorum ad libitum sive duplicia, sive semiduplicia occurrentia in die, quo fieri debeat Officium de Dominica anticipanda ante Septuagesimam, vel ante Dominicam XXIV. post Pentecosten, sint transferenda, vel potius omittenda, vel in die illa Officium praedicti Sancti ad libitum recitandum, et solum sit facienda commemoratio illius Dominicae?

6. An si feria sexta post Octavam Ascensionis occurrat Festum novem Lectionum, facienda sit in Missa commemoratio illius diei?

7. An infra Octavam Corporis Christi occurrente Festo novem, vel trium Lectionum, intelligatur eo die militare Rubrica Breviarii ante praedictum Festum posita, atque Decretum S. R. C. 8. Junii 1669. (2332.) de non recitanda nona Lectione Festi simplicis occurrentis infra dictam Octavam, an potius eo die legi illa debeat?

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. S. Clementis, respondendum censuit. Ad 1. *Servetur Decretum S. R. C. 11. Januarii 1681.* (2789.)

Ad 2. *Circa commemorationem serventur Caeremoniale Episcoporum, et Rubricae. Et si dies Anniversaria Consecrationis fuerit impedita, eo anno Missa omittitur.*

Ad 3. *Dilata.*

Ad 4. *Indultum Gregorii XIII. esse tantum pro tota Hispania.*

Ad 5. *Esse omittenda Officia Sanctorum ad libitum.*

Ad 6. *Faciendam commemorationem Feriae sextae, nisi Festum fuerit ex solemnioribus, juxta Rubricas.*

Ad 7. *In Officio tantum de Octava omittendam nonam Lectionem Festi simplicis.* Et ita declaravit. *Die 4. Aprilis 1705.*

3570. SABINEN. FUNCTIONUM.

Inter Attilium Palutium Archidiaconum secundam Dignitatem, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Sabinen. super jure peragendi functiones in diebus festis solemnioribus, absente, vel impedito Archipresbytero prima Dignitate, exortis controversiis, eisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Colloredus infrascriptum dubium inter Partes concordatum proposuit.

An omnes functiones Ecclesiasticae, quae secundum dispositionem Caeremonialis Episcoporum, et Decretorum S. R. C. expleri debent a prima Dignitate, ea absente, vel impedita, spectent ad Archidiaconum secundam Dignitatem, vel potius ad Canonicum antiquiorem in casu etc?

Et S. eadem R C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis: *Quoad primam partem Affirmative, et quoad secundam Negative* respondendum censuit. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 4. Aprilis 1705.*

3571. AMALPHITANA.

Ad tollendam imposterum omnem controversiam cum Episcopis suae

Provinciae suffraganeis, Archiepiscopo Amalphitano pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicante.

An ipse, tamquam Metropolitanus per Dioeceses suffraganeorum Episcoporum pertransiens, possit elevare Crucem?

S. R. C. respondit: *Posse*. Et ita declaravit. *Die* 9. *Maii* 1705.

3572. SALERNITANA PRAEEMINENTIARUM.

Inter Carolum Siniscalcum Parochum Ecclesiae S. Angeli a Macerata, et Cappellanos, Rectores, et Gubernatores Ecclesiae S. Joannis Baptistae Terrae S. Severini Dioecesis Salernitanae super nonnullis actibus jurisdictionalibus, et praeeminentialibus a Carolo Siniscalco praedicto, tamquam Parocho in suprarecensita Ecclesia S. Joannis Baptistae, intra limites suae Parochiae existente praetensis, controversiisque exortis, eisque ad S.R.C. delatis, super eisdem, Emus, et Rmus D. Cardinalis de Carpineo in Relatorem deputatus infrascripta dubia resolvenda proposuit.

1. An Cappellani, seu Rectores, et Gubernatores Ecclesiae S. Joannis Baptistae, seu montis mortuorum de jurepatronatus Familiae de Jordano sitae intra fines Parochiae S.Angeli a Macerata Terrae S.Severini, possint, et valeant Anniversaria, nec non funeralia circa tumulum, et praesente etiam cadavere, Missam solemnem, aliasque functiones tam publicas, quam privatas de per se facere absque ulla dependentia a Parocho, eoque minus illius interventu, et assistentia? Et quatenus negative.

2. An Parocho debeatur praecedentia in sedendo, officiumque dirigere debeat, stolamque deferre, et primam Antiphonam, aliasque Orationes canere in funeralibus, praesente cadavere, talique casu teneantur Cappellani, et Rectores, seu Gubernatores dictae Ecclesiae duplicem tradere eleemosynam dicto Parocho, et Vicario Foraneo?

3. An liceat dictis Cappellanis Missas votivas solemnes celebrare, benedicere, et distribuere populo palmas in die Dominica Palmarum, candelas in festivitate SSmae Purificationis B. V. M., cineres, oleum, et panem pro devotione Fidelium independenter a Parocho, et absque illius interventu?

4. An dicti Cappellani possint, et valeant in dicta Ecclesia celebrare Festivitates nedum Sancti titularis dictae Ecclesiae, verum etiam aliorum Sanctorum titularium in Cappellis, et Altaribus ejusdem Ecclesiae, aliorumque Sanctorum infra annum pro eorum, et Gubernatorum devotione, ac arbitrio pariter independenter a Parocho, et absque illius interventu?

5. An liceat Parocho absque licentia Gubernatorum, aut Cappellanorum dictae Ecclesiae in die Festivitatis S. Joannis Baptistae, Missam solemnem, aut privatam celebrare ad suum libitum?

Et S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum.

Ad 1. *Affirmative: ita tamen, ut spectet ad Parochum peragere Officium funebre, praesente cadavere, ad formam Decretorum generalium num.* 20.

Ad 2. *Affirmative ad primam partem, quatenus interveniat. Negative quoad secundam.*

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Licere dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ipsius Ecclesiae tantum*.

Ad 5. *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 9. Maii* 1703.

3373. SENOGALLIEN.
JURIUM PAROCHIALIUM.

Proviso nuper de Ecclesia Abbatiali, et Parochiali B. M. de Platea Terrae Montis Novi, Dioecesis Senogallien. Joanne Fabrino, inter Abbatem Ecclesiae praedictae, et alios Parochos ejusdem Terrae controversiae omnes super praetensis Juribus Parochialibus cum Patribus Minoribus Conventualibus excitatae, et alias sub die 6. Decembris, mediante concordia, seu transactione inter easdem partes inita sopitae, et extinctae, revixerunt. Quare ad instantiam ejusdem Fabrini ab Auditore SSmi eisdem controversiis ad S. R. C. remissis, deputatoque in earumdem Relatorem Emo, et Rmo D. Card. Rubino, idem Emus inpraesentiarum infrascripta dubia inter partes coram Eminentia sua concordata decidenda proposuit.

1. An liceat PP. Minoribus Conventualibus S. Francisci Terrae Montis Novi solemniter benedicere agris die 3. Rogationum, et Januae dictae Terrae nuncupat Porta nova in Festo S. Marci?

2. An liceat dictis Patribus facere Processiones extra claustra eorum Conventus, et per limites Parochiae absque licentia, consensu, et Cruce ejusdem Parochialis?

3. An liceat dictis Patribus in feria V. majoris Hebdomadae post silentium Campanarum Ecclesiae matricis pulsare Campanas?

4. An possint dicti Patres sine licentia Ordinarii exponere SSmum Eucharistiae Sacramentum? Et quatenus negative.

5. An, obtenta a Patribus licentia Ordinarii exponendi SSmum Eucharistiae Sacramentum cum clausula, accedente consensu Parochi, teneantur requirere consensum ejusdem Parochi?

6. An sufficiat ad effectum praedictum consensus petitus, licet non obtentus, sive potius ex justa causa possit Parochus illum denegare?

7. An Patres Conventuales, occasione funerum, teneantur convenire in Ecclesia Parochiali ad levandum Parochum, sive cadaver sit tumulandum in ipsa Parochiali, sive in eorum propria Ecclesia Regulari, sive sit positum in una regione ejusdem Terrae, sive in alia, dummodo intra limites Parochiae?

8. An dicti Patres invitati ad interessendum funeribus defunctorum tumulandorum in Ecclesia Parochiali, possint ingredi in eamdem Ecclesiam elata Cruce, et ita eam retinere prope feretrum usque ad finem Officii?

9. An itidem Parochus, quando cadavera sunt sepelienda in Ecclesia, eorumdem Regularium, possit cum stola, et elata Cruce, ingredi in eamdem, et illam pariter retinere usque ad absolutionem funeris, prout retinent eorum Vexillum Patres Reformati, quando vocati intersunt?

10. An liceat Parocho facere Officium super cadaveribus sepeliendis in

Ecclesia Patrum Minorum Conventualium, vel potius hoc spectet ad ipsos Regulares?

11. An, dictis Patribus invitatis ad funus, liceat facere functiones super cadaveribus tumulandis in Ecclesiis Parochialibus, vel potius hoc spectet ad proprium Parochum?

12. An haeredes defunctorum cogi possint ad retinendum domi cadavera defunctorum usque ad tempus sepulturae, sive eorum libitu, petita, et non obtenta licentia Parochi, possint eadem deponere in aliqua Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepelientem?

13. An, volentibus dictis haeredibus facere dictum depositum, teneantur illud privative facere in alterutra ex duabus Ecclesiis Parochialibus Terrae Montis novi, sive potius possint illud facere in quacumque Ecclesia dictae Terrae, etiam in illa PP. Conventualium?

14. An saltem possint cogi dicti haeredes ad illud faciendum in Ecclesia dictorum Patrum Conventualium, quando defunctus est ibidem sepeliendus, vel potius etiam in hoc casu fieri debeat depositum in alterutra ex dictis Ecclesiis Parochialibus?

15. An cadavera Presbyterorum, sive Clericorum decedentium absque electione sepulturae. et habentium sepulchrum suorum majorum in Ecclesiis Regularium, debeant sepeliri in dicto sepulchro majorum, sive potius in Ecclesia Parochiali, et in sepulchro Clericorum in casu etc?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus auditis, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative*, *exceptis Processionibus primi Veneris Martii nuncupat* Corda Pia, 13. *Junii S. Antonii*, *prima Augusti de Portiuncula*, *et* 4. *Octobris S. Francisci*, *in quibus servetur solitum*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Ad primam partem dubii Negative*, *ad secundam Affirmative*.

Ad 7. *Affirmative*, *dummodo cadaver non reperiatur licite depositum in alia Ecclesia*.

Ad 8. *Negative*.

Ad 9. *Negative*.

Ad 10. *Ad primam partem Negative*, *ad secundam Affirmative*.

Ad 11. *Ad primam partem Negative*, *ad secundam Affirmative*.

Ad 12. *Ad primam partem Negative*, *ad secundam Affirmative*.

Ad 13. *Ad primam partem Negative*, *ad secundam Affirmative*.

Ad 14. *Depositum posse fieri in quacumque Ecclesia*, *arbitrio haeredum*.

Ad 15. *In sepulcro majorum*. Et ita decrevit, et servari mandavit.

Die 9. *Maii* 1705.

3574. LYCIEN.

Quamplurimis ad instantiam Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lycien. ab Emo, et Rmo Dño Card. S. Clementis *sub die 4. Aprilis proximi praeteriti*, propositis dubiis, cum S.R.C. ad tertium censuerit respondendum: *Dilata*; in praesentiarum, reproposito ab eodem Emo, et Rmo Dño Card. S. Clementis tertio dubio praedicto, nempe.

An in Missa votiva SSmi Sacramenti, tertia Oratio dicenda sit ea, quae secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, vel potius ea, quae est assignata secundo loco infra octavam ejusdem SSmi Sacramenti?

Eadem S. R. C., *Orationem temporis occurrentis dicendam esse*, censuit. Et ita declaravit. *Die 4. Julii* 1705.

3575. PORTUGALLEN.

Portugallensi Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Portugallen. S. R. C. demisse supplicantibus, prout in infrascripto supplici libello.

Emi, e Rmi Sig. = *Li Canonici etc. Omittitur tenor, quia habetur supra sub die 24. Novembris* 1703. (3520.)

Cum eadem S. R. C., audita relatione *Episcopi sub die 24. Novembris* 1703. super eodem, censuerit respondendum: *Servandas esse Rubricas quoad recitationem Officii defunctorum intra Officium, aliis vero diebus absolutis Officio, et Missa currentibus ad Fidelium defunctorum Animas adjuvandas pro suscepto onere a Capitulo, et Canonicis Portugallensibus recitandum Officium defunctorum, et celebrandam esse Missam privatam de die currenti, Sacrificium pro defunctis applicando*, declaraverit. Eisdem modo Capitulo, et Canonicis eidem S. R. C. exponentibus, ex recitatione Officii defunctorum, ut supra praescripta, non modicum incommodi ipsis resultare, et propterea pro facultate recitandi supradictum Officium defunctorum, et celebrandi Missam privatam de die currenti, Sacrificium pro defunctis applicando, vel ante celebrationem Officii currentis, vel absolutis Officio, et Missa pariter currentibus, demisse iterum supplicantibus. S. eadem R. C. *Firmo in reliquis remanente Decreto alias edito, facultatem petitam oratoribus benigne indulsit, atque concessit. Die 4. Julii* 1705.

3576. PRAENESTINA.

Inter Archipresbyterum Romulum Antoninum Parochum Ecclesiae S. Blasii, et Joannem Antonium Testam Parochum S. Mariae Terrae S. Viti, Praenestinae Dioecesis nonnullis jurisdictionalibus, et praeeminentialibus controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, super eisdem Emus, et Rmus Dominus Cardinalis Colloredus in Relatorem datus infrascripta Dubia inter partes concordata resolvenda proposuit.

1. An constet de Matricitate Ecclesiae S. Blasii respectu Ecclesiae S. Mariae de Arce?

2. An liceat pulsare Campanas Ecclesiae S. Mariae de Arce feria V. in Coena Domini post silentium Campanarum Ecclesiae S. Blasii?

3. An liceat pulsari Campanas dictae Ecclesiae S. Mariae Sabbato Sancto, non expectata pulsatione Ecclesiae S. Blasii?

4. An Fons Baptismalis noviter constructus in Ecclesia S. Mariae sit retinendus, vel potius removendus, vel demoliendus, ita ut omnes de Terra S. Viti baptizari debeant in Ecclesia S. Blasii?

5. An Rectori Ecclesiae S. Blasii competat titulus Archipresbyteri?

6. An idem titulus competat Rectori Ecclesiae S. Mariae de Arce?

7. An, et in qua parte sit confirmanda, vel infirmanda Sententia lata per bo: mem: Caesarem Panimolla olim Vicarium generalem Praenestinum inter praedictas Ecclesias, earumque Rectores sub die 2. Julii 1686.? Et quatenus sit confirmanda.

8. An Parocho S. Mariae liceat voluntarie abesse ab Oppido S. Viti, etiam sub motivo alibi concionandi in illis diebus, in quibus ad formam praedictae Sententiae tenetur assistere functionibus peragendis in Ecclesia S. Blasii?

9. An omnes Processiones, quae fiunt in Oppido S. Viti, sive ordinariae, sive extraordinariae, debeant convocari in Ecclesia S. Blasii privative quoad Ecclesiam S. Mariae?

10. An in illis Processionibus, in quibus uterque Parochus intervenit, liceat utrique deferre Stolam, et propriam Crucem, vel potius eorum alteri tantum, et cui?

11. An Parocho S. Blasii competat praecedentia supra Parochum S. Mariae in omnibus Processionibus, et functionibus Ecclesiasticis, etiam intra limites Parochiae, imo etiam intra ambitum dictae Ecclesiae S. Mariae? Et quatenus negative.

12. An dicta praecedentia in iisdem functionibus competat Parocho S. Mariae supra Parochum S. Blasii, etiam intra limites Parochiae, imo etiam infra ambitum praefatae Ecclesiae S. Blasii?

13. An in Processionibus funerum, quando Cadavera deferuntur ad Ecclesiam S. Mariae, et Parochus S. Blasii invitatus intervenit, possit idem praecedere Parocho S. Mariae functionem facienti, nec non deferre Stolam, et propriam Crucem, ultra Crucem Ecclesiae sepelientis?

Et S. eadem R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2., et 3. *Licere*.

Ad 4 *Affirmative quoad primam partem, quoad secundam Negative*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Reformandam Sententiam arbitrio Emi Sperelli, firmis remanentibus praesentibus Decretis*.

Ad 8. *Negative*.

Ad 9. *Servetur solitum*.

Ad 10. *Ut ad proximum*.

Ad 11. *Affirmative, praeterquam in circuitu Parochiae, et Ecclesiae S. Mariae*.

Ad 12. *Negative*.

Ad 13. *Negative in omnibus, praeterquam quoad delationem Stolae*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 4. Julii 1705.*

3577. SARLATEN.

Antonius Philopaldus Sacerdos Sarlaten. a S. R. C. infrascripta Dubia declarari demisse supplicavit.

1. Utrum Abbas jure pontificalium, et Episcopali jurisdictione gaudens, dum Officium facit ad Matutinum, possit sedens dare secundam, tertiam, quintam, sextam, et octavam Benedictiones, quae Lectionibus praemittuntur, prout facit Episcopus; an vero teneatur stare, dum eas impertitur, ut mos est Sacerdotum inferiorum?

2. Utrum idem Abbas lecturus ultimam Lectionem teneatur petere Benedictionem ab alio suo inferiore; an vero debeat eam petere immediate a Deo dicens: *Jube Domine benedicere*, et Chorus absque alio respondeat *Amen*, prout fit ab Episcopo?

Et S. eadem Rit. Congregatio respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative quoad primam partem, nempe ter in anno ad formam Decret. S. M. Alexandri PP. VII., et dummodo Abbas pontificalibus ornatus sit indumentis in exercitio Pontificalium in Decreto Alexandrino praescriptorum, et Negative quoad secundam.*

Ad 2. pariter *quoad primam partem Affirmative, et ad secundam Negative*. Et ita declaravit. *Die 4. Julii 1705.*

3578. SEGOBRICIEN.

Episcopus Segobricien. annorum 62., et atrophia laborans S. R. C. demisse supplicavit, pro facultate transferendi promotionem Ordinandorum ad Presbyteratum ad Dominicam proxime sequentem diem Ordinationum, licet numerus Ordinandorum non ascenderet ad numerum intentum in Rubrica.

Et S.R.C. Respondit: *Negative*. *Die 4. Julii 1705.*

3579. THEATINA PRAEEMINENTIARUM.

Per DD. de Valignanis Barones Oppidi Miglianici Theatinae Dioecesis, appositis octo ab hinc annis circiter nonnullis sedibus coraminis fixis intra Presbyterium Ecclesiae Parochialis ejusdem Oppidi, Emus, et Rmus Dominus cl. mem. Cardinalis Rodolovicus, Archiepiscopus Theatinus, ad tollendam inter praefatos Barones omnem controversiam, omnium sedium in praedicta Parochiali Ecclesia existentium amotionem indistincte demandavit. Cumque vigore hujusmodi mandati sedes fixa, quam Baro Caesar de Valignanis ab antiquo tempore, extra tamen Presbyterium ejusdem Ecclesiae pro usu suae matris retinuerat, cum aliis amota fuerit: hinc praetendente Caesare de Valignanis praedicto manutentionem in praeeminentia retinendi, ut supra, praefatam sedem; inter Baronem Caesarem, et Barones Antonium, Franciscum, et Justinum de Valignanis exortis controversiis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Card. Colloredo in relatorem datus infrascripta dubia inter Partes concordata resolvenda proposuit.

1. An Condominis Terrae Miglianici liceat retinere sedes camerales

coramineas fixas extra Presbyterium Ecclesiae Parochialis ejusdem loci? Et quatenus Negative.

2. An eisdem permittendae sint dictae sedes, sed amovibiles?

3. Quatenus Ecclesiae situs non sit capax pro omnibus; an, et cui debeatur praelatio?

Et S. eadem R. C., tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, censuit respondendum: Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *In casu, de quo agitur, loco sedium uti possint scamno unico omnes Combarones*.

Ad 3. *Relata*. *Die* 4. *Julii* 1705.

3580 PARMEN.

Super excessibus a P. Paita Abbate Monasterii S. Sepulcri Civitatis Parmen. Congregationis Lateranensis, in Processione SSmi Sacramenti die 27. Julii 1704. peracta, commissis circa usum ponticalium inter Episcopum, et Capitulum praedictae Civitatis ex una, et Abbatem dicti Monasterii S. Sepulcri ex altera partibus, controversiis exortis, eisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gabrielli super eisdem infrascripta dubia proposuit.

1. An licuerit P. Abbati Monasterii S. Sepulcri die Dominica 27. Julii celebrare completorium pontificaliter, et sub Baldacchino occasione successivae Processionis SSmi Sacramenti?

2. An occassione dictae celebrationis P. Abbas quoad assistentes, et inservenientes excesserit fines praescriptos in Decretis S. Congregationis?

3. An licuerit duobus Abbatibus ejusdem Religionis interesse in eadem functione super sedibus cum brachiis è conspectu Baldachini cum Rochetto discooperto, et superiori mozzetta nigra?

4. An licuerit dicto P. Abbati eodem die post completorium induto pontificaliter peragere Processionem SSmi Sacramenti extra Ecclesiam, et per totam Parochiam cum assistentia, seu interventu plurimorum Sacerdotum paratorum, ac cum Sacerdote assistente?

5. An occasione dictae Processionis licuerit dicto P. Abbati post se deferri facere per Clericum mitram cum velo?

6. An licuerit eidem P. Abbati in duobus Altaribus per viam erectis, et etiam in propria Ecclesia cum SSmo Sacramento trina Crucis productione Populo benedicere?

7. An licuerit dictis duobus Abbatibus interesse dictae Processioni pariter cum Rochetto discooperto, et superiori mozzetta nigra?

8. An occasione dictae Processionis in dictis Altaribus per viam erectis licuerit, et liceat eisdem duobus Abbatibus genuflectere super scamno cum tapete, et pulvinaribus ibidem existen. in casu ect.?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Dilata*.

Ad 4. *Dilata*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Dilata*.

Ad 8. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 22. Augusti* 1705.

3585. SUESSANA.

Episcopo Suessano S. R. C. dimisse supplicante declarare.

An Sacerdoti suae Dioecesis suffragentur literae patentales Commissariatus Reverendae Fabricae alterius Dioecesis, ita ut ipsi, sine incursu poenarum a proprio Episcopo non interessentibus comminatarum, liceat non intervenire Processioni SSmi Sacramenti; et an ipsi condemnato ad solutionem poenae, veniat ea restituenda, attentis literis patentalibus praedictis?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit: *Episcopum bene processisse, et ad D. Secretarium cum Oeconomo Reverendae Fabricae ad mentem*. *Die 22. Augusti* 1705.

3582. TUSCULANA.

Remissis ad S. R. C. ab Auditore SSmi controversiis inter Parochum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, et Patres Societatis Jesu Civitatis Tusculi ex altera partibus, super ingressu Ecclesiae Regularium, occasione funerum cum Stola, et Cruce, nuper exortis; super eisdem infrascripto dubio inter partes concordato ab Emo, et Rmo D. Card. Gabriello proposito, videlicet.

An liceat Parocho, et Canonicis occasione funerum ingredi Ecclesias Patrum Societatis Jesu cum Stola, et Cruce in casu etc?

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Affirmative unitim*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Augusti* 1705.

3583. VENETIARUM.

Positis Edicto, Regulis, et Instructionibus per Emum, et Rmum Dominum Card. Vicarium circa majorem cultum, et venerationem SSmi Viatici de ordine *S.M.Innocentii XII.* publicatis, prout continetur *in libello* Romae impresso *anno* 1701.; et seu, extra urbem, posito altero Ordinarii loci Edicto quoad normam dictarum regularum, certae solemnitates pro communione infirmorum jubentur cum earumdem subsequuta observantia in Civitate, et Parochiis: ex parte Patriarchae Venetiarum S. R. C. infrascripta dubia declarare demisse supplicatum fuit.

1. An, data distantia Ecclesiae Parochialis ab infirmo SSmo Viatico reficiendo, et proximitate Ecclesiae Regularium, quae sita est intra limites Parochiae, Parocho, vel illius Coadjutori urbane petenti Sacram Eucharistiam extrahere ab Ecclesia regulari praedicta, ut opportune consulat saluti spirituali infirmorum, liceat Regularibus ipsis, cujuscumque sint Ordinis, Instituti, vel Societatis, illam denegare sub motivo exemptionis, et privilegiorum? Et quatenus negative.

2. An in dicto casu Regulares ipsi teneantur praestare patientiam, ut exerceantur a Parocho in reditu ad Ecclesiam functiones praescriptae a Ri-

tuali Romano, et a praefatis Edictis respective pro majori veneratione SSmae Eucharistiae, quae peragere solet Parochus in propria Ecclesia, scilicet canere Hymnum. *Tantum ergo Sacramentum etc.*, thurificari, breviter hortari populum ad associandum Venerabile, Indulgentias publicare associantibus concessas, et denique populo benedicere?

3. An in dicto casu liceat Regularibus aliquas ex supradictis functionibus peragere, an vero ad Parochum omnes spectent?

4. An in dicta occasione Regulares teneantur aliquem actum venerationis exhibere erga SSmum Sacramentum in aedificationem, et populi exemplum, et an aliqui ex Regularibus teneantur comitari SSmam Eucharistiam, dum defertur ad infirmum, vel saltem obviam illi ire in reditu ad Ecclesiam ipsorum, et simul cum caeteris canere, et interesse functionibus supradictis?

5. An in dicto casu Regulares teneantur tam in exitu SSmae Eucharistiae ab eorum Ecclesiis, quam in reditu pulsare Campanas?

6. An ad pulsationem Campanarum teneantur caeteri Regulares, quando SSmum Viaticum non exit ab eorum Ecclesiis, sed tantummodo ante Regulares Ecclesias transit?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Non licere nec Regularibus, nec Presbyteris saecularibus etiam exemptis in casibus necessitatis tantum denegare*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam*.

Ad 4. *Non indigere responsione, cum S. R. C. satis fidat pietati Religiosorum*.

Ad 5., et 6., *ut ad* 4. Et ita declaravit. *Die* 22. *Augusti* 1705.

3484. ARETINA.

Praetendentibus Mansionariis tam Ecclesiae Cathedralis, quam Collegiatae S. Mariae Plebis Civitatis Aretinae, etiam ab eorum Capitulis disjunctis, praecedentiam in Processionibus funeralibus supra Parochos ejusdem Civitatis; hinc inter Parochos, et Mansionarios praedictos orta controversia super jure inter ipsos praecedendi, eaque ad S. R. C. delata, Emus, et Rmus Dominus Card. Rubini in Relatorem datus infrascripta dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An in Processionibus funeralibus debeatur Parochis praecedentia supra Mansionarios tam Ecclesiae Cathedralis, quam S. Mariae Plebis incedentes sine Canonicis, et Capitulo? Et quatenus Affirmative.

2. An eadem praecedentia debeatur Sacerdotibus vice Parochorum, et de eorum mandato intervenientibus in dictis Processionibus funeralibus?

3. An licitum sit Mansionariis Ecclesiae S. Mariae Plebis incedentibus, ut supra, absque Capitulo deferre pelles super brachio in Processionibus funeralibus.

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis plene informante audita, respondendum censuit.

Ad 1. *Praecedentiam deberi Parochis in casu, de quo agitur*.

Ad 2. *Negative, exceptis vice Parochis exercentibus jus Parochiale*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 12. *Septembris* 1705.

3585. CONIMBRICEN. INSIGNIUM.

Supplicantibus SSmo Domino Nostro Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Conimbricensis pro indulto deferendi nonnulla Insignia, supplicationeque ad S.R.C. remissa, hinc inter Dignitates, Canonicos, et Portionarios semicanonicos noncupat. ejusd. Eccl. Cathedral. exortis, seu potius veteribus controversiis super aequalitate habitus inter eosdem excitatis, Emus, et Rmus D.Card. Rubini in Relatorem, datus infrascripta dubia declaranda in eadem S. R. C. proposuit.

1. An Dignitatibus, et Canonicis, eorumque Coadjutoribus Capituli Conimbricen., ac etiam Portionariis, seu Semicanonicis nuncupat., et Tertionariis licuerit, et liceat, absque Indulto Sedis Apostolicae, deferre Insignia Canonicalia? Et quatenus negative.

2. An sint concedenda dictis Dignitatibus, et Canonicis, eorumque Coadjutoribus Insignia diversa a Portionariis semicanonicis nuncupat., ac Tertionariis: hoc modo videlicet. Quod Dignitates, et Canonici, eorumque Coadjutores deferant supra eottam mozzettam cum caputio coloris violacei a parte foris, et a parte intus coloris rubicundi: Portionarii vero, seu semicanonici, et Tertionarii deferant mozzettam sine caputio intus, et foris coloris nigri: In Adventu autem, et Quadragesima Dignitates, et Canonici, eorumque Coadjutores utantur cappa magna coloris nigri, cum caputio a parte foris coluris nigri, et a parte intus coloris violacei: Portionarii vero, seu semicanonici, et Tertionarii utantur cappa magna ab utraque parte intus, et foris coloris nigri.

Et S. eadem R. C., audita relatione Episcopi, Portionariis semicanonicis, et Tertionariis, licet citatis, minime comparentibus, respondendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Pro gratia cappae magnae, et Rochetti pro Dignitatibus, et Canonicis, et Coadjutoribus, expedienda tamen per Datariam*. *Die* 12. *Septembris* 1705.

3586. MARTIEN.

Ex parte David Fracassa Sacerdotis Doctoris in Sac. Theologia, et aliorum Sacerdotum partim in Sac. Theologia, et partim in utroq. jure laureatorum de Terra Petrellae Capadociae Martien. Dioecesis S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare.

An Sacerdotes Doctores praecedere debeant in processionibus, congregationibus, conferentiis, et aliis sacris functionibus peragendis, aliis Sacerdotibus in Sacerdotio antiquioribus non graduatis?

Et S. eadem R. C., inhaerendo aliis Decretis in similibus resolutis, et signanter *in Fossanen. Dubiorum die* 22. *Januarii* 1678. (2701.) respondit, *Negative*: Et ita in Terra Petrellae Capadociae Martien. Diaecesis servari mandavit. *Die* 12. *Septembris* 1705.

3587. TURRITANA.

Inter Archiepiscopum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Turri

tanae exortis controversiis super jure praetenso a Canonicis celebrantibus impertienli benedictionem Concionatori inter Missarum solemnia concionantem, eisque ad S. R. C. delatis, super eisdem ab Emo, et Rmo Domino Card. S. Clementis in Relatorem dato, infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An liceat Canonico Turritano solemniter celebranti impertiri benedictionem Concionatori Evangelico, quoties infra Missarum solemnia, non interessente Archiepiscopo, ascendit pulpitum praedicare, vel potius sufficiat unica benedictio impertita ab Archiepiscopo, dum illum eligit ad praedicandum? Et quatenus Affirmative quoad primam partem.

2. An liceat eidem Canonico impertiri praedictam benedictionem sedendo, vel potius stando in medio Altaris, antequam sedeat pro Concione audienda?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis audita, respondendum censuit: Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Provisum in primo*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 12. *Septembris* 1705.

3588. CONSENTINA.

Cum Festum S. Francisci de Paula sequenti anno 1706. incidat in Feriam sextam majoris Hebdomadae, Clerus Consentinus pro translatione ejusdem cum octava, tamquam de Patrono principali, et cum obligatione illud servandi, S.R.C. demisse supplicavit.

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D.Card.Gabrielli: *Quoad annum proxime futurum duxtaxat ad feriam secundam post Dominicam in Albis, sine tamen Octava, et cum obligatione illud servandi pro illis locis, in quibus servari solet, posse transferri*, benigne indulsit, atque concessit. *Die* 5. *Decembris* 1705.

3589. HILDESIMEN.

Pro parte Episcopi Titularis, et Suffraganei Hildesimen. infrascripta Dubia declarare demisse supplicatum fuit.

1. An liceat Episcopo titulari Suffraganeo uti Baldachino, dum Pontificalia exercet in suis Ecclesiis, et in exemptis Regularium ejus Dioecesis?

2. An uti etiam Baldacchino in Ecclesiis extra suam Dioecesim, de licentia tamen Ordinarii?

3. Et quatenus Affirmative: An dictum Baldachinum esse debeat constans, et fixum ita ut, peracta dicta functione, statim non debeat removeri?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: *Negative in omnibus*. Et ita decrevit. *Die* 6. *Martii* 1706.

3590. MONOPOLITANA.

Cum in Civitate Monopolitana Festum S. Francisci de Paula, quia de Patrono principali celebratur de praecepto; cumque hoc anno incidat in feriam sextam in Parasceve, per Vicarium Capitularem ejusdem Civitatis S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare.

An cum Officio transferendum veniat etiam praeceptum audiendi Sacrum?

Et S. eadem R. C. respondit: *Negative, et in feria sexta in Parasceve non teneri audire Sacrum. Die 20. Martii 1706.*

3591. RECINATEN. PRAEEMINENTIARUM.

Super usu Crucis argenteae, campanae, et paramentorum sacrorum, nec non super loco se parandi pro Missis privatis celebrandis inter Altaristas, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Recinaten. controversiis exortis, eis ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Card. Colloredus super iisdem infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Recineti conveniat distinctio, tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi pro Missis privatis respectu Altaristarum, aliorumque Sacerdotum eidem Ecclesiae addictorum?

2. An Campana major praefatae Ecclesiae, quae pulsatur pro convocando Capitulo dictarum Dignitatum, et Canonicorum, possit pulsari pro convocandis Congregationibus respicientibus negotia particularia dictorum Altaristarum?

3. An iidem Altaristae in associatione funerum sine interventu dicti Capituli possint uti Cruce argentea, quae de praesenti adest in Ecclesia, vel debeant uti alia Cruce inferiori dumtaxat?

4. An dicti Altaristae, vel alii inferiores ministri possint commodare aliis Ecclesiis vasa, et paramenta sacra, sive alia suppellectilia ad praefatam Ecclesiam Cathedralem spectantia?

Et S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit: Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Ad 4. *Servetur Decretum Episcopi.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 20. Martii 1706.*

3592. URBIS, ET ORBIS.

DECRETA GENERALIA CIRCA RUBRICAS.

Cum S. R. C. demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare

1. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit a S. Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum V. G. de SSmo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici; liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus Quadragesimae, Adventus, Vigiliarum, et quatuor Temporum, etiamsi de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

2. An dies impeditus festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici, vel semiduplici translato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a S. C., quod scilicet Festum duplex, vel semiduplex etiam

translatum, nec non dies Octavae sit dies impeditus respectu talium Officiorum?

3. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint addere nomen S. Fundatoris in Litaniis, et Confiteor, itemque recitare Officia, et Missas concessas aliis Religionibus?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Colloredi, respondit.

Ad 1. *Negative, et hujusmodi Indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec in feria secunda Rogationum, nec in illa feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicae.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Negative in omnibus.* Et ita decrevit, et servari voluit.

Ac insuper, ut declarationes, seu decreta praedicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. *Die* 20. *Martii* 1706.

3593. CENTUM CELLARUM.

Praefectis triremium Summi Pontificis praetendentibus a Fratribus Ordinis Capuccinorum earumdem triremium Cappellanis in principio, et post finem Missae salutari; ad consulendum propriae conscentiae Cappellani praedicti, quidquid ipsis in casu liceret, praescribere S. R. C. demisse supplicaverunt.

Et S. R. C. respondit: *Observetur Rubrica Missalis, et Caeremoniale. Die* 24. *Aprilis* 1706.

3594. CIVITATIS PLEBIS.

Episcopo Civitatis Plebis S. R. C. demisse declarare supplicante.

An Clerus saecularis, et regularis teneatur celebrare, quando recurrit, Missas Consecrationis Episcopi Anniversarias in tota Dioecesi?

S. eadem R. C. respondit: *Negative. Die* 24. *Aprilis* 1706.

3595. TRANEN.

Ex parte Ecclesiae Metropolitanae Tranen. S. R. C. demisse supplicatum fuit, dubium in infrascripto supplici libello contentum declarari.

,, Emi, e Rmi Signori: La Chiesa Cattedrale di Trani Oratrice Umña
,, dell' EE. VV. riverentemente le rappresenta, come nel Sinodo Provincia-
,, le celebrato nell' anno 1589., ed approvato dalla Sacra Congregazione del
,, Concilio, fù decretato nel secondo capo *de Reductione Missarum, et An-*
,, *niversariorum*, che in ogni Chiesa di tutta la Provincia si cantasse una
,, Messa di *Requiem* coll' Anniversario ogni giorno tanto feriale, quanto
,, semplice, semidoppio, e doppio minore, e si celebrasse una Messa
,, privata ogni Lunedì per tutti li Fedeli defonti per sovvenire in tal guisa al-
,, la povertà de' Sacerdoti, ed al suffragio de' defonti. E perchè questa Sa-
,, cra Congregazione de' Riti vieta il potersi cantare Messa di *Requiem* nei
,, giorni dei Santi doppj minori, eccettuati quelli soli Anniverssarj legati
,, dai Fondatori, e Testatori, e che cadino *in die obitus* ne' giorni festivi
,, de' Santi doppj minori; perciò l' Oratrice, che si trova aggravata dal

,, peso di far celebrare l' Anniversario ne' giorni suddetti di Santi doppj mi-
,, nori per la sua Costituzione sinodale, supplica umilmente questa Sagra
,, Congregazione a dichiarare, se, non ostante li Decreti della medesima
,, contrarj alla detta Costituzione, sia tenuta a far celebrare l' Anniversario
,, in detti giorni di doppio minore, aggiugendo, che oltre agli Anniversa-
,, rj quotidiani ascendenti al numero di 225., vi sono altri Anniversarii 225.
,, pervenuti alla detta Chiesa dopo la sopradetta Costituzione, ed annotati
,, nelle tabelle affisse nella Sagrestia della detta Chiesa. Che etc.

Et S. eadem R. C. respondit: *Teneri, non tamen Missas de Requiem, sed Missas currentes cum applicatione Sacrificii celebrare in hora diversa a conventuali, quae Missa conventualis erit etiam semper celebranda; et numquam omittenda*. Et ita declaravit. *Die* 24. *Aprilis* 1706.

3596. NULLIUS TERLITII, SEU JUVENACEN.

Per Vicarium Generalem *Terlitii Nullius, seu Juvenacen. Dioecesis* S. R. C. exposito: quod Moniales Monasterii S. Clarae Terrae praedictae in Dominica Palmarum, et feria sexta in Parasceve majoris Hebdomdae proxime praeteritae ausae fuerint, juxta morem Collegiatarum, et aliarum Ecclesiarum tam saecularium, quam regularium, in Missis solemnibus in earumdem Ecclesiis celebratis turbam repraesentantes cantare in Passione partem ad turbam spectantem, S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare.

An dictis Monialibus praedicta liceant? et quatenus negative: qua poena veniant puniendae?

Et eadem S. R. C. respondit: *Prohibeat sub poena suspensionis, et in posterum non permittat*. *Die* 17. *Junii* 1706.

3597. TRANEN.

Cum attenta non modica distantia Palatii Episcopalis ab Ecclesia Metropolitana Civitatis Tranen. invaluisset ibi, prout asserebatur ab Archiepiscopo, consuetudo, quod Archiepiscopo in solemnibus accedenti cum Mozzetta, et Rochetto ad Ecclesiam Metropolitanam praedictam, unus ex Dignitatibus, vel unus ex Canonicis gradatim ordine successivo ad januam ejusdem Ecclesiae acceptam e manibus familiaris ejusdem cappam pontificalem vel imponeret, vel reaptaret. De anno 1698. inter Archiepiscopum, et Canonicos praedictos exortis nonnullis controversiis, et praesertim super praetenso jure ab Archiepiscopo exigendi a praedictis Dignitatibus, seu Canonicis obsequium praedictum impositionis cappae ad Januam Ecclesiae Metropolitanae. Ista ab eo tempore ad plures annos siluit, donec iterum excitata, et ad S.R.C. nuper delata, infrascripto dubio per Emum, et Rmum D. Card. Barbarinum proposito.

An Canonici, vel Dignitates Cathedralis Ecclesiae Tranen. teneantur imponere, vel aptare Cappam magnam Rmo Archiepiscopo Cathedralem Ecclesiam introeunti in casu etc. et ad effectum etc?

S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Negative, et non teneri*. Et ita declaravit *Die* 17. *Julii* 1706.

3598. URBIS.

Indulta a S.R.C., referente Emo, et Rmo D.Card. S.Clementis sub *die* 13. *Augusti* 1701. Religiosis Minorum S. Francisci de observantia Provinciae Bethicae discalceatorum nuncupatorum facultate celebrandi singulis diebus Sabbati per annum Missam votivam de B. V. M., exceptis die Nativitatis, et Sabbatis Paschatis, et Pentecostes. Fr. Isidorus de Jesu Ordinis Minorum excalceatorum S. Francisci praedicti pro declaratione infrascripti dubii S. R. C. demisse supplicavit, videlicet.

An in Missa votiva de B.M.V., ut supra, celebrari concessa debeant dici Hymnus Angelorum, Symbolum Apostolorum, et unica Oratio?

Et S. eadem R. C., ad relationem ejusdem Emi, et Rmi D. Card. S. Clementis, respondit: *Servandas esse Rubricas de Missis votivis*. Et ita declaravit. *Die* 17. *Julii* 1706.

3599. URBIS, ET ORBIS.

Cum anno 1707. proxime futuro Festum S. Marci Evangelistae occurrat in feria secunda post Dominicam Resurrectionis, et similiter Festum Sanctorum Apostolorum Philippi, et Jacobi in Dominica in Albis, ac propterea, juxta Rubricas utrumque sit transferendum, quaesitum fuit a S.R.C.: Quodnam eorum debeat in translatione praeferri, et prius reponi?

Et eadem S. R. C., omnibus bene perpensis, referente Emo, et Rmo D.Card. Colloredo, censuit: *Praeferendum esse Officium S. Marci*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 17. *Julii* 1706.

3600. ORDINIS CAPUCCINORUM
PROVINCIAE LEODIEN.

Fr. Martinus ex Provincia, et conventu Leodiensi, Ordinis Capuccinorum, infrascripta dubia declarare Sac.Rit.Congr. demisse supplicavit.

1. In urbe Sabuletensi Clerus saecularis facit Officium duplex primae clas. cum octava 20. Januarii de S. Sebastiano Protectore Civitatis. Item etiam 2. Septembris de S. Romulo Episcopo, totius Patriae Patrono principali, ac insuper 17. Septembris de S. Lamberto Martyre, qui est Patronus principalis totius Dioecesis, seu Ecclesiae Cathedralis. Quaeritur: An Officium de dictis Patronis debite fiat sub eo ritu, et an possint Regulares eadem Officia celebrare sub eodem ritu, seclusa Octava?

2. In Ecclesia Leodiensi ex statuto dioecesano, et consuetudine immemorabili, quando Festum Annunciationis B. M. V. 25. Martii incidit in hebdomadam majorem, solet praefatum Festum una cum Officio anticipari ad Sabbatum praecedens, etiam quovis alio Festo impeditum, quod et fieri (sed non ita pridem) constitutum est, et consuevit de Festo, et Officio S. Joseph die 19. Martii, et hinc quaeritur: An Regulares, et qui sequuntur ritum Romanum, possint in dicta anticipatione tam quoad Officium, quam quoad festum se aliis conformare, prout hactenus semper fecerunt?

3. Usitatum est etiam in urbe Leodiensi ex statuto, et consuetudine immemorabili semper facere commemorationem omnium Fidelium defunctorum die 2. Novembris, quamvis incidat in Dominicam, quia sequens

est impedita per festum S. Huberti Episcopi, qui est Protector Civitatis, et Festum praecepti; unde quaeritur: An liceat Regularibus, et aliis, qui sequuntur ritum Romanum, Officium, et Missam defunctorum celebrare in Dominica, prout semper fecerunt, quotiescumque casus propositus contigit?

4. Solent Capuccini Conventus Leodien. ex consuetudine plusquam centum annorum facere Officium duplex majus de S. Servatio Episcopo 13. Maii, quia est Patronus principalis Parochiae, in qua morantur, et est Festum devotionis in Populo: quaeritur: An liceat praedictis Officium illud sub eo ritu continuare, ac etiam transferre in alium diem, dum contingit ab alio majori Festo impediri?

5. In Rubricis particularibus Breviarii Franciscani pro Fratribus minoribus de observantia, editi anno 1696., extat specialis constitutio num. 15. dictarum Rubricarum his verbis expressa = Quando autem plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita assignata censeatur in perpetuum pro die propria Festi translati respective = An haec Rubrica possit in usum deduci ab aliis alterius Congregationis Regularibus, ita ut censeri possit ab illis Festa perpetuo transferenda, fixa esse in perpetuum ad primam diem non impeditam?

6. Frequentes sunt in his regionibus Congregationes Monialium tertii Ordinis S. Francisci, quae vulgo Poenitentes Capuccinae nuncupantur, quia constitutiones Regulares amplexae sunt constitutionibus nostris omnino conformes, et habitum nostrum consimilem deferunt sine calceamentis, suntque Ordinariorum directioni subjectae: quaeritur: An praedictae Moniales non possint Divina Officia persolvere juxta Breviarium nostrum, communicando gratiis Congregationi nostrae concessis, quemadmodum illis communicant Moniales Capuccinae profitentes primam regulam S. Clarae? A qua communicatione si forsan excludantur, ad illam benigne admitti humillime postulant.

Demum quum in Conventu Capucinorum Leodiensium S. Michaelis nuncupat. habeantur Reliquiae insignes Sanctorum Martyrum Trevirensium, quorum memoria in Martyrologio Romano agitur 6. Octobris, quae dies cum ibidem sit impedita per octavam S. Michaelis propriae Ecclesiae Titularis, fiatque die sequenti de S. Brunone, humillime institum pro congrua dictarum Reliquiarum commemoratione, vel ad diem 17. Octobris, in qua recurrit semiduplex ad libitum, vel ad aliam diem proximam Officio novem Lectionum non impeditam assignari.

Et S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis, respondit.

Ad 1. *Dentur Decreta*.

Ad 2. *Serventur Rubricae*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Negative*.

Et tandem *Commemorationem Martyrum Trevirensium pro die* 31. *Octobris posse concedi* censuit. Et ita decrevit, ac declaravit. *Die* 28. *Augusti* 1706.

3601. FIRMANA FUNERUM.

Inter Patres Minores observantes S. Francisci Conventus Terrae Petritoli Firmanae Dioecesis, et Curatum, et Clerum saecularem Terrae praedictae, occasione Funerum, et exequiarum orta controversia, eaqua ad S. R. C. remissa, propositisque ab Emo, et Rmo D. Cardinali S. Clementis super eadem dubiis infrascriptis, videlicet.

1. An Parochi Terrae Petritoli, postquam cadavera associaverint ad januam Ecclesiae Patrum Minorum Observantium S. Francisci dictae Terrae, teneantur ab ea recedere, et stolam dimittere, nec se ingerere in Officiatura, vel potius liceat, et licitum sit eisdem Parochis assistere in eadem Ecclesia in decantatione Nocturni, et Laudis defunctorum super cadvere?

2. An Parochi praedicti dum pervenerint ad fores dictae Ecclesiae teneantur deponere Crucem in ipsa janua, vel possint eamdem collocare in Sacrario ejusdem Ecclesiae?

3. An quando cadaver reperitur depositum in Ecclesia tertia, Regulares teneantur tantum accedere ad Ecclesiam depositi, vel potius teneantur accedere ad levandum Parochum in Ecclesia Parochiali?

4. An, quando cadaver est sepeliendum in Ecclesia Regularium, si Parochus vocatus recusat accedere, vel alium mittere, Regulares possint ducere cadaver ad Ecclesiam etiam sine Parocho?

5. An vidua defuncta absque electione sepulturae sit sepelienda in sepulcro sui viri constructo in Ecclesia Regularium?

Eadem S. R. C. respondendum censuit. Ad 1., 2., et 3. *Ad Emum Archiepiscopum in omnibus pro concordia.*

Ad 4., et 5. *Affirmative.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 18. *Septembris* 1706.

3602. PARISIEN.

Fratre Humile Francisco Parisiensi Ordinis Capuccinorum in Gallia pro declaratione infrascriptorum dubiorum S. R. C. demisse supplicante.

1. An Sacerdos satisfaciat oneri celebrandi Missam de uno S. Martyre, cujus insignes, et approbatae Reliquiae asservantur religiosissime, et publico fidelium cultui expositae, sed de quo staltem nominatim Missam celebrare non licet, cum ejus nomen non legatur in Martyrologio Romano, si Sacerdos iste celebrat Missam de Martyribus generatim, et indistincte, sumendo Missas de communi plurium Martyrum, suppressis nominibus quorumcumque Martyrum in Orationibus? Sin vero hoc probetur: Quaeritur: quid agendum isti Sacerdoti in his casibus?

2. An Titularis Ecclesiarum dedicatarum sub titulo Sanctae Mariae Angelorum, id est Bmae Virginis, ut Domina, et Regina Angelorum, non sit Assumptio ejusdem Bmae Virginis, in qua ut Domina, et Regina Angelorum supra omnes eorum Choros exaltata est? Sin ita sit, quaeritur: Un-

denam sumendum Officium de Bma Virgine sub isto titulo, et quandonam persolvendum?

3. An in Ordine Fratrum Minorum quaedam Ecclesiae dedicatae sub titulo S. Mariae Angelorum, idest in memoriam miraculosae apparitionis Dni Nostri Jesu Christi, ac Bmae Virginis cum ingenti multitudine Angelorum B. Francisco in Ecclesia B. M. Angelorum primaria universi sui Ordinis, recte persolvant Officium de hocce suo Titulari, recitando 2. die Augusti cum toto hoc Ordine Officium Dedicationis hujusce primariae Ecclesiae de communi Dedicationis, cum lectionibus propriis in secundo nocturno de ista miraculosa apparitione? Sin ita videatur, quaeritur: Undenam sumendum Officium de hocce Titulari, et quandonam celebrandum?

4. An in Ordine etiam Fratrum Minorum quaedam Ecclesiae dedicatae secunda die Augusti, sicut primaria sui Ordinis Ecclesia, possint hocce eadem die, unoque Officio utramque simul Dedicationem celebrare, et in secundo nocturno recitare Lectiones, quae in Officio Dedicationis primariae Ecclesiae leguntur de praefata miraculosa apparitione?

5. An, occurrente eodem Evangelio Vigiliae omnium Sanctorum, et Officii Sanctorum Cosmae, et Damiani in hanc vigiliam transferendi, sufficiat in hoc casu sola commemoratio Vigiliae, sine 9. Lectione de ea? vel, an alterius mutandum Evangelium, et cujus nam, cum utrique apte conveniat? Et si vigiliae mutandum foret, unde nam sumendum?

Item: An in hac occurrentia dicenda sit in Missa istorum Sanctorum tertia Oratio *de Spiritu Sancto*, quae est secunda hujus Vigiliae, non vero 3 Oratio: *A cunctis*, cum in hac fieret etiam omnium Sanctorum memoria jam immediate ante facta in Oratione pro commemoratione Vigiliae?

6. An, sicut ex Decreto S.Congregationis dividendae sunt secundae Vesperae Officii dup. min. SSrum Angelorum Custodum cum primis Vesperis Officii sequentis etiam dup. min. de una Sancta Virgine, ita etiam in pari concurrentia Officii dup. maj. Apparitionis S. Michaelis Archangeli, cum Officio etiam dup. maj. de uno Sancto Confessore, dividendae sint Vespere? vel, an potius sola commemoratio sequentis, juxta Rubricas Generales tit. 11. num. 2., cujus hoc decretum videtur tantum exceptio firmans Rubricam, ideoque semper extat in Breviariis, ut in aliis concurrentiis observetur?

7. An ex duobus Festis translatis aequalis solemnitatis, possit priori extra totam suam octavam translato, praeferri posterius translatum, eo quod de hoc ultimo posset fieri Officium, vel in aliqua die infra suam Octavam, vel in ipsius die Octava? vel, an potius recitandum prius sit Officium de priori translato juxta decreta, S.C. 1696. 22. Decembris (3260.) ad firmandam Rubric. de translat. Fest. num. 7?

8. An in Officio defunctorum in die obitus dicenda sit etiam pro Sacerdote defuncto Oratio communis, *Absolve quaesumus Dne*? vel, an Oratio: *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes*? cum haec respective communis sit pro Episcopis, et pro Sacerdotibus, et in Caeremoniali Episcoporum notetur dicenda in Officio defunctorum in die obitus Episcopi. Item: An in hoc

Officio, et in Missa in die obitus pro Patre, vel Matre celebrandis, dicenda sit ab ipso celebrante Oratio : *Deus qui nos Patrem, et Matrem honorare etc.?* vel dicenda sit in Officio Oratio : *Absolve quaesumus Dñe etc.*, et in Missa : *Deus, cui proprium est misereri etc.* ?

9. An in Missis pro Anima in Purgatorio magis derelicta, vel graviores poenas subeunte, aut diuturniores subitura, vel citius a Purgatorio liberanda, dici possint cum speciali intentione pro hac Anima Orationes, quae leguntur in Missali pro pluribus defunctis? Non extant enim in Missali speciales Orationes pro istis singillatim Animabus, et an viri, aut faeminae sit haec Anima ignoratur.

10. An Fratres Minores in suis Ecclesiis, et Fratres, et Sorores saeculares tertii Ordinis S. Francisci in suis Cappellis, promereri possint Indulgentias a Summo Pontifice non pro ipsis tantum, sed pro omnibus generatim, et indistincte concessas, et quibusdam diebus in istis Ecclesiis, vel Cappellis assignatas, licet non visae sint ab Episcopo? et si hoc daretur : An in istis casibus titulus harum Indulgentiarum possit iis diebus, quibus assignatae sunt, exponi publice, non extra, sed intra has Ecclesias; vel Cappellas?

Eadem S.R.C., referente Eñio, et Rñio D. Card. S. Clementis, respondit. Ad 1. *Non licere praefatum onus suscipere, sed servandum omnino Decretum S. Congregationis* 11. *Augusti* 1691. (3097.),*et pro satisfactione oneris jam suscepti, celebrent Missam currentem cum applicatione Sacrificii ad mentem Benefactoris*.

Ad 2. et 3. *Pro meliori informatione*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Juxta votum : nempe quoad primam partem non immutandum, sed recitandum Evangelium, et respective Homeliam omnium Sanctorum; et quoad secundam partem recitandam esse Orationem Vigiliae, et tertiam* A cunctis *etc.*

Ad 6. *Detur Decretum in Gerunden.* 12. *Julii* 1704. (3544).

Ad 7. *Servandum Decretum S. Congregationis*.

Ad 8. *Serventur rubricae, et Rituale Romanum*.

Ad 9. *Relata*.

Ad 10. *Negative, sed Indulgentias esse legitime publicandas ad formam Concilii*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 18. *Septembris* 1706.

3603, THEATINA.

Ex parte Archiepiscopi Theatini S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare.

An permittendum sit Cancellario Civitatis Theatinae, in Coena Domini inter Sacra solemnia publico Civitatis sigillo obsignare Arcam, in qua repositum est Sanctum Domini Corpus, illudque sigillum sequenti die inter Sacra item solemnia publice inde auferre?

Et S. eadem R. C. respondit : *Negative*. Et ita declaravit 18. *Septembris* 1706.

3604. URBIS, et ORBIS.

Remissa a SSmo Domino Nostro Clemente PP.XI. ad S.R.C. discussione dubii.

An, occurrente Vigilia Nativitatis S.Joannis Baptistae in die Festo SSmi Corporis Christi, anticipato jejunio Vigiliae praedictae in diem 22. Junii, ad formam constitutionis 232. S. M. Urbani PP. VIII., debeat in Officio diei 22. Junii praedictae ejusdem Evangelii nona Lectio recitari, et in Officio, et Missa de eadem fieri commemoratio?

Eadem S.R.C., omnibus bene perpensis, et pluries consideratis, Emo, et Rmo Dño Card. Colloredo referente: *Nihil de Vigilia in Officio, et Missa peragendum*, censuit, *si SSmo Domino Nostro videbitur. Die* 18. *Septembris* 1706.

Et facta per me Secretarium de praedictis *SSmo Domino Nostro* relatione, Sanctitas Sua *benigne annuit die* 2. *Mensis Octobris ejusdem anni* 1706.

3605. URBIS, et ORBIS NOVUM MISSALE.

Cum novum Missale in Typographia S. C. de Propaganda Fide imprimi debeat, fuerunt super illius Rubricis nonnulla a pluribus dubia proposita, eaque tradita viris rerum Liturgicarum peritissimis examinanda, atque ab eisdem coram Emo, et Rmo Domino Card. Barbarino pluries congregatis, mature discussa, et quae praecipua visa sunt, et majoris momenti selecta, Supremo Tribunali, et judicio Emorum Congñis Sac. Rit. Cardinalium subiicienda, ac discutienda: An, et quae in Missali noviter imprimendo addenda, corrigenda, seu potius declaranda forent? Ideo de eisdem facta per supradictum Dominum Card. Barbarinum relatione in eadem S. R. C. habita in Palatio Apostolico Quirinali die 25. *Septembris* 1706., suffragantibus Emis Dominis, prodiit Resolutio.

1. Quaeritur: An cum in Festis principalibus Ordinum Religiosorum, et per eorum octavas dicatur *Credo*, dici etiam debeat a Sacerdote ejusdem Ordinis alibi celebrante, ut Missa conveniat cum Officio?

℟. *Nihil Immutandum.*

2. Quaeritur: Utrum in Missis votivis celebrandis infra octavam Nativitatis Domini, dicenda sit Praefatio eiusdem Nativitatis, vel potius expediat prohiberi hujusmodi Missarum celebrationem pro majori ritus solemnitate?

℟. *Prohibendas esse Missas privatas votivas, et defunctorum. In solemnibus vero pro re gravi dicendam esse Praefationem juxta Rubricam generalem tit.* 12. *num.* 4.

3. Quaeritur: An in Rubrica Feriae VI. in Parasceve, ubi dicitur, *immediate particulam sumit*: addenda sint verba: *facta genuflexione immediate particulam sumit.*

℟. *Negative.*

4. Quaeritur: An, quando occurrit translatio Sanctorum Philippi, et Jacobi post tempus Paschale, dicenda sit Missa cum Graduali, quod dicitur infra octavam Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli: *Constitues eos Prin-*

cipes etc. : et ℣. : *Pro Patribus tuis etc.*, et, an possit suppleri alio Graduali *Sanctorum Simonis*, *et Judae* ?

℟. *Affirmative quoad Graduale* Constitues, *cum ultimo Versiculo* : Tanto tempore vobiscum sum etc., *demptis* Alleluja, *et apponatur in Missali suo loco exemplo S. Hermenegildi*.

5. Quaeritur : An Feria tertia Rogationum dicenda sit secunda Oratio Dominicae ?

℟. *Negative*.

6. Quaeritur. Utrum in Missis infra Octavam B. Mariae, licet non concordet cum officio propter aliquod Festum occurrens, dicenda sit *Gloria in Excelsis*, ut dicitur in Sabbato ipsi dicato, et dicendum etiam sit *Credo* ?

℟. *Melius explicetur*, *et proponatur in alia Congregatione*.

7. Quaeritur : An, quando extra tempus Paschale transfertur Festum Sanctorum Martyrum Nerei, et Achillei, dicenda sit Missa ut in Festo Sanctorum Marci, et Marcelliani, vel Sanctorum Joannis, et Pauli, vel saltem Graduale, et ℣. *Haec est vera Fraternitas* ?

℟. *Affirmative*, *et desumantur Epistola*, *et Graduale*, *ut in Festo Sanctorum Gervasii*, *et Protasii*, *et cum* ℣. Haec est vera Fraternitas.

8. Quaeritur : Utrum in Missali corrigenda sint, quae diversa inveniuntur a Sacris Bibliis in principio Epistolarum, et in literis assignatis ?

℟. *Nihil innovandum*.

9. Quaeritur : Utrum in Rubrica Dominicae Palmarum, et Feriae sextae in Parasceve, exprimenda sit positio, et reassumptio Planetae, nempe in Dominica Palmarum additis verbis ante Lectionem §. postea Diaconus : *deposita Planeta plicata in loco solito*. Item §. interim dum cantatur Responsorium. *Diaconus, deposita Planeta plicata*, *et sumpta stola latiore*, *ponit Librum etc.* sicut in fine : qui et incensatur a Diacono, *postea resumit Planetam*. Simili modo in Feria 6. in Parasceve post primam Orationem §. Subdiaconus : *deposita Planeta plicata*, *quam resumit in fine Missae*, *et sumpta stola latiore*. Item §. postea Sacerdos solus in medio : postmodum Ministri Altaris *deposita etiam a Subdiacono Planeta plicata*, quam facta adoratione resumit ?

℟. *Negative*.

10. Quaeritur : Utrum in Rubrica Feriae sextae in Parasceve §. cum venerit Sacerdos ad Altare, ponendum sit, quod ad incensationem oblatorum incensari debeat etiam Crux ?

℟. *Nihil addendum*, *sed Decreta alias emanata apponantur post Rubricas generales in initio Missalis*.

11. Quaeritur : Utrum in Sabbato Sancto ad benedictionem Fontis dicendae sint junctis manibus Orationes, et Praefatio ?

℟. *Affirmative*, *nempe junctis manibus*, *et apponantur proprio loco*.

12. Quaeritur : Utrum in Rubricam tit. 4. num. 3. de Missis votivis, quae dici possunt pro arbitrio Sacerdotis, quando Officium non est duplex, vel Dominica, addendae sint octavae, vel alii dies, infra quos dici non licet, nempe Epiphaniae, Pentecostes, Paschatis, Corporis Christi, et in hebdomada majori ?

℟. *Jam provisum per Rubricas.*

13. Quaeritur: Utrum Festo Ss. Faustini, et Jovitae occurrente ante septuagesimam, in Missa ℣. *Alleluja* addendam sit : *Haec est vera Fraternitas* ?

℟. *Nihil innovandum.*

14 Quaeritur : Utrum in Missa S. Canuti mutanda sit Oratio secreta *Muneribus*, quae est B. M. V.?

℟. *Jam provisum per Rubricas.*

15. Quaeritur : Utrum, quando occurrit Dedicatio Basilicarum Salvatoris, et S. Petri infra octavam Dedicationis aliarum Ecclesiarum, assignandae sint aliae collectae, vel Orationes, vel sit omittenda commemoratio ?

℟. *Sumatur pro commemoratione alia Oratio de communi, nempe*, Deus qui in visibilibus etc., *et apponatur Decretum in principio Missalis.*

16. Quaeritur : Utrum in Rubrica tit. 11. de Symbolo, addendum sit, illud dici non debere in Missa de Rogationibus in die S. Marci, quando Festum cadit in Dominica ?

℟. *Imprimatur in principio Missalis cum aliis Decretis illud emanatum sub die 25. Septembris 1638. in una Mutinen.*(3021.).

17. Quaeritur : Utrum quando Festum Annunciationis B. M. V. transfertur, ad verba : *et incarnatus est etc.*, genuflectendum sit, sicut in die Festi ?

℟. *In die Translationis tantum, et apponatur Decretum cum aliis in principio Missalis.*

18. Quaeritur : Utrum, quando Processio majorum Litaniarum cadit in die Paschatis, facienda illa sit feria secunda, vel tertia sequenti ?

℟. *Exquirantur Decreta, et praesertim illud emanatum in una Galliarum sub die 19. Septembris 1665.*, (2193.), *et proponatur in alia Congregatione.*

19. Quaeritur. Quae sint Missae votivae, quae tit. 4. num. 3. Rubricae generalis dici possunt pro arbitrio Sacerdotis, quando Officium non est duplex, vel Dominica ?

℟. *Jam provisum per Rubricas generales.*

20. Quaeritur : Utrum cum in Festis principalibus Ordinum Religiosorum dicatur Symbolum, intelligenda sint sola Festa primae classis, an etiam secundae ?

℟. *Non spectare ad Missale Romanum, et serventur Rubricae Regularium.*

21. Quaeritur : An Missae Sanctorum, quae in Missali Romano omis-

sae sunt a Typographis, substitutis aliis Missis Sanctorum recentiorum, restituendae sint ad commodum illarum Ecclesiarum, in quibus sunt eorum Reliquiae, vel dicti Sancti sunt Titulares?

℟. *Negative*.

22. Quaeritur: An in benedictione incensi ad offertorium, ubi dicitur: *Per intercessionem B. Michaelis Archangeli stantis a dexteris Altaris incensi*, pro *Michaele* reponendum sit nomen *Gabrielis*, qui apparuit Zacca iae *stans a dexteris Altaris incensi*?

℟. *Nihil innovandum*.

Ex supradictis, *quae non inseruntur locis propriis, apponenda erunt cum aliis Decretis alias a S. R. C. editis, et usque ad praesens non appositis, in principio Missalis. Die 25. Septembris* 1706.

3606. FERENTINA.

Cathedralem Sanctorum Joannis, et Pauli Ferentinam nimis rudem, antiquatam, et absque laquearì constructam ex traditione anno salutis humanae, 1100., postmodum Capitulum, et Canonici anno 1693., et subsequentibus fornice decorarunt, interiores parietes a solo ad culmen emarginaverunt, columnas quasdam novo caemento circumvestitas glutinarunt, et dealbarunt, Cappellas laterales demolitas recenti studio aequali situ composuerunt, ita ut tota pars interior, et forma Ecclesiae non tantum restaurata, sed insimul renovata appareat.

Scripturae, Monumenta, Signum Crucis in pariete, et alia similia Consecrationem indicantia nullibi habeantur de tota Ecclesia, sed tantummodo de Ara majori anno 1576. die 29. Novembris, prout hujus memoria legitur in schedula apud Sanctorum fragmenta sub mensa ejusdem requiescentia.

Anniversarium tamen totius Ecclesiae sub fide majorum recolitur die 13. Junii, in qua pariter ad Ecclesiam Fratrum minorum S. Francisci solemniter celebratur Festum D. Antonii Patavini populo Civitatis, et finitimorum locorum propter affluentes nundinas ibidem adveniente, et Cathedralem non visitante, nec memoriam colente suae Dedicationis.

Quapropter Episcopus, Capitulum, et Canonici humiliter S. R. C. consuluerunt, et quaesierunt declarare.

An opportuniori tempore consecranda sit Cathedralis, et etiam Ara major ejusdem in die non impedita, ut Populus anniversariam Dedicationem possit recolere? Et quatenus *Negative*.

An saltem sit locus translationi Anniversariae solemnitatis, quae recolitur die 13. Junii ad aliam oportuniorem diem?

Et eadem S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Colloredi respondit: *Ecclesiam Cathedralem non indigere nova consecratione, sed tantum Altare majus; Festum vero dedicationis Ecclesiae posse transferri ab Episcopo ad aliam diem ab ipso designandam, et non amplius immutandam*. Et ita declaravit. *Die 27. Novembris* 1706.

3607. LUGDUNEN.

stiniani excalceati Conventus Lugdunensis Congregationis Galliae

S. R. C. demisse supplicantibus, prout in supplici libello tenoris, qui sequitur,

Emi, et Rmi Domini: Religiosi Augustiniani excalceati Ordinis S. Augustini Conventus Lugdunensis Congñis Galliae exponunt humiliter EE. VV., quod habent Ecclesiam, cujus titularis est S. Dionysius Areopagita, cujus Officium cum sociis fit in tota Ecclesia die 9. Octobris sub ritu semidup. Mos est apud illos celebrare Festum praedicti Sancti sub ritu dup. primae clas., relictis sociis Rustico, et Eleutherio, quorum Officium transfertur in primam diem non impeditam; et ita fieri posse existimant ex Rubr. Brev. Romani de occurrentia Festorum, sic dicente: *Si occurrat, ut Patronum, vel titulus Ecclesiae descriptus sit in Calendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono, vel Titulari absque commemoratione aliorum, qui, si in dicto Calendario descripti sint sub Officio duplici, vel semiduplici, transferantur in primam diem etc.* Plures ex dictis Religiosis dubitant, an hoc legitime fieri possit, et ratio dubitandi est, quia S. Dyonysius et Socii eadem die, eodem fere tormentorum genere simul passi sunt, ideo videtur, quod, cum in morte non sint separati, in celebratione quoque Officii, et Festi non sint separandi. Et pro majore securitate, et solutione Dubii recurrunt humillime ad EE. VV., ut declarare dignentur: An Officium S. Dionysii Titularis dictae Ecclesiae possit licite separari ab Officio sociorum, ut facere consueverunt? vel, an fieri debeat Officium S. Dyonisii simul, et Sociorum? Quam etc.

Eadem S.R.C. respondit: *Servetur Rubrica Breviarii Romani post tabellam de occurrentia §. si occurrat*. Et ita decrevit: *Die* 11. *Decembris* 1706.

3608. SEPTEMPEDANA.

Per Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Civitatis Septempedanae humiliter S. R. C. supplicatum fuit declarare.

An sit attendenda, quatenus adsit, consuetudo etiam longissima, quod per Diaconum paratum inservientem Missae solemni, et etiam Episcopo celebranti, thurificentur, post Magistratum, alii ex omni genere Personarum sedentes in scamnis inferioribus, vel prope, vel e conspectu dicti Magistratus?

Et eadem S. R. C. respondit: *Negative, et etiam non attenta immemorabili*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Decembris* 1706.

3609. ALIPHANA.

JURIUM, ET FUNCTIONUM PAROCHIALIUM.

Inter Confratres Confraternitatis S. Mariae Gratiarum Pedemontis Confraternitati Confalonis de Urbe aggregatae, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae S. Crucis Collegiatae, et Parochialis ejusdem loci Aliphanae Dioecesis super juribus, et functionibus Parochialibus, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gabrielli in Relatorem datus infrascripta dubia decidenda proposuit.

1. An confratribus Societatis saecularis S. M. Gratiarum Terrae Pedemontis liceat Processiones facere, et cum Sacerdotibus, et Clericis per oppidum, et praecise die 8. Septembris, absque licentia, vel interventu

Capituli Ecclesiae Collegiatae S. Crncis, penes quod residet jus Parochiale?

2. An in Processionibus, ac etiam in associatione cadaverum Praefectus, sive Cappellanus dictae Societatis, possit deferre Stolam?

3. An eisdem confratribus in functionibus supradictis liceat deferre Crucem inalberatam sine velo?

4. An Crux deferri debeat ante ipsos confratres, vel post illos ante Clerum?

5. An spectet ad Capitulum facere Officium funebre, et cantatio Missae super cadaveribus sepeliendis in Ecclesia dictae Societatis?

6. An eidem Capitulo debeatur quarta ex funeralibus, quae fiunt tam prima die post tumulatum cadaver, quam septima die?

7. An eidem Capitulo spectent candelae, et cerei, quae apponuntur in funere, et quae dantur prae manibus?

8. An in Ecclesia, seu Oratorio praedicto possint peragi functiones omnes Hebdomadae Sanctae, et praecise distributio Palmarum cum Processione ad januam Ecclesiae, absque licentia Capituli?

9. An liceat praedictis confratribus erigere campanilem in dicto Oratorio, seu Ecclesia in distantia decem palmorum, et ultra ab Ecclesia Parochiali? Et quatenus negative: An sic erectus sit removendus?

10. An liceat in eodem Oratorio unam, vel plures retinere campanas, et illam, seu illas pulsare tempore cantationis Missarum Parochialium?

11. An, excepta solemni Festivitate 8. Septembris, sit licita in eadem Ecclesia, seu Oratorio celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis absque licentia Capituli?

12. An liceat in dicta Ecclesia celebrare Missam seu lectam, seu cantatam ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam, et post pulsationem illius?

13. An in eadem Ecclesia, seu Oratorio retineri possit SSmum Eucharistiae Sacramentum?

14. An praedicta omnia, quatenus negative, dicti confratres peragere possint vigore aggregationis habitae a Venerabili Archiconfraternitate Confalonis Urbis in casu etc.?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, censuit respondendum. Ad 1. *Negative absque licentia Episcopi, et in reliquis provisum per Epistolam S. C. Episcoporum, et Regularium* 18. *Decembris* 1702.

Ad 2. *Negative ad formam Decreti.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Ante ipsos Confratres.*

Ad 5. *Affirmative.*

Ad 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Deberi quartam ex candelis, et cereis, qui apponuntur in funere, non autem de iis, quae dantur prae manibus.*

Ad 8. *Dilata*, *et melius explicent*.

Ad 9., *et* 10. *Non spectare ad hanc S. Congregationem*.

Ad 11. *Serventur decreta Generalia* (3521.).

Ad 12. *Ut ad proximum num.* 19.

Ad 13. *Negative*.

Ad 14. *Negative*,

Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Januarii* 1707.

3610. CONSENTINA.

Gaspar Veraldi Parochus Terrae S. Joannis in Flore Consentinae, Dioecesis S. R. C. demisse supplicavit declarare.

An ipsi liceat, et suo Clero in die Nativitatis Domini ob Officium Divinum, quod cantari solet in Choro in praedicta die, et aliis Festis Domini Nostri Jesu Christi, ad Primam solemniter cantare Martyrologium ordinatum cantari in vigilia, mutato colore, et hoc ob majorem solemnitatem ipsius, et sui Cleri?

Et S. R. C. respondit: *Non licere*, *et serventur Rubricae*. Et ita declaravit. *Die* 22. *Januarii* 1707.

3611. JANUEN.

Fr. Agabitus Concionator Capuccinus Januensis S. R. C. demisse supplicavit declarare.

An, si occurrat eodem die Officium SSmi Nominis Mariae cum Octava translationis S. Rosae Virginis Viterbiensis, debeat transferri Officium SSmi Nominis Mariae, et fieri debeat de Octava S. Rosae, cum posita sit in Calendario denuo edito in lucem?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio respondit: *Servetur Rubrica in tabella occurrentiae Festorum num.* 1. Et ita declaravit. *Die* 22. *Januarii* 1707.

3612. NEOCASTREN.

Inter Patres Capuccinos, et strictioris observantiae S. Francisci Civitatis Neocastri, eo sub praetextu, quod non liceret Patribus Capuccinis Simulacrum S. Antonii de Padua cum habitu eorumdem Capuccinorum retinere, exortis controversiis, eisque ab Auditore SSmi ad S. R. C. remissis, Emus, et Rmus Dominus Card. Gabriellus in relatorem earumdem controversiarum datus, infrascripta dubia declaranda proposuit.

1. An liceat Patribus Capuccinis Civitatis Neocastri retinere, processionaliter publice deferre, et respective publice exponere in propria, et in alienis Ecclesiis statuam S. Antonii in habitu capuccino?

2. An eisdem Patribus Capuccinis in publicis Functionibus Ecclesiasticis tam intus propriam Ecclesiam, quam extra, et in Processionibus tam publicis, quam privatis uti Vexillis, Velis, Palleolis, Planetis, Pluvialibus, vel similibus mobilibus, ubi sint depictae, sculptae, vel impressae Imagines S. Antonii cum habitu capuccino?

3. An eisdem Patribus Capuccinis subtus Imagines ejusdem S. Antonii, vel S. Francisci depictas, sculptas, vel impressas cum eorum habitu, et caputio tam intus Ecclesiam, et conventum, quam extra, et signanter

in parietibus, et frontespitio eorum Ecclesiae sint permittendae Inscriptiones indicantes illas esse effigies S. Antonii de Padua, et S. Francisci de Assisio cum veriori forma habitus ipsius S. Francisci, vel potius sint delendae, et cancellandae, et in futurum prohibendae in casu etc.?

Et eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque Parte informante audita, censuit respondendum. Ad 1., et 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Quoad primam partem Negative, et quoad secundam Affirmative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Januarii* 1707.

3613. TUDEN.

Cum in Dioecesi Tudensi tam circa validam erectionem Cappellarum, et Oratoriorum vulgariter Eremita nuncupatorum, quam celebrationem Missarum in illis, plura insurrexerint Dubia, Episcopus pro bono regiminae dictae suae Dioecesis pro infrascriptorum declaratione S. R. C. demisse supplicavit.

1. An in Ecclesia, Cappella, seu Oratorio publico noviter erecto Missa celebrari possit, antequam per Episcopum Ordinarium Loci visitetur per se, sive per alium?

2. An, recusante Episcopo in novo Oratorio publico, Cappella, seu Ecclesia, licentiam celebrandi Missam concedere, possit talis licentia per Judicem Appellationis concedi, dicta visitatione non praecedente?

3. An ultra Consecrationem, seu Benedictionem Ecclesiae, Cappellae, seu publici Oratorii, requiratur effectiva, et formalis Consecratio Altaris, seu Altarium, vel sufficiat sola Oratorii, Cappellae, seu Ecclesiae benedictio, etiam absque lapide consecrato, et cui incumbat onus probandi adesse in Altari talem lapidem consecratum, visitatione Episcopi deficiente?

4. An profanari possit per Episcopum, propter solam deficientiam ornamentorum?

5. An sit in arbitrio Episcopi, dote non existente congrua, neque ab eo approbata, Cappellam, Ecclesiam, seu publicum Oratorium, vel Fundatorem ad supplendum cogere, vel illam demoliri facere, maxime deficientibus ejusdem Fundatoris bonis?

Et eadem S. R. C., Emo, et Rmo Dno Card. Fabrono referente, respondendum censuit.

Ad 1., et 2. *Ad Sac. Congregationem Concilii*.

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem saltem circa Altare Portatile, negative quoad secundam; probationem vero spectare ad asserentem*.

Ad 4., et 5. *Ad Sac. Congregationem Concilii*. Et ita declaravit. *Die* 22. *Januarii* 1707.

3614. ORDINIS CAPUCCINORUM
PROVINCIAE LEODIENSIS.

Ex parte PP. Capuccinorum Provinciae Leodiensis pro assignatione dierum fixarum nonnullis festis Sanctorum S. R. C. demisse supplicatum fuit, prout in infrascripto supplici Libello.

Emis, et Rmis Dnis S. R. C. Cardinalibus: Cum placuerit EE. VV. die 28. Augusti 1706. (3600.) ad Dubia per nos Capuccinos Conventus, et Provinciae Leodiensis in partibus Germaniae proposita, negative respon-

dendo, declarare, nullatenus nobis esse licitum uti facultate, quae in Rubricis particularibus Patrum Observantium num. 13. concessa habetur, ut, quando plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus locis ita fixa occurrant, quod translatio alicujus, seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita assignata censeatur in perpetuum pro die propria Festi translati respective. Hinc iterum compellimur ab EE. VV. ea, qua par est humilitate supplicare, quatenus dignentur Festis quibusdam eadem die semper occurrentibus, et quorum proinde translatio debet apud nos esse perpetua, propriam, et fixam sedem benigne assignare. Sunt autem sequentia.

1. Die 13. Maii occurrit Trajecti Festum S. Servatii Episcopi, qui est Protector Civitatis cum Festo S. Petri Regalati: potestne dies immediate sequens pro ultimo assignari?

2. Die 10. Septembris occurrit Thudinii Festum S. Theodardi Episcopi, et Martyris, qui est Protector Civitatis, cum Festo S. Nicolai de Tolentino, suntque ab illa die reliquae omnes impeditae usque ad 23. Septembris, quae posset assignari pro ultimo.

3. Die 17. Septembris occurrit in tota Dioecesi Leodiensi Festum S. Lamberti Episcopi, et Martyris, qui est Titularis Ecclesiae Cathedralis cum Festo Sanctorum Stygmatum S. P. N. Francisci, quod sequenti die 18. semper celebratum fuit, quae dies cum sit iterum impedita per festum S. Thomae de Villanova, placeat EE. VV. huic ultimo, quod est minoris ritus, propriam diem assignare: prima autem non impedita erit 26. ejusdem mensis.

4. Sexta Octobris occurrit Leodii octava S. Michaelis propriae Ecclesiae Titularis, cum Festo S. Brunonis, et Stabuleti, et Malmundarii, occurrit Festum S. Brunonis cum Festo Sanctorum Martyrum Trevirensium, de quibus habentur insignes Reliquiae, possuntque unum, et alterum ex praedictis Festis in diem sequentem figi.

5. Die 10. Octobris occurrit Malmundarii Festum S. Gereonis martyris, qui est Protector Civitatis, cum Festo S. Francisci Borgiae, et prima post illam diem vacans est 29. Novembris.

6. Die 28. Octobris occurrit in Dioecesi Leodien. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis cum Festo Sanctorum Apostolorum Simonis, et Judae, potestque uni, aut alteri ex illis dies sequens assignari.

7. Cum autem Dedicationes Ecclesiarum nostrae Provinciae diebus Dominicis, iisque ut plurimum valde incongruis celebrentur, nos infrascripti Provincialis; et Definitores nostri demisse supplicamus EE. VV., ut dignentur unam, et eamdem diem assignare pro uniformi celebratione Dedicationis omnium Ecclesiarum hujusce Provinciae nostrae Leodiensis: dies autem ad hoc convenientissima videtur aut 26. Februarii, aut Dominica secunda post Pascha.

In pluribus Dioecesibus Galliae omnium fiunt Ecclesiarum Dedicationes eodem die, ut cum majori devotione, solemnitate, et uniformitate celebrentur, quam eamdem gratiam ab EE. VV. humiliter postulamus iisdem

de causis pro Dedicatione omnium Ecclesiarum nostrorum conventuum Provinciae Leodiensis, et, ut nunquam omittatur haec celebratio, ut non raro accidit, cum tempore, quo deberet celebrari Ecclesiae alicujus Conventus Dedicatio, saepe saepius fiant nostrae mutationes capitulares, et sic transeuntes Religiosi de conventu, in quo proxima est Ecclesiae Dedicatio, ad alium, in quo jam celebrata est, teneantur, ut se conformare possint aliis Religiosis in recitatione Officii illud Dedicationis omittere hoc anno, quod advenientibus iisdem mutationibus annis sequentibus, ut potest fieri, fere semper omittent.

8. Cum placuerit etiam EE. VV. eadem die 28. Augusti 1706. ad dubium per nos propositum: An liceat Regularibus, et aliis, qui sequuntur ritum Romanum, Officium, et Missam defunctorum celebrare in Dominica, prout semper fecerunt huc usque, juxta consuetudinem immemorabilem Civitatis Leodiensis, in qua fit commemoratio omnium Fidelium defunctorum die secunda Novembris, quamvis haec incidat in Dominicam, quia sequens dies est impedita per Festum S. Huberti Episcopi, qui est Protector Civitatis, et Festum praecepti? respondere: *negative*. Hinc iterum compellimur supplicare EE. VV., quatenus dignentur declarare nobis: An possit, et debeat differri dicta dies commemorationis usque ad 6. diem ejusdem mensis, cum diebus 3. 4. et 5. occurrant Festa quorum Officia fiunt sub ritu duplici; an vero possit, et debeat fieri die 4., qua occurrit Festum S. Caroli, quod non est de praecepto, quoties dicta dies Commemorationis incidit in Dominicam, et hac die non potest celebrari, nec die 3., ut supra dicitur: si hoc ultimum, tunc posset pro Festo S. Caroli assignari dies prima infra Octavam Sanctorum omnium non impedita.

9. Dies 31. Octobris assignata novissime ab EE. VV. pro die propria Festi Sanctorum Martyrum Trevirensium, quorum habentur Reliquiae insignes in Ecclesia Conventus nostri Leodiensis, occurrit Festum S. Wolfangi Episcopi, cujus Festum in tota Germania celebratur sub ritu duplici, suntque ab illa die 31. Octobris reliquae omnes impeditae usque ad primam Decembris, quae posset ab EE. VV. pro die praedicta Sanctorum Martyrum Trevirensium concedi.

Et eadem S.R.C., Emo, et Rmo Dno Card. S. Clementis referente, a primo usque ad Octavum inclusive respondit: *Negative*.

Ad 9. *Pro gratia*. *Die* 19. *Februarii* 1707.

3615. TRIVICANA.

Cum Episcopus Trivicanus in majori Hebdomada proxime elapsi anni non in Ecclesia Cathedrali, sed in Parochiali Terrae Castelli Olea Sancta consecraverit; hinc inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Trivicanae, et Presbyteros Terrae Castelli controversiis exortis, eisque ad Sacram Congregationem Concilii delatis, et ab eadem ad S. R. C. remissis, Emus, et Rmus Dnus Card. Caprara infrascripta dubia decidenda proposuit.

1. An Episcopus Trivicanus solitam consecrationem Oleorum Sanctorum in feria quinta in Coena Dni teneatur facere in Ecclesia Cathedrali?

2. An, dato, quod Episcopus propter aliquam canonicam necessitatem,

dictam Oleorum Sanctorum consecrationem faciat in aliqua alia Ecclesia Dioecesis, dicta Olea Sancta dispensari debeant in Ecclesia Cathedrali Parochis totius Dioecesis?

Et S. eadem R. C., ex parte Capituli Cathedralis informantibus tantum auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Teneri in Cathedrali*, *cessante legitimo impedimento*.

Ad 2. *Affirmative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 19. *Februarii* 1707.

3616. FLORENTINA.

Ex parte Monialium Ordinis S. Augustini Civitatis Florentiae S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare.

An Cappellani, seu Confessarii earumdem Monialium, quibus a S. R. C. indulta est facultas celebrandi Missas Sanctorum, de quibus ipsae Moniales recitant Officia, dummodo tamen utantur Missali Romano, licite celebrare possint Missas proprias Sanctorum Ordinis S. Augustinii superadditas a Typographis Missali Romano, et quae in eodem reperiuntur impressae, absque licentia S. R. C?

Eadem S. R. C. censuit respondendum: *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 2. *Aprilis* 1707.

3617. RAVENNATEN.

FUNCTIONUM ECCLESIASTICARUM.

Inter Vincentium Anastasium Fusconium, Parochum Ecclesiae S. Rochi, et Confraternitatem, et Confratres S. Caroli Civitatis Revennae, super jure peragendi Functiones Ecclesiasticas non Parochiales exorta controversia, eaque ad S. R. C. delata, Emus, et Rmus D. Card. Fabronus in relatorem datus in frascriptum dubium decidendum proposuit.

An Functiones Ecclesiasticae non Parochiales, explendae in Oratorio Confratrum S. Caroli in suburbiis Civitatis Ravennae, spectent ad Parochum S. Rochi dictae Civitatis, seu potius ad Confratres dicti Oratorii, mediante eorum Cappellano, vel Canonico Protectore, absque licentia dicti Parochi in casu etc?

Et eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit: *Functiones*, *de quibus agitur*, *spectare ad Parochum privative quoad Confratres*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 2. *Aprilis* 1707.

3618. TERRACINEN.

Cum S. R. C. in causa Terracinen. Praecedentiae inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae, et Parochos Terrae Priverni super dubio.

An in associatione funeris alicujus defuncti ad aliquam Ecclesiam Parochialem, in qua Archipresbyter, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae cum proprio Parocho defuncti simul conveniunt, praecedentia danda sit proprio Parocho, vel potius Archipresbytero, et Canonicis dictae Collegiatae in casu etc? Referente, Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis responderit non citatis, nec auditis Parochis ad favorem Capituli: *Dentur Decreta*: et successive, per Parochos obtenta nova audientia sub die 21. Martii 1705. *dila-*

ta, *et probetur consuetudo* (3566.) In praesentiarum ab eodem Emo, et Rmo Dno Card. S. Clementis reproposito eodem supradicto dubio.

S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Affirmative quoad primam partem; Negative vero quoad secundam, in casu etc.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 2. Aprilis* 1707.

3619. TROJANA.

Episcopus Civitatis Trojae S. R. C. demisse supplicavit infrascripta dubia declarare.

1. An, praesente, vel absente Episcopo, debeant a Concionatoribus Magister, Juratus, et Electi Foggiae salutari in principio concionis cum titulo Illmi?

2. An eodem modo debeant Capitulum, et Canonici Ecclesiae Collegiatae ejusdem Terrae salutari cum titulo Rmi?

Et S. R. C. censuit respondendum: *Servandum esse omnino Decretum in Capuana alias editum* (3396.). Et ita declaravit. *Die 2. Aprilis* 1707.

3620. BAREN.

Pro parte Confraternitatis SSmi Rosarii Terrae Aquaevivae Baren. Dioecesis, S.R.C. demisse supplicatum fuit declarare.

An, obtenta licentia Archiepiscopi peragendi Processionem SSmi Rosarii extra claustra prima Dominica Octobris, teneatur obtinere alteram Parochi?

Et S. eadem R. C. respondit: *Negative*. *Die* 14. *Maii* 1707.

3621. BONONIEN.

S.R.C., Joanne Baptista Testonio demisse supplicante infrascriptum dubium declarari.

An concurrente in 2. Vesperis Festo Sanctorum Angelorum Custodum cum altero Festo aequalis ritus, Festo Angelorum Custodum debeantur integrae secundae Vesperae?

Eadem S. R. C. respondit. *Servetur Rubrica Breviarii Romani tit. X. num.* 2. Et ita declaravit. *Die* 14. *Maii* 1707.

3622. OSTUNEN.

Ad supplices instantias Vicarii Capitularis, Capituli, et Canonicorum Cathedralis, et Abbatissae Monasterii S. Petri Civitatis Ostuni, facta relatione in S. R. C. de omnibus, quae die SSmae Paschatis Resurrectionis D. N. J. C. proxime praeteritae in Ecclesia Monialium Ordinis S. Benedicti Monasterii S. Petri Civitatis Ostuni inter Abbatissam ejusdem Monasterii, et familiares Ducis dictae Civitatis evenerunt, et quae iidem familiares gesserant occasione genuflexorii dicti Ducis per ipsos intra Presbyterium collocati, nec non de innovationibus factis in Cathedrali, post obitum Episcopi Melazzi, per Ducem praedictum quoad locum pro sede ducali ipsi alias assignatum.

Eadem S. R. C. censuit. *Laudandam esse Abbatissam, reponendam sedem in loco alias a S. R. C. in Cathedrali assignato, et in posterum*

ubique non esse permittendum genuflexorium in Presbyterio. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 14. *Maii* 1707.

3623. PARISIEN.

Propositis ab Emo, et Rmo Dno Card. S. Clementis die 18. Septembris 1706. (3602.) ad instantiam Fr. Humilis Francisci Parisini ex Provincia, et majori conventu Parisiensi, Ordinis Capuccinorum quamplurimis dubiis, cum S. R. C. super secundo, et tertio rescribendum censuerit *pro meliori informatione*: revocatis in praesentiarum ad trutinam praedictis dubiis non resolutis, nempe.

2. An Titularis Ecclesiarum dedicatarum sub titulo S. Mariae Angelorum, idest Bmae Virgini ut Dominae, et Reginae Angelorum non sit Assumptio ejusdem Bmae Virginis, in qua ut Domina, et Regina Angelorum supra omnes eorum Choros exaltata est? Sin ita sit: Quaeritur: Undenam sumendum sit Officium de Bma Virgine sub isto titulo, et quandonam persolvendum?

3. An in Ordine Fratrum Minorum quaedam Ecclesia dedicata sub titulo S. Mariae Angelorum, idest in memoriam miraculosae apparitionis Dni Nostri Jesu Christi, ac Bmae Virginis cum ingenti multitudine Angelorum B. Francisco in Ecclesia S. Mariae Angelorum primaria universi hujus Ordinis, recte persolvant Officium de hocce suo Titulari, recitando secunda die Augusti cum toto hoc Ordine Officium Dedicationis hujusce primariae Ecclesiae de communi Dedicationis cum Lectionibus propriis in secundo nocturno de illa miraculosa apparitione? Sin ita videatur: Quaeritur: Undenam sumendum Officium de hocce Titulari, et quandonam celebrandum?

Eadem S. R. C., eodem Emo, et Rmo Dno Card. Sancti Clementis referente, respondit.

Ad 2. *Celebrandum Festum S. Mariae Angelorum in die Assumptionis cum Octava ejusdem*.

Ad 3. *Provisum in secundo*. Et ita declaravit. *Die* 14. *Maii* 1707.

3624. SENARUM.

Magistris Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Senensis S. R. C. demisse supplicantibus declarare.

An super Altare, in quo SSmum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?

Eadem S. R. C. respondit: *Numquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi apposita collocationem*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 14. *Maii* 1707.

3625. BRACHAREN.

Ex parte Magistrorum Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Bracharen. S. R. C. infrascripta dubia declarare demisse supplicatum fuit.

1. An, occurrente Festo duplici in Sabbato quatuor temporum, Missa, in qua conferuntur Ordines Generales, esse debeat de Festo: an de temporibus?

2. An in Missa pontificali non cantata, cum ministris tamen non paratis, in qua conferuntur Ordines, debeat Archiepiscopus pro tempore, in fine

benedicere Populum cum Cruce ante se? An ex eo, quod sine Cruce benedicat, accipere debeat Mitram ad benedicendum?

3. An in Missa, in qua uni tantum confertur Ordo Subdiaconatus, aut Diaconatus, debeat promotus Subdiaconus cantare Epistolam, et Diaconus Evangelium, ut fit in ordinationibus generalibus?

4. An quoties Episcopus sedens cum Mitra, admonensque Ordinandos, debeat baculum in manu gestare, cum Pontificale solum loquatur in admonitione Presbyterorum?

5. An Clerici tertiarii saeculares professi tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia, recitare possint horas canonicas, juxta Breviarium in Urbe impressum de anno 1703. ad usum Fratrum trium Ordinum S. Francisci de Poenitentia professorum clastralium, omisso Calendario Romano?

Et S. R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Negative quoad primam partem: Affirmative quoad secundam.*

Ad 2. *Citra approbationem Missae cum Ministris, et non cantatae, cum in Ordinationibus generalibus debeat Episcopus benedicere solemniter habens ante se Crucem; Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Servetur Pontificale Romanum, ut jacet.*

Ad 5. *Negative, nisi habeat Indultum extensionis Privilegiorum.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 27. Augusti* 1707.

3626. BRACHAREN.

Archiepiscopo Bracharen., et Episcopis Coimbrien., et Portugallen. S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicantibus, nempe.

1. An Abbates, Priores, Guardiani, et alii Religionum Praelati possint benedicere Paramenta, et Vasa Sacra ad usum propriarum Ecclesiarum?

2. Utrum benedicere possint Vasa, in quibus sacra unctio adhibetur pro servitio tam propriarum Ecclesiarum, quam etiam saecularium? Et quatenus negative.

3. An eadem Paramenta, et Vasa Sacra sint denuo benedicenda, et respective consecranda, et quomodo providendum?

Eadem S. R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Quoad primam partem quoad habentes usum Pontificalium, Affirmative, quo vero ad non habentes usum Pontificalium, Negative. Et quoad secundam partem Negative.*

Ad 3. *Negative.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 27. Augusti* 1707.

3627. SUTRINA PRAECEDENTIAE.

Inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae Brachiani Sutrinae Dioecesis Benedictum Coletti anteriorem in ordine Sacerdotali, et Michaelem Angelum Nardini posteriorem in ordine, et anteriorem in possessione Canonicatus, exortis, super jure praecedendi in Choro, controversiis, eisque quoad praecedentiam ab Auditore SSmi S. R. C. remissis, Emus, et Rmus D. Card.

Caprara in Relatorem datus infrascripta dubia inter Partes concordata declaranda proposuit.

1. An Canonicus Sacerdos praecedere debeat Canonicum Diaconum, seu Subdiaconum anteriorem, habentem possessionem tam in stallo, quam in omnibus aliis functionibus intra, et extra Ecclesiam?

2. An Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus anteriorem habens possessionem, promotus postea ad Sacerdotium, praecedere debeat Canonicum Sacerdotem ordine Sacerdotali anteriorem?

Et eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 27. *Augusti* 1707.

3628. BITUNTINA.

Capitulum Bituntinum S. R. C. humiliter exposuit: Primo, quod antiquitus ab immemorabili celebrabat Officium Consecrationis Ecclesiae sub die 4. mensis Maii, et cum anno circiter 1679. Episcopus in altera die, quae ignoratur, consecrato Altare majore ejusdem Ecclesiae, transtulerit idem Officium consecrationis ad diem primam Septembris contra Decreta S.R.C., demisse supplicavit declarare.

1. An dicta translatio debeat substineri, vel potius remitti in praedictam diem 4. Maii?

2. A Regia Majestate Reginae Poloniae nuper fuisse donatum ipsi Capitulo Corpus integrum S. Victoris Martyris una cum Authentica Emi, et Rmi D. Card. Vicarii, asserentis extractum ex caemeterio Callisti: et cum S. R. C. non esse celebrandum Officium alicujus Sancti ratione Reliquiae insignis, non constito de identitate ejusdem, decreverit, humiliter etiam declarare supplicavit.

An possit celebrari Officium S. Victoris praedicti die 15. Decembris, cum in Martyrologio Romano plures reperiantur SS. Martyres ejusdem nominis, et diversis diebus?

Et eadem S. R. C, ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Gabrielli, respondendum censuit.

Ad 1. *Negative quoad primam partem, et Affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 1. *Octobris* 1707.

3629. NOVARIEN.

In Vicariatu Gaudiani Novarien. Dioecesis, occasione Congregationum, seu conferentiarum casuum conscientiae, super praecedentia, necnon super modo in iisdem interessendi inter Parochos ex una, et Joannem Baptistam Soldinum Vicarium Foraneum, et Hieronymum Horighettum Curatum, et Canonicos ejusdem loci ex altera partibus, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, super eisdem Emus, et Rmus D. Card. Gabriellus infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An Canonico Vicario Foraneo, et Canonico Curato insignis Collegiatae Gaudiani Novarien., quorum neuter in eadem Collegiata est Praepo-

situs, nec capitulariter ad Congregationes casuum conscientiae accedit, competat usus Almutiae, in casu etc?

2. An, et quae praecedentia dictis Canonico Vicario Foraneo, et Canonico Curato debeatur in praefatis Congregationibus, in casu etc?

3. An in peragendis ejusdem Congregationibus Vicarius Foraneus teneatur subire onera aliorum Parochorum per turnum, in casu etc?

Eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Deberi Vicario Foraneo praecedentiam in casu, de quo agitur, supra omnes Congregatos, et Canonico Curato juxta antianitatem suae Curae ad formam Statuti*.

Ad 3. *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 10. *Decembris* 1707.

3630. ROMANA.

S.R.C. Archipresbytero Carolo Bartholomaeo Piazza demisse supplicante pro declaratione.

An inter functiones magis principales, et solemnes in Caeremoniali praescriptas compraehendatur Festum Dedicationis nuper in Collegiata S.Mariae in Cosmedin. de Urbe celebrari introductum, et propterea: An ad ipsum Archipresbyterum spectet praedicto die Festo celebrare?

Eadem S. R. C., ad relationem Eiñi, et Riñi Domini Card. Gabrielli, censuit: *Celebrationem Missae solemnis, et Officii pro Festo Dedicationis Ecclesiae S. Mariae in Cosmedin ab Archipresbytero esse peragendam*. Et ita declaravit. *Die* 10. *Decembris* 1707.

3631. SQUILLACEN.

Cum S. R. C., referente Eiño, et Riño Domino Card. Gabriellio controversiis exortis inter Capitulum Ecclesiae Collegiatae, et Clerum ex una, et Monasterium, et Monachos S. Joannis Theresti Ordinis S. Basilii Oppidi Styli Squillacen. Dioecesis ex altera parte die 22. Junii 1703. (3506.). super secundo Dubio, nempe.

An dicti Monachi teneantur accedere ad alias Processiones extraordinarias, quae pro aliquo bono publico fieri acciderent in eodem Oppido, etiam cum delatione Reliquiarum S. Joannis Theresti, quae servantur in Ecclesia eorumdem Patrum; talique casu debeatur praecedentia Clero saeculari etiam in atrio Monasterii? responderit: *Quoad primam, et tertiam partem, Affirmative, quoad secundam vero partem, Negative, idest dictos Monachos non posse compelli ad deferendas in publicis Processionibus Reliquias S. Joannis Theresti; Quod si istae Reliquiae deferantur, deferri debeant a Monacho incedente in loco digniori Processionis*.

Cumque in praesentiarum ex parte praedictorum Monasterii, et Monachorum Ordinis S. Basilii demisse S. R. C. expositum fuerit, quod Reliquiae S.Joannis Theresti, cum existant in quadam mole lignea ab uno Monacho deferri nequeant, et propterea eidem S. R. C. humiliter supplicatum ad tollendas ulteriores controversias benigne declarare: An in casu propo-

sito debeatur Monacho cum pluviali dignior locus, ac si Reliquias propriis manibus gestaret?

Et eadem S. R. C., ad relationem ejusdem Emi, et Rmi Dni Card. Gabrielli, respondit: *Monacho Pluviali induto incedenti in Processione prope Reliquias S. Joannis Theresti, deberi locum digniorem, seu eum debere incedere ultimo loco*. Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 10. *Decembris* 1707.

3632. CLUSINA.

Contra praescripta in Decretis S. M. Alexandri PP. VII. de anno 1659. edita, Abbate S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis retinente, prout assertum fuit, in sua Ecclesia Cathedram fixam, et permanentem cum tribus gradibus, non simplici serico panno, sed pretioso ornatam, seu coopertam, nec non utente mitra pretiosa, et baculo pastorali absque velo, et accedente ad peragenda Pontificalia cum associatione totius sui Cleri.

S. R.C., apud quam Episcopus Clusinus super praemissis pro aliqua providentia demisse supplicans conquestus fuit, censuit respondendum: *Secretario ad mentem, et mens fuit, quod omnino serventur Decreta S. M. Alexandri VII*. Et ita decrevit. *Die* 10. *Martii* 1708.

3633. NOLANA.

Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Nolae S.R.C. pro facultatibus expressis in infrascripto libello porrecto supplicantibus; videlicet.

„ Emi, et Rmi Signori: Il Capitolo della Cattedrale di Nola tiene „ molti obblighi di soddisfazioni di Messe cantate, quali chiamano Anni- „ versarj, che si sodisfano successivamente ancora nei giorni, che corro- „ no li Santi doppj, benchè non sarebbero li giorni proprj Anniversarj, „ con cantarsi la Messa *de die anniversaria pro defunctis*, e tuttociò a „ riguardo della moltiplicità degli obblighi, che non potrebbero sodisfarsi „ integralmente, se non si celebrassero anche in detti giorni di Santi dop- „ pj, e parendo, che non possa ciò farsi senza licenza espressa dell' EE. „ VV., pertanto, affinchè l'Anime de' Testatori non patiscano alcun detri- „ mento col ritardo de' suffragj, supplica umilmente l' EE. VV. per l'op- „ portuna licenza, e facoltà. Che etc.

S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Gabrielli, censuit respondendum: *Lectum; Et si Missae de Requiem sint Anniversaria cantentur in illis diebus, quibus defuncti sunt pii Institutores, etiamsi in illis diebus celebrentur Officia sub ritu duplici; Quod si dictae Missae de Requiem non sint Anniversaria, aut non constet de diebus, quibus illi mortui sunt, plures Missae de Requiem cantentur in illis diebus, in quibus celebrantur Officia sub ritu simplici, vel semiduplici, nunquam tamen pro iisdem applicari poterunt Missae Conventuales*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 10. *Martii* 1708.

3634. URBIS.

Occurrente die festo ad libitum S. Laurentii Justiniani infra Octavam Dedicationis Ecclesiae S. Andreae Domus Probationis Societatis Jesu, et propterea, non valentibus ullo unquam tempore PP. Societatis Jesu praedictae officium dicti S. Laurentii Justiniani recitare; Rector ejusdem Domus

Probationis pro facultate illud recitandi prima die non impedita post Octavam diei Festi Consecrationis Ecclesiae S. Andreae suprarecensitae S.R.C. demisse supplicavit.

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Caprara, Oratori *gratiam petitam, quibuscumque in contrarium non obstantibus, posse concedi* censuit. *Die* 10 *Martii* 1708.

3635. PRATEN.

JURIUM PAROCHIALIUM.

In causa Jurium Parochialium inter Vincentium Xistum Trojani Parochum Ecclesiae S. Petri Forelli, et Confraternitatem Montis Pellegrini nuncupatam, ab Emo, et Rmo D. Card. Gabriellio infrascriptis Dubiis propositis: nempe.

1. An Confraternitas possit erigere propriam Crucem, quoties defuncti Parochiae S. Petri Forelli tumulandi afferuntur ad Oratorium Confraternitatis, seu potius ista erigi debeat a proprio Parocho?

2. An possit Parochus super cadavere exposito in Oratorio Confraternitatis, infra limites suae Parochiae existente, Officium funeris peragere, et Missam solemnem celebrare privative quoad Cappellanos Confraternitatis?

3. An Confratribus liceat tollere, vel sepelire cadavera defunctorum reperta in viis dictae Parochiae, vel suorum Parochianorum ubicumque sint, immediate absque licentia Parochi, quocumque titulo, etiam tenendi ea loco depositi, non expectato termino viginti horarum ab Urbano VIII. fel. rec. assignato, vel saltem trium ab Ordinario in sua sententia anni 1649. praescripti?

4. An Confratres vocati ad deferenda, et sepelienda cadavera, debeant convenire in Ecclesia Parochiali, vel in propria domo defuncti?

5. An Parochus possit cogere Cappellanum Confraternitatis, ut in sua Ecclesia diebus Festis Missam celebret horis assignatis, et post Missam Parochialem?

Et eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, respondendum censuit. Ad 1. *Dilata*.

Ad 2. *Affirmative ad formam Decretorum generalium*.

Ad 3. *Negative, non servato termino ab Ordinario praescripto*.

Ad 4. *Affirmative quoad primam partem, Negative vero quoad secundam*.

Ad 5. *Serventur Decreta generalia ad n.* 19. (3521.). Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1708.

3636. SULMONEN. PRAEEMINENTIARUM,

Remissa ab Auditore Smi ad S. R. C. Causa Sulmonen. Praeeminentiarum super competentia juris celebrandi Missas solemnes in certis particularibus diebus, ac perfungendi omnes alias primarias functiones Ecclesiasticas, absente, ac impedito Archipresbytero, inter Cajetanum Cocco Archipresbyterum Parochialis Ecclesiae Sancti Eustachii, et Paulum Tarulli Curatum ejusdem Ecclesiae Campi Jovis Sulmonen. Dioecesis verten., Emus,

et Rmus Dnus Card. S. Clementis, in Relatorem datus, infrascripta dubia in eadem causa proposuit.

1. An celebratio Missarum in Ecclesia Parochiali Campi Jovis in Aurora Nativitatis Domini, in secunda festivitate ejusdem Nativitatis, ac Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, nec non in Feria 3. hebdomadae majoris, spectet privative ad Curatum, vel Archipresbyterum titularem ejusdem Ecclesiae, in casu etc?

2. An, impedito, vel absente Archipresbytero ejusdem Parochialis Ecclesiae, omnes functiones Ecclesiasticae peragendae sint per Curatum, vel potius idem Archipresbyter possit substituere, in casu etc?

Et S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus auditis, respondit. Ad 1. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 2. *Prout ad proximum.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1708.

3637. BRACHAREN. DUBIORUM.

Ex parte Magistrorum Caeremoniarum Ecclesiae Bracharen. S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicatum fuit.

1. An Episcopus palmas benedicens, et Missae assistens, debeat legere Epistolam, et Evangelium = *Cum appropinquasset* = vel = *Altera autem die* = post Passionem, vel utrumque?

2. An Celebrans, et Ministri debeant stare, vel sedere capitibus coopertis, vel nudis, dum Episcopus distribuit palmas, cineres etc?

3. An Episcopus assistens paratus, vel cum Cappa Missae Palmarum, cum non possit stare dum tota Passio cantatur, debeat sedere coopertus, vel genuflectere?

4. An Canonici, et Assistentes Episcopo parati, et illum ad Altare comitantes in Pontificalibus, debeant omnes procedere cooperti, vel nudis capitibus?

5. An Episcopus celebrans tertiam Missam Nativitatis in Pontificalibus debeat genuflectere ad *Verbum caro factum est*, quando legitur Evangelium, vel quando stat, dum Diaconus illud canit?

6. An possit Episcopus Missam votivam celebrare de Spiritu Sancto, vel aliam pro eligenda Abbatissa Conventus suae Jurisdictionis, licet ipsa dies sit duplex, vel Dominica?

Et eadem S. R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Negative tam ex praxi Cappellae Pontificiae, quam ex praescripto Caeremonialis Episcoporum.*

Ad 2. *Debent sedere.*

Ad 3. *Non debet sedere, neque genuflectre, sed stare, et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem Missae.*

Ad 4. *Ratione habita paramentorum, posse procedere per Ecclesiam coopertis Capitibus, et ideo Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 5. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Ad 6. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1708.

3638. BRIXINEN.

Fr. Cyriacus Aller Ord. Min. strictioris observantiae S. Francisci in Provincia S. Leopoldi in Tyrolis Vicarius, ac moderator Chori in Conventu S. Crucis Oeniponti Dioecesis Brixinensis S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicavit.

1. Cum Festum BB. Petri Baptistae, et Sociorum Martyrum Ordinis Minorum dup. secundae classis., quod alias in Ordine nostro die 5. Februarii celebrari solet, in hac autem Dioecesi Brixinen. perpetuo impediatur a Festo dupl. 1. clas. Sanctorum Ingenuini, et Albuini Episcoporum, qui dictae Dioecesis sunt Patroni magis principales: Ideo quaeritur: Utrum Festum Beatorum Martyrum nostrorum debeat, aut possit celebrari 6. die Februarii, non obstante, quod ista dies de facto ex Decreto istius S. C. 12. Julii 1664. in Calendario Franciscano approprietur tamquam propria Sedes S. Agathae V. et M.? Et si ita: Quonam die postea fixe celebrandum erit Festum semidup. S. Agathae? Quod si autem Festum Beatissimorum Martyrum nostrorum transferri debeat; quaeritur: An non perpetuo transferendum sit in diem 16. Februarii, ex hac ratione, quod omnes alii dies apud Fratres Minores supradictae Dioecesis impediantur Festis novem Lectionum?

2. Rubricae particulares novi Breviarii Seraphici num. 109. vi Decreti istius S. C. 30. Septembris 1679. praescribunt, quod, translato Festo, pro quo concessa est Indulgentia, minime transferatur ipsa Indulgentia: Quaeritur propterea: An haec dispositio valeat etiam pro festis perpetuo translatis, num vero pro iis festis tantum, quae in uno, vel altero anno contingunt transferri?

3. In novo Breviario Seraphico legitur, quod Festum B. Pii V. Papae, et Conf. semidup. ad libit. recitari concessum sit tantum in quibusdam certis locis, quia vero hoc ipsum Festum in antiquiori Breviario Seraphico reperitur positum inter alia Festa ad libitum, universaliter concessa, de quibus juxta Rubricas particulares novi Breviarii Seraphici num. 10. et 175. Fratribus Minoribus licet recitare Officium, et propterea etiam a Sacerdotibus saecularibus Dioecesis Brixinensis celebrari solet. Dubitatur proinde: An non praedictum Festum etiam a Fratribus Minoribus nominatae Dioecesis celebrari possit?

4. Cum SSmus Dnus noster Clemens Papa X. die 4. Dec. 1675. benigne concesserit, ut in omnibus Terris Romano Imperatori subiectis Festum B. M. V. de Monte Carmelo celebrari possit singulis annis die 16. Julii, seu alio die infra octavam sub ritu dup. secundae clas. cum Officio, et Missa propria, sed diversa ab illo Officio. et Missa, quibus ex ejusdem Summi Pontificis concessione utuntur subditi Regis Hispaniarum: Propterea quaeritur primo: Quando dies 16. Julii non impeditur alio Festo novem Lectionum: Utrum praedictum Festum a subditis Imperatoris debeat necessario celebrari die 16. Julii? vel: An pro libito possit celebrari quocumque alio die infra octavam, sive iste dies per aliud Festum novem Lectionum sit impe-

ditus, sive non? Quaeritur secundo: Utrum Imperatoris subditi debeant uti Officio, et Missa, quae concessa fuerunt pro Imperio; vel, an etiam possint uti Officio, et Missis concessis pro Hispania?

Et eadem S. R. C., referente Emo, et Rmo Domino Card. Gabrielli, respondendum censuit. Ad 1. *Festum Beatorum Martyrum Petri Baptistae, et Sociorum celebrandum perpetuo die 16. Februarii*.

Ad 2. *Quoad perpetuitatem translationis, ut ad proximum; quoad Indulgentias non transferri, translato Officio, sed exorandus SSmus pro concessione*.

Ad 3. *Sine speciali concessione, Negative*.

Ad 4. *Ad primum quaesitum, quoad primam partem Affirmative; quoad secundam partem Negative: Ad secundum quaesitum quoad primam partem pariter Affirmative, quoad secundam partem Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 16. Junii 1708.*

3639. PARISIEN.

Patribus Superioribus Ordinis Capuccinorum Provinciae Parisiensis S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicantibus.

1. An quando fit officium de S. Maria in Sabbato secundum Rubricas Breviarii num. 8., et quando apud Fratres Minores fiunt per annum officia de Corpore Christi, de immaculata Conceptione Bmae. Virginis, et de B. P. Francisco, si celebrentur Missae votivae, non habentes Praefationem propriam, debeat in iis dici Praefatio de eo, cujus fit officium, scilicet Praefatio vel de Nativitate Christi, vel de B. Maria, vel de S. Francisco, vel, an dici debeat Praefatio de tempore, alioquin communis?

2. An sit licitum celebrare in Vigilia Epiphaniae Missas privatas de defunctis, cum etiam possint celebrari similes Missae infra octavam Nativitatis Christi die, in qua fit officium Dominicae vacantis, videtur etiam, quod possint celebrari in Vigilia Epiphaniae, in qua etiam recitatur officium Dominicae vacantis; si non sit alia ratio, ob quam tali die haec Missae de defunctis prohibeantur?

3. Cum ab hac S. R. C. emanaverit hoc Decretum, scilicet. Regulares in ipsa Civitate degentes tenentur in posterum ad celebrandum Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cum officio duplici secundae class., non tamen cum octava; dubitatur: An per haec verba: *in ipsa Civitate degentes*: illi tantum veniant degentes in Civitate, in qua est Ecclesia Cathedralis, an etiam illi, qui degent in aliis ejusdem Dioecesis oppidis, quae vulgo in Gallia Civitates nuncupantur?

Eadem S. R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Servetur Rubrica Generalis tit. 12. num. 4.*

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative quod primam partem; Negative quoad secundam*. Et ita declaravit. *Die 16. Junii 1708.*

3640. AQUILANA JURIS PULSANDI CAMPANAS.

Inter Ecclesiam Cathedralem Civitatis Aquilae, et Ecclesias Collegia-

tarum S. Justae, et S. Mariae Paganicae ejusdem Civitatis; super jure pulsandi campanas pro convocandis Presbyteris, et Capitularibus ad divina officia, seu horas canonicas celebrandas, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Card. Gabrielli infrascripta Dubia super eisdem decidenda proposuit.

1. An liceat Capitulis Collegiatarum Civitatis Aquilae, et praesertim Collegiatae S. Justae, pulsare campanas pro vocandis Presbyteris, seu Capitularibus, ad effectum celebrandi divina officia, seu potius ad dictum effectum unice attendendus sit sonitus campanarum, quas vocant *squilla*, et *squillone* Cathedralis Ecclesiae S. Maximi Civitatis praedictae, a quibus omnes regulari debent, et tenentur, in casu etc?

2. An liceat Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Paganica Civitatis Aquilae pulsare proprias campanas pro convocandis Presbyteris, ad effectum celebrandi divina officia, non expectato sonitu campanarum Cathedralis S. Maximi dictae Civitatis, quas dicunt *squilla*, et *squillone*, seu potius expectari debeat sonitus dictarum campanarum Cathedralis per integram primam mediam horam, ita ut postea tantum, et donec sit expletum signum Cathedralis, liceat dictae Collegiatae pulsare campanam, quam vocant *la squilla*, et dicitur *alla stesa*, in casu etc?

Et eadem S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit: Ad 1. *Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam partem*.

Ad 2. *Servetur solitum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 4. *Augusti* 1708.

3641. PARMEN.

Ex parte Guardiani, et Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Civitatis Parmen. S. R. C. demisse supplicatum fuit, infrascripta Dubia declarare.

1. An, exposito SSmae Eucaristiae Sacramento, in vesperis liceat thurificare Confratres Confraternitatis *del cordone di S. Francesco*?

2. An, exposito, ut supra, publicae Venerationi Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, liceat post thurificatum ad *Magnificat* Altare, thurificare etiam Altare S. Francisci, ac ipsius Statuam ab Altari disjunctam?

Et eadem S. R. C. ad utrumque censuit respondendum: *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit, *Die* 4. *Augusti* 1708.

3642. PICENA.

Marco Antonio Nardo Piceno S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicante, videlicet.

An diebus, in quibus fit de Festo duplici, cum non possit dici Missa de Requiem, nisi praesente cadavere, cantata Missa de Sancto, possit fieri in fine hujus Missae absolutio circa lecticam collocatam in plano Ecclesiae, canente Choro: *Libera me Dñe etc.*?

Et S. R. C. respondit *Negative*. Et ita decrevit. *Die* 4. *Augusti* 1708.

3643. ALERIEN.

Episcopo Aleriensi S.R.C., prout in infrascripto supplici libello, demisse supplicante.

„ Eñi, e Rñi Signori. Essendo permesso a' Padri Minori osservanti „ in virtù de' loro privilegj ascrivere al terzo Ordine di S. Francesco qualsivoglia Persona, pretendono quelli di Campoloro Diocesi d'Aleria in „ Corsica, che li Preti a dett' Ordine ascritti possino lasciare l'Uffizio del „ Calendario Romano, e dire quello dell' Ordine Francescano, e così nelle „ Domeniche, e giorni feriali recitare l' Uffizio de' Santi proprii dell' Ordine, „ come sin' ora hanno molti pratticato.

„ E perchè tal pretenzione espressamente ripugna alle risoluzioni, e „ e decreti di questa Sacra Congñe, con li quali viene deciso il contrario; „ Raffaele Raggi Vescovo d'Aleria per ragione del suo Ufficio ha stimato riprendere detti Religiosi, ed altri ascritti al detto terz'Ordine, affinchè abbiano a recitare l' Uffizio solito del Calendario Romano. Ma stimando „ che possa riuscire di maggior efficacia, e profitto l'espresso commando „ dell' EE. VV.; il medesimo supplica umilmente questa Sacra Congregazione di comandare *per viam legis* universalmente a tutti gli ascritti al terz' „ Ordine, che non possino recitare altro Uffizio, che quello corrente del „ Calendario Romano sotto le pene ad arbitrio dell' EE. VV.. Che etc.

Eadem S.R.C. censuit respondendum. *Dandum esse Decretum in Bracharen. Dubiorum, seu Rescriptum super quinto dubio die 27. Augusti 1707. emanatum* (3625.) *nempe*.

An clerici tertiarii saeculares Professi tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia recitare possint horas Canonicas juxta Breviarium in Urbe impressum de anno 1703. ad usum Fratrum trium ordinum S. Francisci, et uti Calendario Fratrum tertiae Regulae S. Francisci de Poenitentia Professorum claustralium; omisso Calendario Romano?

S. R. C. respondit: *Negative, nisi habeant indultum extensionis Privilegiorum*. Et ita in Civitate Aleriensi servari mandavit. *Die pñia Septembris* 1708.

3644. CAMERINEN.

Occasione funerum inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis, ejusque Parochum, et Fratres Minores Conventuales Ecclesiae S. Angeli Civitatis Camerini, controversiis exortis, Eñus, et Rñus Dominus Card. Caprara in Sac. Rit. Congñe infrascriptum Dubium inter partes concordatum decidendum proposuit.

An liceat Parocho Cathedralis Camerinen., occasione associationis defunctorum ad Ecclesiam Regularium, deposito feretro ante limina Ecclesiae, preces consuetas recitare?

Et eadem S.R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit: *Non licere, et amplius proponi* vetuit. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 1. *Septembris* 1708.

3645. FAVENTINA.

P. Priore, et Fratribus Ordinis S. Augustini Civitatis Faventiae S. R. C.

pro declaratione Dubii in infrascripto supplici libello contenti demisse supplicantibus.

„ Emi, e Rmi Signori: Il Priore, e Padri Agostiniani del Convento di
„ S.Giovanni Evangelista della Città di Faenza umilmente espongono all'EE.
„ VV., siccome la loro Chiesa resta obbligata di far celebrare ogni Venerdì
„ dell' anno una Messa cantata in suffragio del quondam Angelo Catena, e
„ perchè in tal giorno molte volte in detta Chiesa si recita l' Uffizio di qual-
„ che Santo doppio, restano gl' Oratori in dubbio, se debbano cantare la
„ detta Messa del Santo corrente, oppure de *Requiem*, ancorchè l' Ufficio
„ sia doppio, ovvero anticiparla, o posporla; Pertanto supplicano l' EE.
„ VV. a volere determinare quello sia più espediente per l' adempimento di
„ detto Legato, e per quiete delle loro coscienze. Che della grazia etc.

Eadem S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. de Abdua, respondit: *Satisfaciendum cum applicatione Missae solemnis de die*. Et ita declaravit. *Die* 1. *Septembris* 1708.

3646. BONONIEN.

Occurrentibus 3. Maii in Ecclesia Fratrum Capuccinorum Civitatis Bononiae festo Inventionis S. Crucis, quae est titulus Ecclesiae, et Dedicationis ejusdem, petitum fuit ab iisdem fratribus Capuccinis per S. R. C. sequentia Dubia declarari.

1. An de Titulari, de Inventione scilicet S. Crucis, seu potius de Dedicatione Ecclesiae occurrente eadem die celebrandum sit Officium?

2. De quonam debeant esse secundae Vesperae ipsa die tertia: de eo, de quo celebratum est Officium, vel potius de sequenti, seu a Capitulo, vel cum sola commemoratione de antecedenti, vel de sequenti festo?

3. Ne ullum eorumdem duorum festorum tam solemnium privetur debito cultu: An satius sit consulere Emum Ordinarium pro assignanda alia sede fixa festo Dedicationis, ut possit celebrari cum debita solemnitate, et ejus octava?

Et eadem S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. S. Clementis, censuit respondendum. Ad 1. *Esse celebrandum Officium Inventionis S. Crucis cum integris Vesperis, juxta Rubricam* 11. *Breviarii de Concurrentia Festorum num.* 2.

Ad 2. *Jam provisum*.

Ad 3. *Arbitrio Emi Archiepiscopi pro assignatione alterius diei nunquam imposterum immutandae*: Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 26. *Novembris* 1708.

3647. PRATEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

In Causa Jurium Parochialium inter Vincentium Xystum Trojani Parochum Ecclesiae S. Petri Forelli Civitatis Praten., et Confraternitatem Mortis, et Orationis, vulgo *del Pellegrino* ejusdem Civitatis vertente, reproposito ab Emo, et Rmo Domino Card. Gabriellio primo Dubio, super quo die 28. Aprilis proximi praeteriti fuit dilata resolutio, (3635.) nempe.

An Confraternitas possit erigere propriam Crucem, quoties defuncti

Parochiae Sancti Petri Forelli tumulandi efferuntur ad Oratorium Confraternitatis, seu potius ista erigi debeat a solo Parucho?

Eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis informantibus partibus auditis, respondit: *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1708.

3648. ASCULANA.

Inter Sacerdotem Joannem Andream Castellottum, nuper de Canonicatu Ecclesiae Collegiatae Terrae Offidae Asculanae Dioecesis provisum, et Clericum Remigium Cataldum Canonicum antiquiorem ejusdem Collegiatae super jure praecedendi controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Card. Caprara infrascripta Dubia inter Partes concordata decidenda proposuit, nempe.

1. An Joannes Andreas Castellottus Canonicus Sacerdos insignis Collegiatae Terrae Offidae, in qua Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, possit, et debeat tam in Choro, quam in omnibus aliis functionibus, Capitulo, Processionibus, voce, et caeteris praerogativis, ac praeeminentiis etc. non solum in d. Collegiata, sed etiam extra praecedere Canonico Remigio Cataldo simplici adhuc Clerico, licet antiquiori in receptione, et possessione sui Canonicatus, non obstante quavis forsan praetensa consuetudine dictae Ecclesiae Collegiatae? Et quatenus *Affirmative*.

2. An dictus Canonicus Cataldus Clericus, statimac fuerit effectus Sacerdos, possit petere, et adipisci reintegrationem adversus ipsum Canonicum Castellottum posteriorem hodie in receptione, et possessione, sed antiquiorem Sacerdotio?

3. An praerogativae praeeminentiae, et praecedentiae supra dictum Canonicum Remigium Cataldum simplicem Clericum, competant dicto Canonico Castellotto, etiam uti asserto J. V. Doctori, in casu etc.?

Et eadem S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus Informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 2. *Martii* 1709.

3649. AQUILEJEN.

Monialibus Monasterii S. Nicolai Utini Aquilejen. Dioecesis S.R.C. demisse supplicantibus, prout exponitur in infrascripto supplici Libello.

„ Emi, e Rmi Signori: Le Monache di S. Nicolò di Udine Diocesi d'A-
„ quileja dell'Ordine di S. Francesco, hanno per commando delle loro co-
„ stituzioni l' obbligo preciso di fare l' Uffizio de' Santi della loro Religione,
„ e quelli pure del Calendario Diocesano di Aquileja. Sono però oggidì arri-
„ vati a tanto gran numero li suddetti Santi, che non è possibile il farê l'uffi-
„ zio di tutti in un' anno, nè tampoco aggiustarla col trasferirli, perchè
„ s' incontrano subito con tanti dell' entrante anno nelli giorni proprj, che
„ rende un infinita confusione, a tal segno, che nel caduto mese di Decem-

,, bre 1707. si avevano da fare quelli del Maggio precedente . Ricorrono ,, perciò umilmente le dette Monache all' EE. VV., supplicandole a determinare quello parerà più proprio, per levare le confusioni, e render loro possibilitata un' Ufficiatura uniforme all' intenzioni di questa Sagra Congregazione, bramando dare ai Santi tutto l'onore, che si può, ed ubbidire esattamente a quanto si deve. Che etc.

Eadem S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. de Abdua, censuit respondendum: *Juxta votum Patriarchae, nempe recitationem Officiorum sui Ordinis praeferri debere*. Et ita declaravit. *Die* 2. *Martii* 1709.

3650. QUITENSIS.

Cum in Hispaniarum, Indiarumque Ecclesiis mos invaluerit, ut Sacerdotes utantur superpelliceis oblongas manicas habentibus, cumque in Ecclesia Quitensi, ex regula consueta, Canonicis praescriptum sit, ut in aliquibus peculiaribus casibus, in quibus majorem reverentis animi significationem praeseferre debent, manicas e scapulis deponant, et circa brachia obvolvant; Episcopus Quitensis electus nuper Quamageusis S. R. C. infrascripta Dubia demisse supplicavit declarare.

1. An easdem manicas depositas, ac brachiis intortas habere debeant Canonici etiam intra Chorum, quando Venerabile Sacramentum publicae adorationi est expositum?

2. An idem servandum sit, cum Cantica tam Zachariae vulgo *Benedictus*, tum B. Virginis, seu *Magnificat*, tum Simeonis *Nunc dimittis* recitantur, et toto eo tempore, quod in ipsis modulandis insumitur, manicae depositae habendae sint?

3. Tandem: An, Episcopo ad Ecclesiam accedente, et Canonicos, honoris causa ad ipsum excipiendum obviam euntibus, idem mos deponendi a scapulis manicas servandus sit, easque sic depositas habeant usque dum Episcopus ad locum in Choro sibi destinatum perveniat?

Et eadem S. R. C. in omnibus respondendum censuit *Affirmative*. *Die* 2. *Martii* 1709.

3651. CAMERINEN.

Petro Riposati Terrae Plebis Faveriae Plebano Camerinen. Dioecesis S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicante, nempe.

1. An liceat in exequiis parvulorum, praesente, vel non praesente cadavere, cantare Missam solemnem, vel dicere Missam planam votivam de Angelis?

2. An collecta Ssmi Sacramenti in expositione 40. horarum, vel quando dicitur in omnibus tertiis Dominicis mensis, dici debeat primo loco post Orationem Missae currentis, vel ultimo loco post alias Orationes?

3. An, translato aliquo festo, debeant pulsari campanae eodem ritu, quo debuerant pulsari in ipsa die festi, in qua cadit officium?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Servetur Rubrica Ritualis Romani*.

Ad 2. *Servandum esse, quod praescribitur in novissimo folio Instructionis pro publica oratione* 40. *horarum, de mandato SSmi Domini Nostri anno* 1705. *edito num.* 10. §. Nell' Altare, *si agitur de Missa solemni; si autem agitur de privata, habetur pariter in eisdem folio, et numero* §. Non si celebrino, *et quomodo regulari debeat Collecta, de qua agitur juxta praescriptum Rubricae, quae est octava in ordine tit. de Commemorationibus*.

Ad 3. *Si festum transferatur quoad Chorum tantum, Negative; si transferatur quoad Chorum, et Forum, Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Martii* 1709.

3652. CATANIEN.

Guardiano, et Patribus Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci Conventus oppidi Caltagironis in Sicilia S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicantibus, videlicet.

An, incidente die festo S. Antonii de Padua infra octavam Corporis Christi, possit peragi Processio solemnis S. Antonii praedicti, dicta die non impedita aliis Processionibus?

Et S. R. C. in casu, de quo agitur, censuit respondendum: *Affirmative*. Et ita decrevit. *Die* 23. *Martii* 1709.

3653. CAMPSANA.

Inter Primicerium Josephum Cardone, et Archipresbyterum Josephum Sansonum Ecclesiae Matricis Terrae Colliani Campsanae Dioecesis de anno 1706., renovata antiqua controversia super jure peragendi nonnullas functiones Ecclesiasticas, eaque in S. R. C. delata, Emus, et Rmus Dominus Card. Gabrielli infrascripta dubia decidenda proposuit.

1. An celebratio Missae solemnis in diebus Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et in die festo SSmi Corporis Christi, spectet privative ad Archipresbyterum? et quatenus *Affirmative*.

2. An, absente eo, vel impedito, possit alium in sui locum ad libitum subrogare, seu potius hujusmodi celebratio fieri debeat privative a Primicerio, vel a Presbytero hebdomadario?

3. An celebratio Missarum in secundis feriis, videlicet diebus Lunae Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, ac in die festivitatis Divi Stephani Protomartyris, nec non in die Dominica infra octavam Corporis Christi, spectet privative ad eumdem Primicerium., vel ad Hebdomadarium?

4. An SSmum Eucharistiae Sacramentum in Processione, quae fit in festo SSmi Corporis Christi, deferri debeat ab eo, qui Missam celebrat?

5. An idem servandum sit in Processione, quae fit in die Dominica infra octavam Corporis Christi, seu potius deferri debeat SSmum Eucharistiae Sacramentum ab Archipresbytero, in casu etc?

Et eadem S. R. C, Archipresbytero licet pluries citato non informante, audito Primicerio tantum, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative quoad primam partem*, *et celebrationem spectare ad Primicerium*.

Ad 3. *Spectare ad Primicerium*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Martii* 1709.

3654. MONTIS CORONAE.

P. Gaudentio ab Arimino Procuratore Gñli Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae pro declaratione infrascripti Dubii S. R. Congregationi demisse supplicante, nempe.

An praedicti Eremitae Camaldulenses extra Civitates, et loca murata degentes, teneantur, et sub quo ritu, ad recitationem Officii proprii Patroni principalis, et titularis, et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, nec non Protectoris Civitatis, et Locorum, in quorum, vel quarum respective Dioecesibus, seu districtibus sitae sunt singulae Eremi?

Eadem S.R.C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. de Abdua, censuit: *Comprehendi Patres Eremitas*, *et teneri ad Officia de Patrono Principali Loci*, *Regni*, *seu Provinciae*, *et de Titulari Ecclesiae Cathedralis sub ritu quidem primae classis*, *sed sine octava*: *nec non ad Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis*, *sub ritu tamen secundae classis*, *sed sine octava*; *et danda esse Decreta*; *et ita a Patribus Camaldulensibus Congregationis Montis Coronae* servari mandavit. *Die* 23. *Martii* 1709.

3655. PERUSINA.

Pro parte Regularium Civitatis Perusii S.R.C. infrascripta dubia demisse supplicatum fuit declarare.

1. An in die S. Laurentii Titularis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Perusii, sit recitandum Symbolum Apostolorum in Ecclesiis Regularium?

2. An in Ecclesiis, in quibus celebratur Festum S. Bartholomaei Apostoli die 25. Augusti cum octava V. G. Titulare earumdem Ecclesiarum, seu ex alia ratione, et sic pernecesse Festum S. Ludovici sub ritu semidup. venit celebrandum die 26. dicti mensis Augusti, secunda die infra octavam S. Bartholomaei; quando dies 26. sit dies Dominica, quae non admittit semiduplicia, in tali casu Officium S. Ludovici sit transferendum ad diem lunae immediate sequentem, licet impeditam alio Officio semiduplici, nempe diem tertiam infra octavam S. Bartholomaei, vel potius veniat transferendum post octavam ejusdem S. Bartholomaei?

Et eadem S. R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis S. Clementis, censuit respondendum.

Ad 1. *Non esse recitandum Symbolum Apostolorum*, *nisi in Ecclesia propria*.

Ad 2. *Servetur Rubrica X. num.* 5. *de Translat. Festor.* Et ita declaravit. *Die* 23. *Martii* 1709.

3656. TARENTINA PRAEEMINENTIARUM.

Inter Didacum Beaumonte Archidiaconum, et Vicarium Capitularem,

et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Tarentinae, super nonnullis juribus praeeminentialibus controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Gabrielli super eisdem infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An Vicario Capitulari incedenti in habitu talari nigro sine habitu canonicali tam in Cathedrali, quam in aliis quibuscumque Ecclesiis, etiam Regularium, danda sit sedes particularis vulgo *d'appoggio*, nec non scabellum suppedaneum cum stratu desuper, et pulvinari serico ad pedes, in casu etc?

2. An eidem Vicario Capitulari assistenti in Choro sine habitu canonicali, sed cum habitu talari nigro, ante ejus stallum apponi possint duo pulvinaria serica, unum pro genibus, pro brachiis alterum, in casu?

3. An liceat eidem Vicario Capitulari, interesse Choro, vel aliis functionibus capitularibus cum vestibus brevioribus, in casu etc.?

4. An eidem Vicario Capitulari conciones audienti cum Canonicis collegialiter et habitu canonicali consedentibus, danda sit sedes *d' appoggio* cum suppedaneo, cum stratu desuper, et pulvinari serico ad pedes a scamnis canonicalibus separata, in casu etc.?

5. An dictus Vicarius Capitularis interesse possit iisdem concionibus cum sygmate, vulgo *zimarra*, in casu etc?

6. An Vicarius Capitularis, conciones audiens inter Missarum solemnia, possit praecedere Canonico celebranti sacris vestibus induto, in casu?

7. An idem Vicarius Capitularis, incedens in Processionibus cum vestibus nigris, incedere possit post Canonicum celebrantem, in casu etc.?

8. An idem Vicarius Capitularis, incedens cum vestibus suae Dignitatis, occupare debeat proprium locum in Processionibus, vel potius incedere debeat post Canonicum celebrantem, prout Archiepiscopus, in casu etc.?

9. An liceat dicto Vicario Capitulari in expeditionibus, actibus Vicarii Capitularis uti proprio sigillo, vel potius debeat uti sigillo Capituli, in casu etc.?

Et eadem S. R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, respondendum censuit. Ad 1., et 2. *Dilata*.

Ad 3. *Negative*.
Ad 4. *Dilata*.
Ad 5. *Negative*.
Ad 6. *Negative*.
Ad 7. *Negative*.
Ad 8. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.
Ad 9. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 23. *Mart.* 1709.

3657. CATANIEN.

Guardiano, et Fratribus Ordinis Conventualium S. Francisci Conventus Caltagironis in Sicilia S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicantibus, videlicet.

An, incidente die Festo S. Antonii de Padua infra Octavam Corporis Christi, possit peragi Processio solemnis S. Antonii praedicti dicta die non impedita aliis Processionibus?

Et S. R. C., *In casu, de quo agitur*, censuit respondendum, *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die 4. Maii 1709.*

3658. CREMEN. FUNCTIONUM.

Praetendente Praeposito Cathedralis Cremen., non teneri ex debito, sed tantum sibi esse arbitrarium canere Missas in solemnioribus diebus Paschae, Pentecostes, Nativitatis Dñi, aliisque Pontificalibus, quocumque casu, Episcopo Cremen. non celebrante propter ejus absentiam, seu aliud impedimentum; et denique quod delatio SSñi Sacramenti in Processionibus fieri solits ad ipsum spectet, non autem ad Canonicum celebrantem, seu hebdomadarium; hinc inter Praepositum praedictum, et Capitulum, et Canonicos Cathedralis controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. de Abdua infrascripta dubia decidenda proposuit.

1. An Episcopo non celebrante in Festivitatibus solemnioribus, Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Cremen. teneatur ad celebrationem Missae, et Vesperarum? Et quatenus negative.

2. An saltem teneatur ad celebrandas Vesperas tam primas, quam secundas, quoties velit canere dictàm Missam, et e contra?

3. An in Processionibus, in quibus deferri solet SSñum Eucharistiae Sacramentum, ejus delatio spectet ad Praepositum, seu potius ad Canonicum celebrántem, sive hebdomadarium, in casu etc.?

Et eadem S. R. C. tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis.

Ad 1., et 2., censuit respondendum: *Dilata*.

Ad 3. *Spectare ad Celebrantem*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 4 Maii 1709.*

3659. PISTORIEN.

Carolo Joviani Magistro caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Pistorii S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicante, nempe.

1. An, occurrente commemoratione Sancti simplicis in feria secunda Quadragesimae, quando dictum est Nocturnum defunctorum, debeat in Missa quarto loco dici oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum etc.* pro commemoratione defunctorum? Et quatenus affirmative, quaenam oratio dicenda sit quinto loco?

2. An, occurrente dicto casu feria secunda post Dominicam Passionis, quando pariter dictum est Nocturnum defunctorum, quot, et quae orationes dicendae sint in Missa?

Et eadem S. R. C. respondendum censuit.

Ad 1. *Sufficere tertiam Orationem* A cunctis: *Quod si dicatur quarta* Omnipotens, *quinta erit ad libitum*.

Ad 2. *Dicendam tertiam Orationem de simplici tantum*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 4. Maii 1709.*

3660. BRACHAREN.

Ex parte Magistrorum caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Civitatis

Bracharen. S.R.C. demisse supplicatum fuit, infrascripta dubia declarare.

1. An Episcopi uti debeant vestibus violaceis ipsa die Annuntiationis in Quadragesima occurrente, licet Festum transferatur? An eo die, ad quam praedictum Festum transfertur in Quadragesima?

2. An diebus infra octavam SSmae Trinitatis, ubi est titulus Ecclesiae, et in Festis infra dictam octavam occurrentibus debeat ad Primam dici Symbolum S. Athanasii?

3. An diebus 6. et 7. dictae octavae, cum de eis fiat Officium, quia dignior Corporis Christi, debeat etiam fieri nona lectio de simplici illis diebus occurrente, an omitti, ratione octavae Corporis Christi?

4. An cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, possit esse coloris paramentorum; an necessario debeat esse album?

5. An instrumentum *Bugia* de candela serviens Episcopis ad librum, possit esse materia ordinis Acolythorum loco Candelabri, seu Ceroferarii?

6. An quatuor Dignitates, seu Canonici assistentes Episcopo ad absolutionem ad tumulum, debeant necessario esse Sacerdotes?

7. Quo loco debeat fieri commemoratio in Missa pro consecratione Episcopi, quando ratione Festi occurrentis dicitur Missa de Festo habente plures alias commemorationes?

Et S. R. C. censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative quoad primam partem, excepta tota hebdomada majori, et Feria VI.; Negative quoad secundam.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Diebus 6., et 7. infra octavam Titul. SSmae Trinitatis faciendum Officium de die secunda, et tertia infra octavam Corporis Christi cum commemoratione SSmae Trinitatis.*

Ad 4. *Posse uti cingulo colore paramentorum.*

Ad 5. *Negative.*

Ad 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Serventur Rubricae Pontificalis Romani de Consecrat. Electi in Episcopum post Examen* §. Propter ordinationem, *et Missalis in fine post Benedictiones.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 8. *Junii* 1709.

3661. BRACHAREN.

Super propositis dubiis ex parte Magistrorum caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Bracharen. die 28. Aprilis 1708. dilata resolutione super infrascriptis dubiis, quae iterum proponuntur, nempe.

1. An Feria V. in Coena Dñi cum Episcopus exit a Sacrorum custostodia ad Altare, debeant Canonici, qui eum parati associantur, praecedere Preshyteros, Diaconos, et Subdiaconos, qui eum comitantur, ut assistant Olei Consecrationi, vel sequi?

2. Supplicatur pro declaratione Cap. 7. lib. 1. Caeremonialis Episcoporum, ubi dicitur de Episcopo non parato Missae interessenti, eumdem Episcopum thurificari post Evangelium, et in cap. 23. ejusdem libri legitur solum post oblata?

3. Supplicatur etiam pro declaratione, seu concordia cap. 6. ejusdem Caeremonialis lib. 2., ubi pro Presbytero faciente Matutinas solemnes in habitu canonicali, assignat primum locum Chori, cui adversatur Decretum S. C. 22. Augusti 1626. (505.) apud Gavantum in Manuale verb. *Canonicorum munera praesertim in choro num.* 13., declarans, primam sedem in Choro deberi Hebdomadario parato tantum?

Eadem S. R. C. respondit. Ad 1. *Quoad primam partem Negative; quoad secundam Affirmative.*

Ad 2. *Si non est paratus, semel tantum post oblata.*

Ad 3. *Servandum esse Caeremoniale, praecisa immemorabili, ut in Casertana* 1626. (505.) Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 8. *Junii* 1709.

3662. CREMEN.

Ab Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua repropositis in S. R. C. dubiis in Congregatione diei 4. Mensis Maii proxime praeteriti non resolutis, et super quibus fuit dilata resolutio, (3658.) nempe.

1. An Episcopo non celebrante in Festivitatibus solemnioribus, Praepositus prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Cremen. teneatur ad celebrationem Missae, et Vesperarum?

2. An saltem teneatur ad celebrandas Vesperas tum primas, tum secundas, quoties velit canere dictam Missam, et e contra?

Eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, respondit. Ad 1. *Non teneri, sed decere.*

Ad 2. *Affirmative, nisi sit legitime impeditus.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 8. *Junii* 1709.

3663. IMOLEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Inter Petrum Christophorum Felici Cappellanum ruralem Ecclesiae S. Francisci, et Antonium Crocetti Archipresbyterum S. Eustachii Terrae Mordani Imolen. Dioecesis super nonnullis juribus parochialibus, et praeeminentialibus, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, ab Emo, et Rmo D. Card. de Abdua infrascripta dubia decidenda proposita fuerunt.

1. An Archipresbytero Curato Terrae Mordani competat jus exercendi functiones parochiales, et Jura parochialia in Ecclesia S. Francisci, olim Regulari, nunc suppressa, existenti intra fines suae Parochiae, privative quoad Cappellanum dictae Ecclesiae?

2. An Parocho Mordani competat jus exercendi funeralia super cadaveribus in dicta Ecclesia, maxime si cadaver non est de ejus Parochia?

3. In qua quantitate debeatur quarta Parocho pro funeribus, quae fiunt in dicta Ecclesia, et an debeatur tam in cereis, quam in pecunia?

4. An liceat Cappellano S. Francisci exponere SSmum Eucharistiae Sacramentum in dicta Ecclesia, absque consensu Archipresbyteri, sive eodem irrequisito?

5. An consensus possit a dicto Archipresbytero denegari, ex causa praesertim contemporaneae expositionis in Ecclesia parochiali?

6. An constet de attentatis ex adverso commissis a Cappellano pos-

recursum ad Sac. Congregationem, veniant purganda sub poenis contra perturbantes Ecclesiasticam jurisdictionem, et in futurum providendum?

7. An Parochus Murdani possit cogere Cappellanum Ecclesiae S. Francisci ad interessendum sacris functionibus ecclesiasticis in sua Ecclesia parochiali, et in casu spontanei accessus Cappellani ad Ecclesiam Archipresbyteri ad effectum interessendi dictis functionibus sacris; An primus stallus, uti extraneo, eidem Cappellano debeatur, an secundus, et e contra quando Parochus accedit ad Ecclesiam S. Francisci?

Et S. R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis audita, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative ad formam Decretorum generalium num. 20.*

Ad 3. *Servetur Decretum Emi del Verme anni 1696.*

Ad 4. *Arbitrio Ordinarii, et servetur Decretum Synodale.*

Ad 5. *Provisum in quarto.*

Ad 6. *Negative.*

Ad 7. *Praecedentiam in Ecclesia S. Francisci deberi Parocho; in reliquis servetur Decretum Emi del Verme.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 13. *Julii* 1709.

3664. MYRANDEN.

Ex parte Petri Nolaschi Myranden. Dioecesis S. R. C. demisse supplicatum fuit infrascripta Dubia declarari.

1. An liceat cantari Missam solemnem de Requiem in diebus Sanctorum duplicium minorum, et majorum, non de praecepto extra diem obitus, et anniversarii, tertii, septimi, et trigesimi, quando cantatur Officium defunctorum solemniter in Ecclesiis parochialibus, aliisque similibus, saltem in illis, in quibus Officium de Sancto non celebratur in Choro, nec Missa cantata?

2. Utrum in diebus supradictis liceat cantare Missam de Requiem, quando scilicet defunctus legavit pro Anima sua, seu pro Animabus suorum Parentum, Benefactorum etc. unum, aut duo, vel plura Officia defunctorum, quae cantanda sunt per Clericos, et Sacerdotes, ita ut in quolibet Officio adsint quatuor, vel plures, secundum dispositionem Testatorum?

3. An liceat cantari Missam de Requiem in diebus expositis supra, quando aliqua Confraternitas, ratione suorum statutorum, pro quolibet confratre defuncto habet obligationem cantandi unum Officium Defunctorum cum Missa in fine?

Et eadem S. R. C. ad omnia censuit respondendum: *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 13. *Julii* 1709.

3665. BERGOMEN.

Parochus Ecclesiae Almanni in Dioecesi Bergomen. ad tollendas quamplures disceptationes exortas in Clero ejusdem Dioecesis super una, et altera ex Rubricis Breviarii, et Missalis Romani, pro solutione infrascriptorum dubiorum S. R. C. demisse supplicavit.

1. Super Rubrica Missalis Romani de Translatione Festorum punct. 6. ubi sic legitur = In Ecclesiis autem, ubi titulus est Ecclesiae, vel con-

cursus Populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duo Missae, una de die, alia de Festo, aut saltem fieri commemoratio de Festo, si de eo non debet celebrari Officium illa die = Quaeritur: Utrum possit omitti Missa solemnis de die, et cantari Missa de Festo titulari, vel alio in iis Ecclesiis, in quibus non est obbligatio cantandi Missam quotidie?

2. Super Rubrica Breviarii Romani de Commemorationibus cap. 9. num. 3., ubi sic habetur = et tunc de hujusmodi Principali fit tantum in eo loco, vel Ecclesia, cujus est Patronus, vel Titularis, aut Dedicatio = Quaeritur: An die Consecrationis, vel Tituli Ecclesiae Parochialis, et non Cathedralis, per octavas possit celebrari Missa Dedicationis, vel Titularis sub eodem ritu duplici, ac in Parochiali, etiam in Oratoriis eidem Ecclesiae Parochiali subjectis, in quibus de facto multi Sacerdotes celebrant, ut in Parochiali?

3. An iis temporibus, quando 3. Oratio in Missis est ad libitum, ac ex jussu vel Summi Pontificis, vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turchas, seu ad petendam serenitatem, aut pluviam etc., haec oratio praescripta a Ssmo Pontifice, vel ab Episcopo necessario ponenda sit in Missis tertio loco, et praetermittenda, quae ad libitum; seu potius celebrans possit recitare tertiam orationem ad libitum, seu devotionis, et quarto loco, quae est praescripta de mandato Pontificis, vel Episcopi?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Rescribendum in casu proposito pro gratia cantandi Missam solemnem votivam de Festo occurrente tantum*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *In casu proposito ad primam partem Negative, ad secundam Affirmative per modum praecepti, et obligationis. Die 17. Augusti 1709.*

3666. LUCANA.

Super jure praecedendi in associatione cadaverum inter Canonicos Regulares Ecclesiae S. Mariae foris portam Civitatis Lucanae, et Canonicos saeculares ejusdem Ecclesiae controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Caprara infrascripta dubia super eisdem declaranda proposuit.

1. An Curato regulari competat praecedentia super Canonicos seculares in associatione cadaverum? Et quatenus Affirmative.

2. An etiam competat in accessu, vel regressu a dicta associatione cadaverum respective, seu funerum absolutione?

Et eadem S.R.C. respondit ad utrumque = *Affirmative* = tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 17. Augusti 1709.*

3667. PLACENTINA.

Cum S. R. C. in causa Placentina super modo recipiendi Capitulum Cathedralis, et super qualitate Indumentorum deferendorum per Capitulum Collegiatae S. Antonini, die 12. Septembris 1699. censuerit rescribendum

Dilata: in praesentiarum per Emum, et Rmum Dnum Card. Barbarinum in relatorem datum, infrascripta dubia alias data decidenda fuerunt proposita.

1. Quomodo Capitulum S. Antonini se gerere debeat erga Capitulum Cathedralis tam in accessu, quam in recessu quotannis fieri solito, ad Ecclesiam S. Antonini?

2. Quibus vestibus induti praecedere debeant Canonici S. Antonini in Processionibus tam synodalibus, quam in illa, quae in festo SSmi Corporis Christi fieri solet?

Eadem S. R. C., tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Quatuor saltem Canonici in habitu chorali teneantur obviam ire Capitulo Cathedralis ad eorum Ecclesiam accedenti usque ad januam, una cum Sacerdote, seu Sacrista, et Clerico aquam lustralem deferente cum aspersorio; et idem servandum in recessu.*

Ad 2. *Non licere pretiosiora deferre*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 17. *Augusti* 1709.

3668. VITERBIEN.

Magister sacrarum caeremoniarum Civitatis Viterbii demisse S. R. C. pro solutione infrascripti dubii supplicavit.

In eadem Ecclesia Viterbien., et per totam Dioecesim die 3. Novembris celebratur officium sub ritu dup. min. Sanctorum Martyrum Valentini, et Hilarii, quorum corpora in Ecclesia Cathedrali asservantur magna populi devotione, et concursu, et cum proximum sit, quod eodem die 3. Novembris concurrat commemoratio omnium Fidelium defunctorum translata, occurrente Dominica die praecedenti secunda die Novembris: Quaeritur: an sit transferendum Officium praedictum Sanctorum Martyrum Valentini, et Hilarii, vel potius commemoratio defunctorum?

Et S. eadem R. C. censuit: *Transferendum esse Officium Sanctorum Martyrum, dummodo Festum non sit de praecepto*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 5. *Octobris* 1709.

3669. FERRARIEN.

Ex parte Natalis Felloni infrascriptum Dubium S. R. C. demisse supplicatum fuit declarari.

An in Festo Sanctorum Cornelii, et Cypriani die 16. Septembris, pro commemoratione Sanctorum Euphemiae, et sociorum dicatur in primis Vesperis Antiphona = *Gaudent in Coelis* = et in Laudibus = *Istorum*?

Dubitatur, et quaeritur: Utrum praedictae Antiphonae dicendae sint etiam quando Officium Sanctorum Cornelii, et Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica; an vero in primis Vesperis Dominicae dicenda sit Antiphona *Istorum*, et in Laudibus Antiphona = *Vestri capilli etc.*

Et S. R. C. censuit respondendum = *Negative quoad primam partem*; *Affirmative quoad secundam*. Et ita declaravit. *Die* 14. *Decembris* 1709.

3670. ORDINIS CAPUCCINORUM.

Ex parte Fr. Francisci a Neapoli infrascripta Dubia S. R. C. demisse declarari supplicatum fuit.

1. Supponunt nonnullae Ecclesiae (et hoc ex earum Calendariis) Sanctos Martyres in concurrentia Officii duplicis cum S. Confessore debere habere Vesperas integras propter majorem dignitatem , et nobilitatem , quam habet Martyr prae Confessore , et hanc majorem dignitatem , ac nobilitatem tribuunt etiam Confessori concurrenti cum Virgine , sicque in concurrentiis , quae possunt accidere tribuentes semper integras Vesperas ei , quem putant digniorem , non aliter , ac fit in concurrentia festorum Domini , B. V. M. , Angelorum , et Apostolorum . Quaeritur : An haec major dignitas intersit, et attendenda vere sit inter Officia aequalis ritus , et ejusdem solemnitatis ; aut potius standum sit praescriptioni Rubricae Breviarii Romani de concurrentia officii num. 2., qui dicit : *Regulariter fit a capitulo de sequenti etc.* ?

2. Cum nonnulla officia Sanctorum propter perpetuam occurrentiam cum aliis officiis majoris dignitatis , seu solemnitatis , seu ritus perpetuam habeant translationem, et juxta Rubricam de translatione Festorum num. 6. in primam diem non impeditam semper transferenda sint : Quaeritur : An illa prima dies censenda sit propria illius translati sedes perpetuo, juxta Gavant. sect. 3. cap. 10. num. 15.; itaut debeat de eo celebrari semper illa prima die , etiam si occurrat transferri aliud officium ejusdem , vel superioris ritus ?

3. Decrevit S. R. C. sub die 22. Januarii 1707. , quod , occurrentibus in Dominica infra octavam B.M.V. Officiis SSmi Nominis ejusdem B.M.V. , et octavae S. Rosae Viterbiensis Ordinis Minorum , transferatur primum in aliam diem , et in ea Dominica fiat de secundo , nempe de die octava etc. quaeritur : An idem sit servandum cum officia Sanctissimi Rosarii ejusdem B. M. V. et octavae S. Patris Francisci concurrunt simul in Dominica secunda Octobris propter translationem primi ad dictam secundam Dominicam, juxta concessionem hujus S.R.C. , quando prima Dominica impeditur alio Officio majoris ritus etc., nempe : An debeat in dicta secunda Dominica recitari officium diei octavae S. P. Francisci , et transferri in aliam diem , seu Dominicam officium SSmi Rosarii , quod in Regno Neapolitano celebratur cum magno populi concursu ?

4. An in die Sabbati Sancti , in qua unica tantum Missa celebratur in Ecclesiis juxta Decretum hujus S.C., licitum sit ministrare Fidelibus non infirmis sacram Communionem ?

5. An in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum licitum sit applicare Missas in particulari ad libitum celebrantis , et a petentibus easdem Missas eleemosynam accipere , uti tenent nonnullae Ecclesiae , seu potius debeant applicari Missae secundum intentionem S. Matris Ecclesiae pro omnibus Fidelibus defunctis , licet pro Missis dentur eleemosynae ?

Et eadem S. R. C. censuit respondendum . Ad 1. *Negative* .

Ad 2. *Negative , et serventur Rubricae generales* .

Ad 3. *Negative* .

Ad 4. *Non propositum* .

Ad 5. *Detur Decretum die* 4. *Augusti Dalmatiarum* 1663. (2094. *ad* 9.) . Et ita declaravit , et servari mandavit . *Die* 14. *Decembris* 1709.

3671. TRANEN. JURIUM HONORIFICORUM.

Inter Archipresbyterum Collegiatae S. Mariae Majoris Terrae Baruli Tranen. Diaecesis, et alterum Ecclesiae Nazzarenae super intelligentia decretorum S.R.C., sub die 23. Februarii 1699. (num. 3358.) editorum, controversiis exortis, eisque, mediante decreto Rm̃i Auditoris SSm̃i ad eamdem S. C. delatis, Em̃us, et Rm̃us Dominus Card. de Abdua infrascriptum Dubium decidendum in eadem proposuit.

An resolutiones editae sub die 21. Februarii 1699. quoad remotionem genuflexorii cum tapete, et pulvinaribus afficiant Archipresbyterum Matricis, et insignis Collegiatae S. Mariae Majoris, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, censuit respondendum: *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 15. *Februarii* 1710.

3672. FIRMANA PRAECEDENTIAE.

Inter Sacerdotem Joannem Philippum Braucadorum, et Clericum Curtium Pacinum Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Firmi, super jure praecedendi in Choro, aliisque Ecclesiasticis functionibus, controversiis exortis, ab Em̃o, et Rm̃o D. Card. Caprara infrascripta Dubia proposita fuerunt, videlicet.

1. An Joannes Baptista Brancadorus Canonicus Sacerdos Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Firmi, in qua Praebendae non sunt distinctae in Presbyterales, Diaconales, et Subdiaconales, possit, et debeat tam in Choro; quam in aliis functionibus, Capitulo, Processionibus, sessionibus, voce, et caeteris praerogativis, et praeeminentiis non solum in Metropoliana, sed etiam extra praecedere Canonico Curtio Pacino simplici adhuc Clerico, licet antiquiori in receptione, et possessione Canonicatus, non obstante quavis forsan praetensa consuetudine dictae Ecclesiae Metropolitanae? et quatenus *Affirmative*.

2. An dictus Canonicus Pacinus, statim ac fuerit effectus Sacerdos, possit petere, et adipisci reintegrationem adversus ipsum Canonicum Brancadorum posteriorem hodie in receptione, et possessione Canonicatus, sed antiquiorem in Sacerdotio?

Et eadem S.R.C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte audita, censuit respondendum: *Danda esse Decreta, et praesertim in Sutrina* 27. *Augusti* 1707. *etc.* (3627.).

Et ita in Civitate Firmana in hujusmodi Causa servari mandavit. *Die* 22. *Martii* 1710.

3673. HIERACEN.

Cum in causa Hieracen. Praeeminentiarum inter Salvatorem Nannum Archipresbyterum, et alios Parochos Terrae Sideronis Hieracen. Dioecesis die 26. Junii 1708. rescriptum fuerit: Dilata, et compulsentur Bullae erectionis aliaram Parochialium; et successive ad instantiam Archipresbyteri ad probandam immemorabilem die 24. Novembris ejusdem anni 1708., emanaverit resolutio concessionis Remissoriae Episcopo viciniori dirigendae, quae, de consensu, Vicario Capitulari Civitatis Oppidi directa fuit: In praesentiarum

ab Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis in S. R. C. infrascriptis dubiis propositis.

1. An Archipresbytero Terrae Sideronis competat Jus deferendi Crucem in associandis cadaveribus tam aliarum Ecclesiarum Parochialium, quam aliarum quarumcumque, in quibus cadavera tumulantur, privative quoad alios Parochos; seu potius sit deferenda Crux propriae Parochiae defuncti? et quatenus Affirmative.

2. An Parochi defuncti teneantur accedere ad Ecclesiam Archipresbyteralem, ad effectum praedictum associandi cadavera?

3. An praedictus Archipresbyter habeat jus exercendi publicas functiones in Ecclesiis non Parochialibus sitis in alienis Parochiis, vel potius idem jus competat propriis Parochis, in casu etc?

Eadem S.R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative quoad primam partem*; *Negative quoad secundam*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Ut ad primum*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Martii 1710*.

3674. PENNEN.

Praetendente Michaele Malia moderno Abbate, et prima Dignitate Ecclesiae Collegiatae Terrae Laureti Pennen. Dioecesis, novum in Ecclesia praedicta introducere Caeremoniale, et gaudere praeeminentiis ab Antecessoribus nunquam praetensis, quia solum debitis Abbatibus pollentibus dignitate quasi Episcopali; Capitulum, et Canonici Collegiatae praedictae, ad obviandum praetensionibus praedictis, ad S. R. C. recursum habuerunt, quae de more, scriptis literis Archiepiscopo pro informatione, audito Abbate praedicto, coram Episcopo non comparuit, et pluries, atque pluries de ordine S. R. C. ab Episcopo citatus, et intimatus ad deducendum sua jura in S.R.C., et nunquam comparente, tandem post plures dilationes super propositione hujusmodi captas, Emus, et Rmus D. Card. Gabrielli infrascripta Dubia super eadem decidenda proposuit.

1. An liceat Abbati pro tempore Collegiatae S. Petri Terrae Laureti Pennen. uti sede cum postergali in assistendo concionibus, aliisque publicis functionibus in Ecclesia, praesente Capitulo?

2. An liceat eidem in aliis functionibus canonicalibus, et ecclesiasticis uti genuflexorio cum strato, et pulvinari in orando?

3. An liceat eidem celebrare Missam lectam cum quatuor candelis accensis?

4. An liceat eidem quaestuare, vel quaestuari facere, sine licentia Vicarii Foranei?

5. An Cappellae dependentes ab Abbate, possint jure ordinario, vel delegato visitari per Episcopum?

Et eadem S. R. C. ex parte Capituli, et Canonicorum tantum informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. 2. 3., et 4. *Negative*.

Ad 5. *Affirmative jure Delegati*. *Die* 22. *Martii* 1710.

3675. RAGUSINA.

Episcopo Suffraganeo Civitatis Ragusinae S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicante, videlicet.

1. An Episcopus suffraganeus, qui in civitate sui Metropolitani de ordine SSmi commoratur, non valeus in propria Dioecesi commorari, possit in dicta civitate deferre rochettum sub mantelletta, occasione celebrandi Sacrum, et visitandi cives ipsius civitatis?

2. An Episcopus praedictus, ut supra, possit extra domum per civitatem Metropolitani deferre, ut dicitur, il *Mantellone* cum Zimarra?

3. An possit Episcopo praedicto Metropolitanus prohibere Sacrum celebrare in propria domo?

4. An Episcopus suffraganeus praedictus, ut supra, teneatur licentiam petere ab Episcopo suffraganeo (mendum), seu ejus Vicario, celebrandi in Ecclesiis Monialium, et cum ipsis alloquendi?

Et S. eadem R. C. censuit respondendum: Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Ad Magistrum caeremoniarum pro ulterioribus diligentiis*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 22. *Martii* 1710.

3676. URITANA.

Inter Patres strictioris Observantiae S. Francisci Casalis Novi, et nonnullos Presbyteros, seu Archipresbyterum, aliosque quoscumque Collegiatae dicti loci Uritanae Dioecesis, super celebratione Festivitatis S. Antonii de Padua ortis controversiis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Barberinus in Ponentem datus infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An liceat Archipresbytero, Canonicis, aliisque Presbyteris insignis Collegiatae Ecclesiae Oppidi Casalis novi, celebrare Festum S. Antonii in Cappella ibidem sita in die festo ejusdem Sancti? Et quatenus negative.

2. An liceat eisdem celebrare praedictum festum in alio, et in quo die?

3. An liceat eisdem canere quotidie Responsorium de praedicto Sancto, cum antecedenti signo Campanae?

4. An pro dicto Responsorio oblationes, et stipendia iidem recipere valeant?

5. An liceat iisdem sive occasione Festivitatis, aut Responsorii, aut aliarum quarumcumque functionum in honorem praedicti Sancti, quaestuare per oppidum?

6. An liceat Fratribus reformatis in die Festo dicti Sancti Processionem per oppidum peragere?

Et S. eadem R.C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative*.

Ae 3. *Affirmative*.
Ad 4. *Negative*.
Ad 5. *Negative*.
Ad 6. *Arbitrio Episcopi*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 22. *Martii* 1710.

3677. ALEXANDRINA.

Inter Cappellanos, et Canonicos, et Capitulum Cathedralis Alexandrinae controversiis exortis, et in S. R. C. delatis, Cappellani praedicti eidem S. R. C. pro declaratione, quod obligatione inserviendi pro Diacono, et Subdiacono Canonicis celebrantibus praegravari non debeant, demisse supplicaverunt; unde ab Emo, et Rmo Dno Card. Gabriello hujusmodi instantiae relatore, infrascriptum Dubium decidendum propositum fuit.

An Cappellani Cappellaniarum erectarum in Ecclesia Cathedrali Alexandrina, vigore dispositionis quondam Canonici Pumesani, teneantur inservire in officio Diaconi, et Subdiaconi Dignitatibus, vel Canonicis ejusdem Cathedralis celebrantibus, in casu etc.?

Et S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, censuit respondendum: *Negative*, *et amplius proponi* vetuit. *Die* 17. *Maii* 1710.

3678. ORDINIS CAPUCCINORUM

Fratre Victorio a Novellaria Concionatore Ordinis Capuccinorum infrascripta Dubia declarare S. R. C. demisse supplicante.

1. Si contingat fieri Officium semiduplex in vigilia Festi omnium Sanctorum: Utrum, non obstante commemoratione vigiliae, tunc dici debeant suffragia communia in Laudibus, et Oratio *A cunctis* in Missa ejusdem semiduplicis; an vero utraque sit omittenda, et dicenda in Missa oratio de Spiritu Sancto?

2. Utrum de semiduplici occurrente in Dominica infra octavam non privilegiatam fieri debeat Officium die immediate sequenti non impedito, quamvis adsint alia Festa majoris ritus prius translata?

3. Si pro facienda in Laudibus commemoratione alicujus diei infra octavam, sumenda sit Antiphona ex eodem communi, unde sumpta est pro Officio: quaeritur: Utrum in hoc casu servanda sit Rubrica generalis de Commemorationibus num. 8., ut scilicet sumatur ex primis Vesperis; an vero sumi debeat ex secundis Vesperis, ex eo quia dies infra octavam non habet primas Vesperas?

Et eadem S.R.C., referente Emo, et Rmo D. Card. Gabriello, censuit respondendum, Ad 1. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 2. *Detur Decretum* 22. *Decembris* 1696. (3260.).

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*. Et ita declaravit. *Die* 21. *Junii* 1710.

3679. ANDRIEN.

Inter Patres Ordinis Praedicatorum Civitatis Andrien., et Capitulum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis ortis controversiis, eisque ad S. R. C.

delatis, Eminus, et Rmus D. Card. Vallemannus infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An Patres Dominicani teneantur assistere in Cathedrali in primis Vesperis, et in Missis solemnibus Festivitatum SSmae Assumptionis B.M.V., et S. Riccardi? Et quatenus affirmative.

2. An convenire debeant ad sonum Campanae, sive praecedere debeat specialis intimatio?

3. An, et in quo loco Ecclesiae assistere, ut sedere debeant?

4. An, et in quo numero accedere teneantur?

5. An in casu, quo non accedant, puniri possint per Ordinarium, et quibus poenis?

6. An Capitulum Cathedralis in associatione cadaverum tumulandorum in Ecclesia S. Dominici, possit eam ingredi cum propria Cruce erecta, et facere funus supra cadaver?

7. An Parochus dictae Cathedralis, associans solus dicta cadavera absque Capitulo, possit dictam Ecclesiam S. Dominici ingredi cum stola, et superpelliceo?

8. An Patres Dominicani possint asportare ad sepeliendum in eorum Ecclesia cadavera parvulorum ante septennium, sine licentia Parochi?

9. An in dicta asportatione liceat dictis Patribus deferre stolam, in casu etc.?

S.eadem R.C., partibus tam in scriptis, quam in voce auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 3. *Servari solitum*.

Ad 4. *Servari solitum*.

Ad 5. *Arbitrio Episcopi*, *excepta carceratione*, *et censuris*.

Ad 6. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 7. *Negative*,

Ad 8. *Negative*, *salvo jure probandi immemorabilem*.

Ad 9. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 19. *Julii* 1710.

3680. SPOLETANA FUNERUM.

Occasione associandi cadavera Marchionis Spada, et Magdalenae Urtalarghae inter Patres Barnabitas Civitatis Spoleti, et Parochos Civitatis praedictae, ortis controversiis, eisque ad S. R.C. delatis, Eminus, et Rmus Dnus Card. Caprara infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An liceat Parochis in associatione Cadaverum ingredi Ecclesiam Patrum Barnabitarum cum Superpelliceo, Stola, et Cruce, ibique exequiis assistere?

2. An sit restituendum cadaver Magdalenae, ad effectum sepeliendi in Parochiali dicta Ecclesia, in casu etc.?

Et eadem S. R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informan-

tibus auditis, censuit respondendum. Ad 1. *Negative*, *reservato jure probandi consuetudinem*.

Ad 2. *Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 19. *Julii* 1710.

3681. ORDINIS BARNABITARUM.

Ex parte Procuratoris Generalis Ordinis Barnabitarum S. R. C. demisse supplicatum fuit delarare infrascriptum dubium.

An in occorrentia duarum Octavarum, nempe S. Patroni loci, et Conceptionis B. M. V., de qua a Patribus Barnabitis sit peragendum Officium?

Et S. R. C. In casu proposito respondit: *Fiat Officium de Octava Sancti Patroni loci*, *cum commemoratione Octavae Conceptionis*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 13. *Septembris* 1710.

3682. SENARUM.

Ex parte Virginum Conservatorii S. Nicolai in Saxo vulgo nuncupat. di Man Agnese Civitatis Senarum demisse S. R. C. supplicatum fuit pro declaratione contentorum in sequenti supplici libello.

,, Emi, e Rmi Signori: Le Vergini del Conservatorio di S. Nicola in
,, Sasso volgarmente chiamate di Man Agnese di Siena riverentemente rap-
,, presentano all' EE. VV. come, osservatosi da' Cappellani della loro Chie-
,, sa, che su lo scalone, o grado d'uno degli Altari Laterali vi è la Lapide
,, della bocca, per cui si scende nella sepoltura, nella quale si sotterrano
,, le morti, han preteso, l'Altare in vigore dei Decreti Apostolici esser inter-
,, detto, nè potervisi celebrare; e fattosi riconoscere il luogo, si è trovato
,, essere bensì l' apertura nello scalone, ma dall' Altare molto distante la se-
,, poltura, come nell' annessa delineazione, sicchè resti fuori del Decreto.
,, Fattone ricorso all'Arcivescovo con questi riscontri, hà risposto non vo-
,, lersi far interprete dei Decreti Apostolici, e che ne prendano l'oracolo dal-
,, la Sagra Congregazione, per governarsi con quello. Supplicano perciò
,, l' EE. VV. compiacersi, veduta la delineazione, di dichiarare, che sia le-
,, cito nella prossima Festa di S. Maria delle nevi celebrare in detto Altare.
,, Che etc.

Et eadem S. R. C. omnibus mature perpensis, et consideratis censuit respondendum juxta votum Magistri Caeremoniarum, nempe: *Archiepiscopo Senarum*, *qui*, *veris existentibus narratis*, *restituat ad Sacrosanctum Missae Sacrificium Altare*.

Et ita declaravit. *Die* 13. *Septembris* 1710.

3683. PLACENTINA.

Super Jure peragendi functiones Parochiales inter Canonicum Jo. Baptistam de Augustis Parochum Ecclesiae Collegiatae Terrae Curtis majoris ex una, et nonnullos Confratres Confraternitatis S. Josephi ejusdem Terrae Dioecesis Placentinae partibus ex altera, controversiis exortiis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Card. S. Clementis infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An liceat Parocho celebrare primas, et secundas Vesperas, ac canere Missas solemnes in festivitatibus fieri solitis in Oratorio a Confratribus S.

Josephi Terrae Curtis majoris, vel potius dictae functiones spect ent ad Cappellanum eorum Confratrum?

2. An liceat eidem Parocho celebrare Vesperas, et canere Missas minus solemnes in aliis Festivitatibus inibi fieri solitis in eodem Oratorio, vel potius expleri debeant a Cappellano?

3. An, et ad quem spectet canere Missam, et facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Oratorio praedicto?

4. An liceat Confratribus sacco indutis celebrare mediante eorum Cappellano Anniversaria, quae cum Missis sive solemnibus, sive minus solemnibus celebrari solent in eorum Oratorio?

5. Et quatenus negative: Utrum liceat Parocho pro explendis dictis functionibus ducere, quatenus opus sit, Sacerdotes sibi bene visos, et cujus expensis? sive potius sit in libertate Confratrum invitare quos maluerint?

6. An liceat eisdem Confratribus, mediante eorum Cappellano, statutis diebus veneris, sive in qualibet anni die, etiam quadraginta horarum, exponere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, et dare benedictionem sine licentia, et praesentia Parochi?

7. An liceat Confratribus retinere Confessionale in dicto Oratorio, eorumque Cappellano approbato liceat audire confessiones sine licentia Parochi? Et quatenus negative, et ad Parochum respective?

8. An eidem Parocho intervenire nolenti, seu non volenti in supradictis functionibus, et Confessiones per se ipsum audire recusanti, liceat subdelegare aliquem Sacerdotem sibi benevisum, vel potius teneatur subdelegare Cappellanum Confraternitatis?

9. An, tam pro Missa solemni, seu minus solemni celebranda occasione expositionis SSmi, quam pro assistentia Confessionali, debeatur Parocho, seu ejus substituto consueta eleemosyna, in casu etc?

10. An, et ad quam rationem debeatur eleemosyna Cappellano Parochi pro asserta celebratione Missarum, et pro praetensa assistentia praestita singulis diebus veneris, occasione expositionis SSmi Sacramenti in dicto Oratorio?

11. An liceat Confratribus, et Sororibus in dicto Oratorio eligere sepulturam, soluta dumtaxat Parocho quarta funerali; et ex quibus dicta quarta funeralis debeatur?

12. An liceat Confratribus associare cadavera Confratrum, et Sororum ad Ecclesiam, et Oratorium, et facere Processiones privatas, et solemnes infra ambitum dicti Oratorii, absque licentia Parochi, sed cum interventu eorum Cappellani.?

13. An eisdem Confratribus liceat facere dictas Processiones extra ambitum Ecclesiae, sine dicti Parochi licentia?

14. An Confratres in recitandis, et explendis Officiis mortuorum, et Anniversariis sibi per Testatores in genere injunctis, teneantur celebrare Missam cantatam minus solemnem?

15. An constet de attentatis, et quae veniant purganda?

Et S. eadem R. C., tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, respondendum censuit.

Ad 1. *Affirmative quoad primam partem: Negative quoad secundam.*

Ad 2. *Ut ad proximum.*

Ad 3. *Spectare ad Parochum.*

Ad 4. *Negative.*

Ad 5. *Servetur Decretum Ordinarii* 1697.

Ad 6. *Arbitrio Ordinarii.*

Ad 7. *Ut ad proximum, arbitrio Ordinarii.*

Ad 8. *Quoad Confessiones arbitrio Ordinarii, quoad reliquas functiones Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam.*

Ad 9. *Affirmative pro Missis tantum; nullatenus vero pro audientia Confessionum.*

Ad 10. *Deberi pro Missis tantum, juxta taxam Synodalem.*

Ad 11. *Affirmative, reservatis Parocho emolumentis ad formam constitutionum Synodalium, et juxta solitum.*

Ad 12. *Quoad primam partem Affirmative cum interventu Parochi, quoad secundam pariter Affirmative, juxta eorum institutum.*

Ad 13. *Negative, nisi adsit licentia Ordinarii.*

Ad 14. *Ordinarius provideat, prout de jure, servata mente Testatorum.*

Ad 15. *Partes acquiescant.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 22. *Novembris* 1710.

3684. ORDINIS CAPUCCINORUM PROVINCIAE LUGDUNEN.

Cum ex parte Capuccinorum Provinciae Lugdunensis pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. demisse supplicatum fuerit, videlicet.

1. An debeat fieri Officium primae classis cum octava Patronorum, seu Titularium Ecclesiarum particularium, quales sunt V. G. Ecclesiae Religiosorum, etiamsi ab Episcopis nondum fuerint consecratae, ut non raro accidit in pluribus Dioecesibus, in quibus plures Ecclesiae nondum fuerunt consecratae, licet a multo tempore, ac etiam a saeculis fuerint extructae, et in eis divina Mysteria celebrentur, et illae a tempore, quo fuerunt fabricatae, habeant pro Patrono, seu Titulari aliquem Sanctum?

2. Sub quo ritu debeant Regulares, quorum Religio divisa est in plures Provincias, pro illius faciliori, et strictiori regimine, facere Officium Sancti, quem sibi elegerunt pro Patrono suae Provinciae a principio erectionis illius, an sub ritu duplici primae classis, et cum octava, an sub ritu simpliciter duplici, an vero sub ritu tantum semiduplici?

3. Qualis a Capuccinis observari debeat duorum decretorum, 24. scilicet Novembris 1685., et 22. Januarii 1707., a S. R. C. emanatorum circa celebrationem Festi, et Officii S. Nominis Mariae, quando die pro tali Festo, et Officio assignata ab eadem S. R. C. occurrit dies octava alicujus Sancti? (2349. ad 2., 3611.).

4. An Decretum, quo prohibetur dare Communionem in Missis pro

defunctis, debeat ita intelligi, ut Sacerdos celebrans tales Missas in quacumque occasione, nequeat absolute Communionem dare, scilicet nec tempore celebrationis ante, post Communionem, nec post celebrationem, finito scilicet Evangelio S. Joannis?

5. An Altare, quod fuit consecratum, amittat suam Consecrationem absolute, et simpliciter toties quoties demolitur?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Sancti Clementis, respondendum censuit *sub die* 10. *Junii* 1710.

Ad 1. *Affirmative, juxta votum D. Abbat. Chiapponi*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Servandum Decretum generale, juxta votum*.

Ad 4. *Negative in omnibus*.

Ad 5. *Juxta votum*.

Verum sub die 21 Martii 1711. ab eodem Emo, et Rmo, D. Card. Sancti Clementis reproposito quarto Dubio, nempe: An decretum, quo prohibetur dare Communionem in Missis pro defunctis, debeat ita intelligi, ut celebrans Sacerdos talem Missam, in quacumque occasione, nequeat absolute Communionem dare, scilicet nec tempore celebrationis ante, post communionem, nec post celebrationem, finito scilicet Evangelio S. Joannis?

Eadem S. R. C. respondendum censuit: *Dilata, et ad mentem*, et mens fuit, *ut resolutio ad quartum edita* 21. *Julii* 1710. *non extra detur*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1711.

3685. CATANIEN.

Cum in Ecclesia Collegiata Oppidi Arcis Regalis sub titulo SSmae Annunciationis, Catanien. Dioecesis, celebretur Novena B. M. V., in qua Canonicus canit Missam votivam ejusdem B. M. V., idcirco Canonici Ecclesiae Collegiatae praedictae S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicaverunt, videlicet.

1. An possit dici Symbolum Apostolorum, cum ab immemorabili nunquam in hujusmodi Missa dictum sit?

2. An Canonicus in qualibet Dominica aspergens Altare, et Chorum, debeant Canonici hujusmodi aspersionem recipere stantes, an vero genuflexi, sicut usque modo practicatum est?

3. An Canonicus post sumptionem Corporis, et Sanguinis, dispensans Corpus Christi Clericis qualibet prima Dominica Mensis (ut moris est,) debeant Canonici stare, an vero genuflecti, ut observatum est?

S. eadem R. C. respondit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Servetur Dispositio Caeremonialis Episcoporum lib.* 2. *cap. De Dominicis per annum* 31.

Ad 3. *Affirmative*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 9. *Martii* 1711.

3686. PAPIEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Inter Joannem Petrum Bezzi Rectorem Ecclesiae Parochialis Terrae Pezzetti, et Confraternitatem SSmae Trinitatis, sive S. Sebastiani ejusdem Terrae, Dioecesis Papien., super nonnullis juribus parochialibus, controversiis

exortis, eisque ad S. R. C. delatis, ab Emo, et Rmo D. Card. S. Clementis infrascripta Dubia decidenda proposita fuerunt.

1. An liceat Confratribus celebrare, seu canere facere Missas in festivitatibus solemnioribus in eorum Ecclesia a Rectore, seu Cappellano Confraternitatis privative ad Parochum, et absque ulla ejus dependentia?

2. An ibidem possint exponi facere Venerabile in singulis quartis Dominicis cujuslibet mensis, et Populo benedicere, absque licentia, et dependentia dicti Parochi?

3. An liceat Confraternitati, seu Confratribus retinere sedes confessionales in eorum Oratorio, ibique per Confessarios approbatos excipere confessiones sacramentales?

3. An liceat Processiones peragere extra propriam Ecclesiam, seu Oratorium cum usu stolae a proprio Cappellano, seu Rectore deferendae, pariter absque licentia, et dependentia dicti Parochi, in casu etc.?

Et eadem S. R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis audita, censuit respondendum. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Licere de licentia Episcopi*.

Ad 3. *Ut ad proximum*.

Ad 4. *Serventur Decreta Genaralia* 21. 22. *et* 23. (3521.). Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 9. *Martii* 1711.

3687. MELEVITANA.

Propositis S. R. C. infrascriptis Dubiis.

1. An Equites Hierosolymitani teneantur recitare officium cum octava Dedicationis Ecclesiae majoris conventus?

2. An Cappellani *di obbedienza* servitio ejusdem Ecclesiae addicti, et Moniales S. Ursulae ejusdem Ordinis, similiter teneantur idem officium recitare?

Eadem S. R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Julii* 1711.

3688. NAULEN.

Supplicatum fuit S. R. C. infrascriptum Dubium declarari.

An Episcopus Naulen. possit in qualibet suae Dioecesis Ecclesia erigere Cathedram Episcopalem, et Baldachinum, etiam tempore, quo Episcopus non residet, et functiones Episcopales non exercet in dicta Ecclesia, maxime si dicta Ecclesia suae Dioecesis parum distet, nempe per milliarium circiter ab Ecclesia Cathedrali?

Et S. R. C. censuit respondendum: *Juxta votum*, nempe *Negative*. Et ita declaravit, et decrevit. *Die* 11. *Julii* 1711.

3689. VENETA.

Quaesitum fuit a S. R. C. humiliter declarare: An, concurrente Festo Ascensionis Domini in die octava Dedicationis Ecclesiae, fieri debeat in utrisque Vesperis commemoratio Ascensionis Domini (mendum loco Dedicationis)?

Et S. eadem R. C. respondit: *Serventur Rubricae*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Julii* 1711.

3690. FERETRANA.

Super jure peragendi functiones inter Joannem Bartholomaeum Simoncinium Rectorem Ecclesiae Parochialis Maceratae, Dioecesis Feretranae ex una, et PP. Minores Conventuales S. Francisci dictae Terrae ex altera, controversiis exortis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. de Abdua infrascripta Dubia super eisdem decidenda proposuit.

1. An liceat Patribus die prima Augusti Processionem facere, et, incedendo per Parochiam, adire Ecclesiam Monialium, non obstante quacumque praetensa consuetudine?

2. An ipsis habentibus claustrum, liceat extra claustrum facere alias duas Processiones de novo introductas, nempe S. Artemii die 6. Junii, et S. Antonii die 13. ejusdem?

3. An ipsis liceat in hebdomada Sancta visitare, et benedicere domos Parochianorum?

4. An ipsis liceat diebus festis inter Missandum se vertere ad Populum, ei pacem osculandam praebere, et ab ipso oblationes recipere?

5. An PP. in occasione funerum, et associandi cadavera defunctorum, teneantur convenire in Ecclesiam Parochialem?

6. An Parochus in occasione funerum, et associandi cadavera in Ecclesia PP. tumulanda, possit eorum Ecclesiam cum stola, et Cruce elevata introire?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis Rectore Ecclesiae Parochialis praedictae tantum audito, respondit. Ad 1., 2., 3., 4. *Negative*.

Ad 5., et 6. *Dentur Decreta* videlicet = *Cusentina* 15. *Martii* 1698. *Marsicen*. 21. *Martii* 1699. *Mantuana* 30. *Maii* 1699., *et Spoletana* 1. *Julii* 1702. (3313, 3360. 3371. 3481.) Et ita quoad 5. et 6. *in praedicta Causa Feretrana functionum*, decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Augusti* 1711.

3691. GERUNDEN.

Cum S. R. C., ad instantiam Dignitatum adversus Canonicos Ecclesiae Gerunden. alias super Dubio: An Canonicis liceat absentium Dignitatum occupare sedes in Choro? rescripserit = *Non licere* = Idcirco Episcopus Gerunden S. R. C. demisse supplicavit pro moderatione, seu declaratione supradicti Decreti; mediante rescripto ad sequens Dubium: An, praesente Episcopo in Choro, tempore divinorum officiorum, secundae Dignitati, vel aliis immediate sequentibus, et etiam Canonico, seu Canonicis liceat, absentibus prima, vel altera, vel etiam omnibus Dignitatibus, occupare primam sedem post Episcopalem primae Dignitatis, vel aliam, seu alias successive.

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. de Abdua respondit: *praesente Episcopo, servandam esse antiquam consuetudinem*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 22. *Augusti* 1711.

3692. PERUSINA.

Cum S. R. C. in Decreto generali emanato sub die 12. Julii 1704. res-

cripserit, quod in occurrentia Festi Calendarii particularis, et Festi Calendarii universalis cum paritate ritus, et sine excellentia majoris dignitatis, faciendum sit de primo, translato secundo: In praesentiarum Magister caeremoniarum Episcopi Perusini, pro majori dilucidatione illorum verborum: sine excellentia majoris dignitatis, S. R. C. demisse supplicavit.

Et eadem S. R. C. respondit: *Juxta votum Magistri caeremoniarum*. Et ita declaravit. *Die 22. Augusti* 1711.

Votum autem sequens est = Duae sunt regulae, ex quibus in occursu duorum Festorum unum alteri praefertur: ea scilicet, quae oritur ex dignitate classis; altera vero, quae provenit ex dignitate Personae: unde si duo occurrentia Festa aequali gaudeant classe (hoc est paritate ritus), deficiente prima regula, recurrendum est ad secundam, nempe ad majorem Personae dignitatem. Ita Gavant. ad Rubric. Breviarii sect. 3. cap. 8. num. 6. ibi = Undenam major dignitas attendi debet? Certe penes classem Festorum; nam prima classis dignior est secunda, in eadem vero classe attende Personas hoc ordine = Christum, B. Virginem, Angelos, S. Joannem Baptistam, Apostolos, et alios juxta ordinem Litaniarum = et haec est excellentia majoris dignitatis, de qua loquitur suprascriptum Decretum, et qua pariter deficiente in occurrentia Festorum, penitus parium faciendum est Officium illius de calendario particulari, transferendo Festum calendarii universalis.

Et ita etc. Salvo etc. Jo. Baptista Gamberuccius SSmi Domini Nostri, et S. Sedis Apostolicae sacrarum caeremoniarum Magister.

3693. PROVINCIAE GALLIAE SOCIETATIS JESU.

Cum Festum S. Remigii sit duplex minus in Gallia, et sequens dies festus sit Sanctorum Angelorum Custodum pariter dup. minus: Propterea P. Joseph Juvencius Soc. Jesu, aliique Patres, qui ordinem Divini Officii componunt pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. supplicarunt: An secundae Vesperae S. Remigii debeant esse partim de S. Remigio, partim de Sanctis Angelis, an vero totae dici debeant de Sanctis Angelis cum commemoratione S. Remigii?

Et S. eadem R. C., audito prius SSmi Dñi Nostri Papae caeremoniarum Magistro, respondit: *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 22. Augusti* 1711.

3694. SABINEN.

Inter Patres Carmelitas primi Instituti de Monte Sancto Terrae Cantalupi, et Petrum Attilium de Lupis Archipresbyterum dictae Terrae Sabinen. Dioecesis, super jure peragendi Processiones, aliasque functiones, ortis controversiis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. de Abdua infrascripta dubia decidenda proposuit, videlicet.

1. An liceat PP. Carmelitis Terrae Cantalupi, absque consensu, et licentia Parochi, in Feria IV. ante Festum Pentecostes, et in die B. M. de Monte Carmelo, et alias quascumque, si facere velint, explere Processiones extra ambitum, et claustra eorum Conventus, et Ecclesiae?

2. An eisdem pariter liceat, occasione Festivitatis S. Antonii Abbatis die 17. Januarii, Animalia benedicere, et oblationes accipere?

3. An liceat iisdem PP., sine licentia Ordinarii, exponere Sanctissimum Eucaristiae Sacramentum, illoque triplici benedictione Populum benedicere?

4. An, obtenta ab iisdem PP. licentia Ordinari cum clausula, accedente consensu Parochi, teneantur requirere consensum ejusdem Parochi, in casu etc?

Et S. eadem R. C., partibus informantibus tam in voce, quam in scriptis auditis, respondendum censuit.

Ad 1. *Quoad Processionem in die festo B. M. V. de Monte Carmelo posse, cum licentia Parochi petita, etiam non obtenta; in reliquis Ordinarius mandet servari solitum.*

Ad 2. *Audiatur Ordinarius.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative, ut jacet.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 21. Novembris 1711.*

3695. TOLOSANA.

Ad humillimas preces Procuratoris generalis Ordinis Praedicatorum SSmo Dno Nostro Papae Clementi XI. porrectas, in quibus enixe supplicabatur pro prohibitione cujusdam novi Rosarii, quod in honorem Sanctissimae Trinitatis Patres Religionis Sanctisimae Trinitatis Redemptionis captivorum in eorum Ecclesia Beatae Mariae Virginis Conventus Tolosani recitare introduxerant, edito liberculo gallico idiomate impresso, in quo methodus recitationis edocetur, eisque a SSmo Dno Nostro ad S. R.C. remissis.

Sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. de Abdua, audito prius Procuratore Generali Patrum supradictae Religionis SSmae Trinitatis, et successive D. Prospero Lambertini Sac. Consistorialis Aulae Advocato, et Rmi Dni Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris coadjutore, in scriptis, et in voce audito, *Rosarium, de quo agitur, prohibendum esse* censuit, *et quoad liberculum Gallico Idiomate desuper impressum, remisit instantiam ad S. Indicis* Congregationem. *Die 21. Novembris 1711.*

3696. LUNEN. SARZANEN.

Cum S. R. C. in causa Sarzanen. Praeeminentiarum ad instantiam Rmi Episcopi adversus Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis praedictae, super Dubiis ab Emo, et Rmo D. Card. Gozzadino propositis sub die 11. Julii anni 1711. proxime elapsi rescripserit = ad mentem, et mens fuerit, quod Canonici in his, in quibus consentiant, formiter renuntient in Actis, in reliquis vero concordentur dubia, et scribatur formiter. In praesentiarum, reproposita hujusmodi causa, Emus, et Rmus D. Card. S. Clementis infrascripta Dubia in S. R. C. decidenda proposuit, videlicet.

1. An Canonici Assistentes teneantur induere Episcopum sacris paramentis?

2. An Sacerdotes, et Canonici, aliique assistentes, teneantur associare

Episcopum ante Altare, et ibi immorari, donec Episcopus revertatur ad sedem Episcopalem?

3. An Archidiaconus teneatur sustinere Librum Episcopo Pontificalia exercenti?

4. An, Subdiaconus teneatur reverentiam facere Episcopo, priusquam porrigat, et superimponat Manipulum Episcopo?

5. An Episcopo ascendente gradus, Magister caeremoniarum teneatur elevare fimbrias, ac Diaconus, et Subdiaconus teneantur Episcopi brachia sustentare, et idem servandum sit, Episcopo descendente?

6. An Canonici assistentes teneantur folia Missalis revolvere, et digito indicare legenda per Episcopum stantem in Throno?

7. An omnes Canonici teneantur accedere in festivitatibus majoribus ad Palatium Episcopale, etiam non contiguum Ecclesiae Cathedrali, et ad aulam, sive mansionem per eum destinatam, eumque associare ad Ecclesiam Cathedralem, et pariter eumdem cum cappa revertentem ad Palatium reassociare, et usque ad quem locum?

8. An, et quae consuetudo servanda sit contra Caeremoniale Romanum?

Et S. eadem R. C., partibus informantibus auditis tam in voce, quam in scriptis, respondendum censuit.

Ad 1. *Servetur omnino Caeremoniale lib. 2. cap. 1., et 8.*

Ad 2. *Teneri Canonicos assistentes, juxta Caeremoniale lib. 1. cap. 8.*

Ad 3. *Servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 7., et lib. 2. cap. 8.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 8.*

Ad 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Affirmative quoad utramque partem usque ad Aulam, seu Mansionem ab Episcopo destinatam in casu, de quo agitur.*

Ad 8. *Respondebitur in casibus particularibus*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 27. Februarii 1712.*

3697. PISAUREN.

Cum a Canonicis Ecclesiae Cathedralis Civitatis Pisauren. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. supplicatum fuerit, nimirum.

1. In Civitate, et Dioecesi Pisauren. die 31. Augusti occurrit Festum Dedicationis Cathedralis sub ritu dup. primae class. celebrandum, et eodem die ab universali Ecclesia fit Officium S. Raymundi Nonnati sub ritu dup. min.

2. Item in eadem Civitate, et Dioecesi 24. Septembris occurrit Festum S. Terentii Mart. Patroni principalis Civitatis, et Dioecesis sub ritu dup. primae classis celebrandum, et eadem die ab universali Ecclesia fit Officium B. M. V. de Mercede sub ritu dup. maj. Supplicatur: Si supradicta Festa altioris ritus venerint die Sabbati: An Officia S. Raymundi, et B. Mariae de Mercede, vigore Decreti S. R. C. emanati 14. Augusti 1664., et iterum die 18. Octobris 1693. in reformatione Calendarii Fratrum Minorum, sint celebran-

da die Dominica sequenti, tamquam dies propria, vel debeant transferri in feriam proxime non impeditam?

S. eadem R.C. respondendum censuit: *Faciendum esse de Officiis, de quibus agitur sub diebus respective assignatis, etiam in occursu Dominicae. Die 2. Julii* 1712.

3698. PLACENTINA.

Remissis a S. C. Concilii sub die 14. Martii 1711. proxime elapsi controversiis super juribus Parochialibus ortis inter Ecclesiam S. Mariae in curtina, sive operarios Congregationis laicalis Doctrinae Christianae ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Antonini Civitatis Placentiae partibus ex altera, eisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. S.Clementis infrascripta Dubia decidenda proposuit, videlicet.

1. An pertineat ad Capitulum Basilicae S. Antonini Placentiae canere Missam, benedicere Populum cum SSmo, facere Officium mortuorum cum Stola, Pluviali, et Aspersorio aquae lustralis, aliasque functiones in celebratione Officii mortuorum, vel trentesimi in Ecclesia S. Mariae de curtina, vel potius ad Cappellanum piorum operariorum Doctrinae Christianae, in casu etc.?

2. An Congregationi erectae in dicta Ecclesia S. Mariae liceat celebrare, aut celebrari facere per ejus Cappellanum omnes functiones non Parochiales, independenter a Parocho Ecclesiae Collegiatae, in casu etc?

Et S. eadem R.C., partibus informantibus tam in voce, quam in scriptis auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Quoad benedictionem cum Venerabile, arbitrio Episcopi; quoad reliquas functiones spectare ad Parochum, in casu, de quo agitur.*

Ad 2. *Recurrant in casibus particularibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 2. Julii* 1712. Iterum proposita die 21. Aprilis 1714. responsum fuit: *In decisis, et amplius*.

3699. PLACENTINA.

Propositis in S. R. C. per Emum, et Rmum D. Card. S. Clementis Dubiis inter Mansionarios Ecclesiae Collegiatae S. Antonini adversus Canonicos dictae Collegiatae Civitatis Placentiae, super accessu Canonicorum ad Lectorile exortis, videlicet.

1. An Canonici Collegiatae Ecclesiae S.Antonini, tempore divinorum Officiorum in Choro, teneantur ab eorum stallis descendere, et una cum Beneficiatis dictae Ecclesiae canere ad Lectorile magnum situm in medio Chori, quidquid ibi canendum occurrit, etiam accedendo ad dictum Lectorile, in casu etc.?

2. Quatenus primum dubium Affirmative resolvatur: An, quando, et in quibus functionibus, et quomodo teneantur ad dictum accessum, in casu etc.?

S. eadem R.C., utraque parte informante tam in voce, quam in scriptis audita, respondit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Provisum in primo*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die 2. Julii* 1712.

Iterum proposita die 13. Februarii 1714., responsum fuit : *In decisis*.

3700. ELBOREN.

Cum in Ecclesia S. Michaelis Civitatis Elboren. reperiatur erecta Confraternitas centum, et ultra Sacerdutum sub titulo Animarum purgantium, in qua ab immemorabili feria secunda hebdomadae cujuslibet mensis, et anni ex pluribus legatis celebrata sit unica Missa solemnis defunctorum, etiam in festo duplici, non tamen de praecepto; ac dubitatum inde fuerit: An in celebratione praedicta ob plures S. R. C. resolutiones id prohibentes, et absque expressa licentia dictae S.C. continuari valeat? Confraternitas supradicta S.R.C. enixe, et humiliter supplicavit pro indulto inposterum celebrandi singulis annis Missam solemnem defunctorum in qualibet feria secunda hebdomadae, etiam in duplicibus, non tamen de praecepto.

Et S. Eadem R. C. Oratorum instantiae benigne inclinata, respondit: *Pro gratia. Die* 20. *Augusti* 1712.

3701. PAPIEN.

Inter confratres Confraternitatis S. Mariae Confalonis, ejusque Oratorium sub invocatione S. Innocentii ex una, et Ludovicum Lucca Praepositum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Romani, partibus ex altera, Civitatis Papiae, super nonnullis juribus Parochialibus, aliisque functionibus, controversiis exortis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. S.Clemenmentis infrascripta dubia decidenda proposuit.

1. An peragere funus super cadaveribus confratrum, quae sepeliuntur in Oratorio S. Innocentii, pertineat ad Parochum, seu Praepositum S. Romani majoris, intra cujus limites dictum Oratorium situm est, seu potius ad Cappellanum Confraternitatis?

2. An interdictum, cui supposita fuit Ecclesia, seu Oratorium S. Innocentii substineatur, vel potius sit removendum?

3. An confratribus dicti Oratorii liceat celebrari facere in eo Missas solemnes per eorum cappellanos, seu alios Sacerdotes eis benevisos privative quoad Praepositum S. Romani majoris?

4. An per eosdem cappellanos, seu alios Sacerdotes a confratribus invitatos, possit in dicto Oratorio dari benedictio cum Venerabili, ac peragi valeant reliquae omnes functiones ecclesiasticae non parochiales, indepententer a dicto Praeposito S. Romani?

3. An liceat confratribus habere in eodem Oratorio sedes fixas confessionales, ibique per confessarios approbatos excipi facere confessiones sacramentales, absque ulla dependentia a praefato Parocho?

Et S. eadem R.C., partibus informantibus tam in voce, quam in scriptis auditis, respondendum censuit: Ad 1. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 2. *Interdictum non substineri*.

Ad 3. *Affirmative in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiae, seu Oratorii tantum*.

Ad 4. *Quoad benedictionem cum Venerabili Sacramento, arbitrio Episcopi*.

Ad 5. *Negative, sine licentia Episcopi*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Februarii* 1713.

3702. CORCYREN.

Cum ex parte Rmi Dni Archiepiscopi Civitatis Corcyren. nomine etiam Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. humillime supplicatum fuerit, nimirum.

1. Si in Vesperis semipontificalibus, quibus Episcopus assistit in pluviali, et mitra cum quatuor, aut sex Canonicis pluviali indutis cum de Sacristia pervenerint processionaliter ante Altare majus; et Episcopus genuflecterit in Faldistorio, duobus Canonicis cum cotta hinc inde assistentibus, ipsi Canonici parati in pluviali, debeant et ipsi genuflexi in plano Cappellae post Episcopum cum Episcopo orare?

2. Si iidem Canonici parati, sedente Episcopo in sede episcopali, sedere debeant in scamnis, sive podiis ante Altare, vel ante Episcopum?

3. Si prima Antiphona ex praescripto Caeremonialis debeat praeintonari Episcopo a Canonico digniori post Dignitates, vel a Magistro scholastico: aliis vero Canonicis, a quo spectat de consuetudine Ecclesiae, sed non ab eodem, qui Episcopo praeintonavit?

4. Si iidem Canonici parati, dum Episcopus thurificat Altare ad Canticum *Magnificat*, stare debeant in plano Cappellae ante idem?

S. eadem R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Quod Canonici debeant orare in suis locis in Choro, non post Episcopum*.

Ad 2. *Quod debeant sedere in stallis Canonicorum*.

Ad 3. *Quod Antiphonae debeant praeintonari ab eodem tam Episcopo, quam Canonicis*.

Ad 4. *Manere debent in propriis stallis, dum ab Episcopo thurificatur Altare*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 8. *Aprilis* 1713.

3703. FUNDANA:

Orta inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Fundanae, nec non Archipresbyterum Ecclesiae Collegiatae S. Mariae de Platea, et Confraternitatem mortis in eadem Fundorum Civitate controversia: An nimirum Ordinario liceret facultatem concedere, ut praedicta Confraternitas die Dominico infra Octavam Corporis Christi Processionem cum delatione SSmi Sacramenti habere possit, Parochiam Cathedralis Ecclesiae, et respective Ecclesiae Collegiatae praedictae spatio viginti passuum attingere, invitis Parochis?

S. R. C., referente Emo, et Rmo D. Card. de Abdua, respondendum censuit: *Affirmative, et ad mentem*; Mens autem fuit, *quod Ordinarius imposterum abstineret a concessione hujusmodi Processionum, quae limites alienae Parochiae quoquo modo pervadant*. *Die* 8. *Aprilis* 1713.

3704. LAUSANEN.

Cum ad instantiam Rm̃i D. Episcopi Lausanen. S. R. C. pro declaratione infrascriptorum dubiorum demisse supplicatum fuerit, nempe.

1. An sicut fit Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Lausanen., licet ab haereticis pollutae, ita illius Titulare Festum peragendum sit per Dioecesim?

2. An Festa Fori cum Festis Chori tantum, sed ejusdem ritus concurrentia, utrasque Vesperas integras habere debeant?

3. An quoties fit Aqua benedicta, toties sal sit exorcizandus, vel adhiberi possit jam in hujusmodi functione exorcizatus, et in hunc usum servatus, conformiter Rituali Romano Pauli V. de Baptismo administrando?

S. eadem R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 8. *Aprilis* 1713.

3705. SENOGALLIEN.

Praetendente Curato Ecclesiae S. Luciae Terrae Montis Alboddi Dioecesis Senogallien., occasione funerum, Haeredes non habere facultatem faciendi depositum defuncti in Ecclesiis sibi bene visis; ex parte Guardiani, et Patrum Minorum Conventualium nomine Vicarii Foranei, et civium Terrae praedictae Sac. Rit. Congregationi pro declaratione: An arbitrio Haeredum defuncti depositum sit faciendum in quacumque Ecclesia? humillime supplicatum fuit.

Et S. eadem R.C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, respondit: *Dentur Decreta in Senogallien.* 22. *Junii* 1675., et pariter *in eadem causa* 9. *Maii* 1705. (2581. 3573.). *Die* 1. *Julii* 1713.

3706. MAJORICEN. PRAEEMINENTIARUM.

Cum inter Dignitates Ecclesiae Cathedralis Majoricen., et Canonicos ejusdem Ecclesiae ortae fuerint nonnullae controversiae super eorumdem praeeminentiis tum in Capitulo, tum in Choro, aliisque functionibus, iisque ad S.R.C. delatis concordata fuerint, et ex parte Dignitatum infrascripta Dubia proposita, videlicet.

1. An Dignitates Ecclesiae Majoricen., quamvis non sint Canonici, habeant locum, et vocem in Capitulo in omnibus corcernentibus bonum regimen Ecclesiae, exceptis tantum, quae concernunt fructus mensae capitularis? Et quatenus affirmative.

2. An dictae Dignitates Canonicatum non habentes, debeant praecedere in stallo, et voto omnes Canonicos in Capitulo?

3. An spectet ad Dignitates gradatim, juxta earum ordinem, vel potius ad Canonicos ministrare Sacramenta Episcopo infirmo, eoque defuncto Officia celebrare?

4. An, nolente, vel impedito Episcopo celebrare in solemnitatibus majoris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostes, et caeteris expressis in Caeremoniali Episcoporum, signanter cap. 34. lib. 2., pront etiam occasione Processionum SSm̃i Corporis Christi, et similium: An dictae functiones majo-

res expleri debeant per Dignitates gradatim juxta illorum ordinem, vel potius explendae sint per Canonicos a Capitulo deputandos?

5. An Dignitates cogi possint ad Evangelium canendum, celebrante Canonico, vel alio inferiori?

6. An, mortuo Episcopo, ante electionem Vicarii Capitularis, spectet ad primam Dignitatem, et successive ad alias gradatim, vel potius ad Canonicum antiquiorem convocare Capitulum?

7. An sede Episcopali vacante, spectet ad primam Dignitatem, et successive ad alias gradatim celebrare functiones Ecclesiasticas in majoribus Festivitatibus, quae, vivente Episcopo, ex dispositione Caeremonialis faciendae sunt per Episcopum, vel potius spectet ad Vicarium Capitularem, vel alium Canonicum a Capitulo eligendum?

S. vero R. C. sub die 20. Augusti 1712., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. de Abdua, partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Dilata*.

Ad 2. *Dilata*.

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 4. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Dilata*.

Ad 7. *Non proposita*.

Cumque ex parte Canonicorum demandata, et obtenta fuerit ab eodem Emo D. Card. de Abdua nova audientia tam super iisdem praedictis Dubiis jam resolutis, quam super illis, in quibus fuit responsum = *Dilata* = Eadem S.R.C., auditis iterum informationibus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, referente eodem Emo, et Rmo D. Card. de Abdua rescripsit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Satis provisum in primo*.

Ad 3. *In decisis*.

Ad 4. *In decisis*.

Ad 5. *In decisis*.

Ad 6. *Spectare ad primam Dignitatem, quae sit Canonicus, et deinde gradatim ad alias Dignitates, quae pariter sint Canonici*.

Ad 7. *Spectare ad primam, et successive ad alias Dignitates, etiam si non sint Canonici*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Augusti* 1713.

3707. MAJORICEN. PRAEEMINENTIARUM.

Inter Dignitates insimul Canonicos Ecclesiae Cathedralis Majoricen., et Canonicos ejusdem Ecclesiae partibus ex altera super praeeminentiis, controversiis exortis, illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta Dubia ad instantiam Canonicorum dictae Cathedralis inter partes concordata ab Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua declaranda proposita fuerunt, nempe.

1. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Junii 1674.?

2. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 20. Novembris 1677., ita ut turnus incipere debeat a Canonicis antiquioribus, vel potius a Dignitatibus?

3. An idem in Coadiutoribus Dignitatum, et Canonicorum insimul?

4. An Coadiutor Dignitatis, qui sit insimul Coadiutor Canonicatus, praecedere debeat Canonicos antiquiores tam in sedendo, quam in votando in Capitulo, seu potius habere locum destinatum suae Coadiutoriae, et dare votum in eodem loco?

5. An Dignitates, et eorum Coadiutores, sive sint, sive non sint Canonici, praecisive a functionibus Chori, et Processionum, in caeteris congressibus extra Ecclesiam Cathedralem, ubi Canonici capitulariter solent concurrere, debeant Canonicos omnes praecedere, quamvis sint juniores, vel teneantur primum locum cedere antiquioribus, vel ab hujusmodi congressibus sese abstinere?

6. An Dignitates, Canonici, et eorum Coadiutores possint ab Ecclesiasticis oneribus se excusare, sub praetextu, quod non eligantur in praetenso loco eorum Dignitatis, et an possint compelli a Capitulo ad dicta munera subeunda in proprio stallo, et turno Canonicali?

S. eadem R. C. sub die 20. Augusti 1712. utraque parte audita, respondit. Ad 1. *Recedendum a decisis sub die 16. Junii 1674.*, (2547.) *nempe competere praecedentiam Dignitatibus, habentibus Canonicatum, supra simplices Canonicos etiam antiquiores.*

Ad 2. *Recedendum a decisis sub die 20. Novembris 1677.*, (2691.) *ita ut turnus incipere debeat a Dignitatibus.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 5. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 6. *Satis provisum in praecedentibus.*

Reproposita modo, vigore novae audientiae, dicta causa super iisdem dubiis, S.R.C., ad relationem ipsius Emi Dni Card. de Abdua, visis, et auditis iterum juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *In ultimo loco decisis.*

Ad 2. *In ultimo loco decisis.*

Ad 3. *In decisis.*

Ad 4. *In decisis.*

Ad 5. *In decisis.*

Ad 6. *In decisis, et in omnibus amplius.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 26. Augusti.* 1713.

3708. MEXIVAN.

Ex parte Rmi Dni Petri Martyris Archiepiscopi Mexivan. in Armenia pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S.R.C. enixe supplicatum fuit tenoris sequentis.

1. „ Li Religiosi spesse volte dicono Orazioni proprie de morti nelle

„ Messe de vivi, e ciò ancora nelle maggiori Solennità, e nella Messa più „ solenne, e cantata, e questo fanno, per quanto m'hanno detto, perchè così vo„ gliono i Secolari, quali non vogliono dare la limosina, se non dicono „ tali Orazioni, anzi hò inteso dire alle volte Messe votive ne giorni, che „ non possono dirsi; L'hò avvisati, ma dicono, non poter far di meno, „ per non perdere quella limosina, che mai sarà loro data, se non fan„ no così?

2. „ Per lo più, e quasi sempre nel Battesimo fanno l'uffizio di Padri„ no piccoli Figlioli di nove, ovvero dieci anni, poco più, poco meno, e „ sin'ora non hò veduto quì uomo di perfetta età a fare simile officio; „ pare se ne vergognino, non sò, se le dette due cose possino tol„ lerarsi?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Ad mentem*, et mens est, *quod, attentis locorum, et personarum circumstantiis, moneat, dispenset, et licentiam concedat, prout suae prudentiae visum fuerit*.

Ad 2. *In eodem*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Augusti* 1713.

3709. PAPIEN.

Cum in loco Curtis Olonae Dioecesis Papien. die 9. Augusti Festum S. Firmi Mart. ex antiqua consuetudine solemniter celebretur, ibique nundinae magno finitimorum populorum concursu fieri soleant, ac in eumdem diem incidat pervigilium S. Laurentii Mart., adeoque jejunium a majori confluentium, et Indigenarum parte violari contingat; supplices preces S.R.C. porrexere communitas, et homines praedicti loci, ut jejunium ipsum, quod servandum esset die 9., imposterum servari posse die 8. Augusti, indulgere dignaretur.

Et S. eadem R.C., referente Emo, et Rmo D. Card. Casino, *gratiam petitam concedendam esse* censuit, *arbitrio Emi Episcopi, si SSmo videbitur*. *Die* 26. *Augusti* 1713.

Factaque deinde per me Pro-Secretarium de praedictis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. *Die* 6. *Septembris ejusdem anni* 1713.

3710. BAREN.

Super Juribus honorificis, sive praeeminentiis in Processionibus, alisque Ecclesiasticis functionibus inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Baren. ex una, et Confraternitatem SSmi Sacramenti ejusdem Civitatis partibus ex altera, controversiis exortis, et ab Emo, et Rmo D. Card. de Abdua in S. R. C. infrascriptis dubiis propositis, videlicet.

1. An in Processione, quae fit in die Corporis Christi, et in alia, quae fit infra Octavam, nec non etiam in aliis quibuscumque Processionibus, quae fiunt infra annum, liceat confratribus SSmi Sacramenti incedere post Crucem Capituli, seu Patriarchae junctim, seu intermedie cum Canonicis Metropolitanae Ecclesiae, sive isti incedant in habitu chorali, sive cum pluvialibus, attenta praetensa consuetudine, in casu etc.

2. An idipsum liceat eidem Confraternitati in associatione cadaverum, attenta praetensa consuetudine in casu? Et quatenus negative?

3. An liceat Confraternitati praedictae in omnibus praedictis Processionibus, non invitare dictum Capitulum, et Canonicos.

4. An in qualibet ex dictis Processionibus requiratur consensus, et licentia Capituli, sive Archiepiscopi?

5. An in Anniversariis, quae fiunt pro Animabus confratrum, praesente Capitulo, possint iidem confratres sedere in banco posito in medio Chori a duobus ejus lateribus, attenta praetensa consuetudine, in casu etc?

6. An in Feria V., et VI. majoris Hebdomadae, possint iidem confratres assistere functionibus, sedendo in stallis Canonicorum, Canonicis sedentibus in medio ejusdem Chori ab utroque latere, et Archiepiscopo sedente in medio pontificaliter induto, attenta praetensa consuetudine, in casu etc.?

7. An in die Corporis Christi, et octava possint iidem confratres habere sedem, seu locum retro Altare majus ejusdem Cathedralis, attenta praetensa consuetudine, in casu etc?

Cum S. R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, sub die 2. Julii anni proximi praeteriti 1712. rescripserit: ad mentem; et mens fuerit, ut scriberetur Rmo D. Archiepiscopo, qui curaret partes componere. Cumque ex parte Confraternitatis praedictae hujusmodi Rescripto minime aquiescentis, ab eodem Emo, et Rmo D. Card. de Abdua suprascripta dubia inter partes concordata iterum decidenda proposita fuerint.

S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1., et 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Requiri licentiam Archiepiscopi tantum*.

Ad 5., 6., et 7. *Negative, et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Septembris* 1713.

3711. MEDIOLANEN.

Cum in Ecclesia Collegiata S. Nazzarii majoris Civitatis Mediolani, in in qua dum Canonici vicissim obligationem habent inserviendi Praeposito dictae Collegiatae diebus Dominicis, aliisque solemnioribus anni festivitatibus in officio Diaconi, et Subdiaconi, stylus, sive abusus irrepserit, nonnullos ex illis Ordinis Subdiaconalis absque eo, quod dicto Ordine sint insigniti, officium Subdiaconatus exercendi, utendo Dalmatica absque tamen manipulo. Hinc ex parte Marci Mariae Barbavarae Praepositi Ecclesiae praedictae in S. R. C., infrascripta Dubia inter partes concordata, proposita fuerunt.

1. An Canonici insignis Collegiatae Ecclesiae S. Nazzarii Mediolani in minoribus ordinibus constituti exercere valeant officium Subdiaconi, ministrando solemniter Celebranti induti Dalmatica, aliisque sacris vestibus, sed absque manipulo? Et quatenus negative.

2. An teneantur recipere Ordinem Subdiaconatus, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus informantibus auditis, ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. Corradini, respondendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Ad Sac. Congregationem Concilii*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Septembris* 1713.

3712. SENOGALLIEN.

Inter Confraternitates, aliaque Loca Pia tam Saecularium, quam Regularium Civitatis Senogallien. ex una, et adversus Confraternitates S. Josephi, et Charitatis, ac Magistratum ejusdem Civitatis, partibus ex altera, super elevatione sedilis, dum idem Magistratus functionibus Ecclesiasticis intervenit, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. S. Clementis infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An liceat Confratribus Societatis S. Josephi, et Charitatis in eorum Ecclesia elevare sedile Magistratus, in casu etc.?

2. Et quatenus *Affirmative*: An liceat in Ecclesiis tam aliarum Confraternitatum, quam Regularium consimilem elevationem facere?

3. Quatenus vero *Negative*: An Magistratus teneatur accedere ad Ecclesias dictarum Confraternitatum, et Regularium in festivitatibus, in quibus est solitus intervenire, solitasque oblationes in eis facere, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, respondendum, censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative*, *et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Septembris* 1713.

3713. NULLIUS ALTAMURAE.

Inter Cappellanos Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai Civitatis Altamurae ex una, et Franciscum Corcoli Cantorem, aliasque Dignitates supradictae Ecclesiae Collegiatae partibus ex altera, ortis controversiis, illisque in S. R. C. relatis, Emus, et Rmus Dñus Card. S. Clementis infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An Dignitatibus Ecclesiae S. Nicolai Missam solemniter celebrantibus, debeatur Presbyter assistens cum pluviali? et quatenus *Affirmative*,

2. An debeat esse unus ex Cappellanis, seu potius extra numerum?

3. An constet de attentatis, quae, et quomodo sint purganda in casu, de quo agitur?

Et S. eadem R. C., partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, respondendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*, *in casu*, *de quo agitur*.

Ad 2. *Coadjuventur probationes*, *et interim assistat unus ex Cappellanis*, *sine praejudicio jurium ambarum partium*, *et per modum provisionis*.

Ad 3. *Jam provisum*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Septembris* 1713.

3713. CATANIEN.

Proposito in S. R. C. nomine Joannis Baptistae Musmecii Ecclesiae Collegiatae Oppidi Arcis Regalis Catanien. Dioecesis caeremoniarum Magi-

stri supplici Libello, et in eo simul dubio. = An in Novemdiali ante Nativitatem Domini, liceret in eadem Ecclesia Missam de B. Virgine, ad quam ex voto Magistratus praedicti Oppidi se obligavit, solemniter canere, etiam die Dominico, et in Festo S. Thomae Apostoli?

Eadem S. R. C. respondit: *Cantari posse, ac debere Missam praedictam cum* Gloria, *et* Credo, *etiam in diebus enunciatis instar Missarum Votivarum pro re gravi, non omissa tamen in eadem Ecclesia Missa Conventuali. Die 9. Decembris 1713.*

3714. PLACENTINA.

Cum sub die 26. Augusti 1713. proximi praeteriti S. R. C. in causa Placentina dubiorum, super jure peragendi functiones inter Comitem Fridericum Scottum Praepositum Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis S. Mariae in Galliverto Civitatis Placentinae ex una, et Congregationem Oratorii S. Philippi Nerii partibus ex altera, controversiis exortis, referente Emo, et Rmo D. Card. Ptholomeo, rescribendum censuerit: *Dilata, et adducendas esse constitutiones synodales.* Quibus exhibitis, idem Emus Ponens infrascripta dubia iterum decidenda proposuit.

1. An Prior, et Officiales pro tempore Congregationis S. Philippi Nerii, possint in eorum Oratorio facere publicas expositiones cum SSmo Eucharistiae Sacramento, et dare cum Eo benedictionem super populo, celebrare Missas solemnes, praecipue diebus festis dictae Congregationis, et in suffragium defunctorum, facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis, benedicere ramos olivarum, seu palmarum, candelas, et cineres, ac exponere publicae venerationi Reliquias, et Sanctorum Imagines, independenter a Praeposito Parocho?

2. An possint, statis horis, cum cantu, vel sine dicere horas canonicas, indepeudenter, ut supra?

3. An possint Episcopo, vel Magnatibus accedentibus ad Oratorium, porrigere Asperscrium independenter, ut supra?

4. An possint habere publicas conciones cum licentia tantum Ordinarii?

5. An possint facere Processiones extra ambitum Oratorii, cum licentia Praepositi Parochi?

6. An possint administrare oblationes, et eleemosynas, ac capsulae pro illis recipiendis clavem retinere, et de quibus bonis propriis disponere independenter, ut supra?

7. An possint retinere sedem confessionalem ad publice audiendas confessiones fidelium utriusque sexus, independenter, ut supra, in casu etc.

Et S. eadem R. C., omnibus mature perpensis, et partibus hinc, inde tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Quoad primam partem dubii circa expositionem SSmi Sacramenti, Imaginum, et Sacrarum Reliquiarum, Affirmative de licentia Episcopi; quoad secundam partem circa Missas, et Officium funebre super cadaveribus defunctorum, Negative; Ad tertiam partem circa benedictionem olivarum, candelarum, et cinerum, Negative.*

Ad 2. *Affirmative, servata forma constitutionis synodalis.*

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Affirmative*, *juxta proprium Institutum*.

Ad 6. *Affirmative*.

Ad 7. *Affirmative de licentia Episcopi*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 10. *Martii* 1714.

3715. URBIS.

Occurrente ut plurimum prima Dominica mensis Maii Festo SSrum̃ Apostolorum Philippi, et Jacobi, vel S. Joannis ante Portam Latinam, sive Inventionis S. Crucis, sive Dominica in Albis, in qua a Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae Urbis ex speciali Brevi S. M. Innocentii PP. XI. dictae Ecclesiae concesso recitatur Officium cum Missa B. Turribii Archiepiscopi Limani, ac pariter eadem die magno Populi concursu fideles caelesti mensa reficiuntur; idem Capitulum, et Canonici S. R. C. demisse supplicarunt pro declaratione: An, attenta concessione hujusmodi Brevis in occurrentia similium Festivitatum, Officium cum Missa dicti Beati recitare possint?

Et S. eadem R. C., *attentis circumstantiis, celebrationem Missae Solemnis tantum ipsius Beati in dicta prima Dominica Mensis Maii, cum translatione tamen Officii ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas, Oratoribus benigne concessit*. *Die* 10. *Martii* 1714.

3716. FOROLIVIEN.

Cum occasione funerum inter Monachos, et Parochum S. Mercurialis ex una, et Laurentium Mazzolinum modernum Parochum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Forolivii partibus ex altera, ortae fuerint controversiae super Crucis elevatione, et delatione Stolae, dum Parochus tunc temporis dictae Ecclesiae Cathedralis cum aliis Presbyteris ad Ecclesiam praedictorum Monachorum pro peragendis funeribus quondam Ludovici de Merendis se contulerat; cumque idem Parochus ab Episcopo Foroliven, coram quo causa discussa fuerat, favorabile obtinuerit Decretum, istud ex parte praedictorum Monachorum interposita appellatione, causaque ad S. R. C. devoluta, Em̃us, et Rm̃us D. Card. Fabronus infrascripta dubia declaranda proposuit.

1. An licuerit Parocho Ecclesiae Cathedralis Forolivii invitato ad associationem Cadaveris sepeliendi in Ecclesia Parochiali defuncti elevare Crucem, et deferre Stolam, in casu etc.?

2. An substineatur Decretum Episcopi Foroliven?

Et S. eadem R. C., Parocho dictae Cathedralis non solum pluries citato, sed hujusmodi controversiae se minime opponere declarante, unica proinde tantum parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, respondendum censuit. Ad 1., et 2. *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Aprilis* 1714.

3717. OSTUNEN.

Cum S. R. C. ad relationem cl. mem. Em̃i Dñi Card. Colloredi super juribus honorificis inter Episcopum, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Ostuni ex una, adversus Ducem dictae Civitatis partibus ex altera, jamdudum ortis controversiis, plures ediderit resolutiones sub diebus scili-

cet 24. Novembris 1703. 12. Julii 1704., et 14. Maii 1707. (3519. 3549. 3622.); cumque Episcopus, et Dux supradicti, ad dirimendas controversias devenerint ad infrascriptam concordiam per D. Simonettum, vigore publici Instrumenti exaratam die 12. Januarii 1711. tenoris sequentis.

1. „ Circa il secondo, in verun conto la sedia del Sig. Duca potrà „ mai rimaner fissa, e stabile, non avendo neppure il Sig. Vice-Rè in Na„ poli questa prerogativa nelle Chiese; ma bensì Monsig. Vescovo predetto „ acconsente, che se gli accorda nella Chiesa Cattedrale la sedia nel me„ desimo sito, ove la pretende il medesimo Sig. Duca, perchè, riconosciu„ tosi ocularmente detto sito dal mentovato Sig. Uditor Simonetti, non „ porta quello impedimento alcuno, nè conseguenza alcuna, ed interesse „ veruno al Capitolo; tanto più, che il medesimo Sig. Duca ha altre volte „ occupato di buon consenso di Monsig. Vescovo predetto, e senza veru„ na contradizione di detto Capitolo, per esser fuori affatto del Presbiterio, „ nè egli è stato mai in altro sito di quello, dopo che restò pregiudica„ to del luogo antico, coll'occasione che si volle da Monsig. Vescovo Me„ lazzi Predecessore dell'odierno Monsig. Fili, dilatare il Presbiterio ac„ cennato „.

2. „ Rispetto al terzo siccome viene reintegrato il Sig. Duca nel sito „ preteso della sua sedia, per averglielo altre volte accordato Monsig. Vesco„ vo odierno, che gli fu assegnato il banco per li suoi Gentiluomini al„ tre volte similmente tollerato in tempo suo, con farli sedere nel banco „ dei Sigg. Petraróli; ed affine d'evitare ogni inconveniente, per ciò, che „ riguarda alcuni banchi di termine, offerisce il medesimo Monsig. Vescovo „ nella detta sua Chiesa, quando ciò possa riuscire comodamente, e sen„ za contradizione, una divisione per la medesima, e con questa di resti„ tuire anco il banco al Governatore, Sindaco, ed altri del Governo di „ detta Città, siccome l'avevano prima che si dilatasse il Presbiterio pre„ detto. Se poi la Famiglia Petraroli pretenderà d'aver jus alcuno sopra „ il sito del banco controverso, il che si nega dal Sig. Duca, potrà quel„ la sperimentare le sue ragioni in Roma col Sig. Duca medesimo.

3. „ Al quinto si contenta Monsig. Vescovo, che si dia al Sig. Duca „ il titolo controverso, non recando ciò alcun pregiudizio alla sua Digni„ tà. nè a questo punto, siccome neppure agl'altri due precedenti osta il „ foglio venuto da Roma da Monsig. Vescovo allegato, per esser quello „ un sentimento privato di chi sosteneva colà le parti di Monsig. Vescovo „ predetto, sebbene dica in esso esser tale il sentimento di Mons. Inghirami.

4. „ Al settimo acconsente Monsig. Vescovo quanto a se, e senza „ impegnarsi colle Sigg. Monache, che possa permettersi non tanto al Sig. „ Duca, che ai suoi Sigg. Congiunti di portare una, o più sedie tutte le „ volte, che occorrerà nel Parlatorio delle medesime, siccome hanno sem„ pre fatto per il passato, per non obbligarsi a stare insieme, ed a com„ munanza cogli altri in un banco, ove ben spesso assisi li più vili della „ Città. e per ciò fare, che il banco, che vi stà ora inchiodato si renda „ amovibile, come prima.

Et tam ipse Episcopus, quam Dux pro ejusdem firmiori validitate institerint concordiam praedictam a S. R. C. approbari.

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Fabroni, citato prius Capitulo Ecclesiae Cathedralis d. Civitatis ad causam admisso, visis, que juribus, tam in voce, quam in scriptis ab utraque parte deductis, respondendum censuit: *Non esse locum approbationi*. Et ita decrevit. *Die* 21. *Aprilis* 1714.

3718. SALERNITANA.

Cum in Decreto Generali circa Rubricas a S. R. C. edito die 20. Martii 1706. (3592.) statutum fuerit, quod varia Officia SSmi semel in mense, vel semel in hebdomada aliquibus Ecclesiis, Congregationibus, Religionibus, sive Nationibus recitari concessa in feriis Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum, Vigiliarum, et in Feria secunda Rogationum, et in illa Feria, in qua, secundum Rubricas, sit reponendum Officium Dominicae, minime recitari possint; ex parte modo Capituli Ecclesiae Salernitanae S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione: An Officium S. Matthaei, attentis privilegiis, includatur in supradicto Decreto Generali?

Et S. R. C. respondit: *Comprehendi*. *Die* 21. *Aprilis* 1714.

3719. SPOLETANA.

Remissis nuper ab Auditore SSmi ad S. R. C. controversiis inter Parochos Castri Crucis, et Villae Orvani Spoletanae Dioecesis ex una, et Petrum Buccettum Plebanum Terrae Fematris, ac Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Spoleti partibus ex altera, Emus, et Rmus D. Card. Priolus in S. R. C. infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Parochi Castri Crucis, et Villae Orvani teneantur accedere ad Processionem SSmi Corporis Christi, quae fit in Villa Fematris?

2. An liceat Parocho S. Crucis facere Processionem in die Festivitatis SSmi Corporis Christi, cum interventu aliorum Sacerdotum incedere volentium?

3. An liceat Parocho Castri Orvani facere Processionem in die Dominica infra octavam ejusdem Solemnitatis?

4. An electio Cappellani in Ecclesia B. M. *detta dell'Eremita*, sita in Territorio Crucis, libere spectet ad homines Castri Crucis, villae Orvani, ac Fematris, ita ut electio fieri possit de Sacerdote aliorum locorum?

5. An electio Cappellani dictae Ecclesiae, in personam R.D. Josephi Buccelti facta a Rmo Episcopo, substineatur?

6. An Cappellanus praedictus teneatur celebrare Missas in dicta Ecclesia in diebus festivis, vel ad sui libitum?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative, et servetur Decretum Episcopi*.

Ad 3. *Ad mentem*. Et mens est, *quod usque dum Ecclesia non habeat paramenta, et alia decentia, et requisita ab Episcopo, non liceat in ea facere Processionem*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5., *et* 6. *Dilata*, *et audiatur Episcopus*. Et ita decrevit. *Die* 21. *Aprilis* 1714.

3720. NOVARIEN. JURIS REVERENTIALIS.

Super modo recipiendi a Canonicis Regularibus Lateranensibus S. Mariae Gratiarum Civitatis Novariae, Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, una cum Decurionibus Civitatis praedictae in Festo Nativitatis B. M. V., ad Ecclesiam dictorum Canonicorum Regularium accedentes, ortis controversiis, eisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. S. Vitalis infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An, accedentibus processionaliter una cum Cruce, et Clero, et una cum Decurionibus Civitatis Capitulo, et Canonicis Cathedralis ad Ecclesiam S. M. Gratiarum in Festo Nativitatis B. M. V., teneantur Canonici Regulares Lateranenses dictae Ecclesiae recipere dictum Capitulum, et Canonicos?

2. Et quatenus Affirmative: In quo loco dictae Ecclesiae teneantur recipere, et quousque tam in accessu, quam in recessu associare, et an in Corpore, et cum superpelliceo, an sine teneantur?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, respondit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Dilata*, *et concedantur Literae Remissioriales*, *et interim*, *per modum provisionis*, *sine praejudicio jurium ambarum partium*, *recipiant in ingressu*, *et associent in regressu eodem modo Capitulum*, *et Magistratum*. Et ita decrevit. *Die* 18. *Augusti* 1714.

3721. URBIS, SEU ROMANA.

JURIUM, ET PRAEEMINENTIARUM.

Super jure deferendi Crucem, et Stolam per Sacristam, sive Cappellanum Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae, occasione associationis cadaveris in dicta Ecclesia tumulandi, inter Parochum S. Quirici, et Julitae ex una, et Capitulum, et Canonicos ejusdem Ecclesiae Collegiatae S. Anastasiae Urbis partibus ex altera. nuper ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, infrascripta Dubia inter partes concordata ab Emo, et Rmo D. Card. Origo proposita fuerunt.

1. An in associatione cadaverum, quae humanda deferuntur ad Ecclesiam S. Anastasiae, sit ejus Crux erigenda?

2. An in eadem associatione possit ejusdem Ecclesiae Sacrista, seu Cappellanus cum stola una cum Parocho defuncti, saltem ad sinistram incedere?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, inhaerendo Decretis alias in similibus editis, et signanter sub die 9. Augusti 1681. favore ejusdem Ecclesiae S. Anastasiae, respondendum censuit. Ad 1., et 2. *Affirmative*. *Die* 18. *Augusti* 1714.

Decretum anni 1681. est, ut sequitur. = Instantibus Capitulo, et Canonicis vetustissimae Collegiatae Ecclesiae S. Anastasiae de Urbe, Sac. Ri-

tuum Congregatio, inhaerendo Decretis alias editis, declaravit: *In associatione cadaverum, quae humanda deferuntur ad eamdem Ecclesiam, ipsius Crucem erigendam esse, et ejusdem Sacristam, seu Cappellanum cum Stola incedere, et in ipsa Ecclesia circa praedicta cadavera Officium, et absolutionis caeremoniam peragere debere*. Et ita servari mandavit. *Die 9. Augusti 1681.*

3722. TIRASONEN.

Cum ex parte Beneficiatorum Ecclesiae Parochialis S. Mariae Magdalenae loci de Albitos Dioecesis Tirasonen, expositum fuerit, quod in dicta Ecclesia pro adimplendis oneribus, juxta dispositionem Testatorum, multa Anniversaria celebrari debeant; cumque ob occurrentiam Festorum duplicium Missas cantatas de Requiem celebrari posse dubitatum fuerit; propterea Beneficiati praedicti pro hujusmodi declaratione S. R. C. humillime supplicaverunt.

Et S. eadem R. C., juxta alias resoluta, declaravit: *Anniversaria, et Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum Obitus, posse celebrari, Missa solemniter cantanda de Sancto duplici occurrente minime praetermissa*. Et ita decrevit. *Die 15. Septembris 1714.*

3723. URBIS, ET ORBIS.

Cum occasione Missalis typis Sac. Congregationis de Propaganda Fide summa cura, ac diligentia novissime impressi, et prope diem publico usui exponendi S. R. C. enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla ejusdem S. C. Decreta, jam alias edita, et approbata, in praedicto novo Missali summatim apponi, et imprimi posse benigne concedere dignaretur, videlicet.

Missae pro defunctis, sive de requiem in Festis duplicibus contra praescriptum Rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debeant. Quod si ex Benefactorum institutione Missae hujusmodi celebrandae incidunt in festum duplex, tunc, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus, detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum. Die 5. Augusti 1662. approbatum a fel. rec. Alexandro VII. eadem die (2031.)

Praedictum Decretum ab ejusdem fel. rec. Alexandri VII. speciali Brevi, quod incipit = *Credite nobis* = denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse quoad Missas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, et indulgentias per huiusmodi privilegia concessa Animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum. Ac denique declaratum: Anniversaria, et Missas cantatas de requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis in praedicto Decreto die 5. Augusti edito minime comprehendi, prout antea in una Novarien. 22. Novembris 1664., (2157.) eadem S.R.C. delaraverat; die 22. Januarii 1667. Pontificatus XII. (approbando Decretum ejusdem S. R. C. 1. Decembris 1666. num. 2234.).

Deinde fel. rec. Clemens IX. Sac. Congregationis Decreta alio Brevi, cu-

jus initium = *Cum fel. recordat. etc.* = iterum confirmavit, praedictamque Alexandri VII. dispositionem ad Altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed in aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadae diebus nunc, et in futurum quandocumque privilegiata extendit die 23. Septembris 1669. Pontificatus III., approbando Decretum ejusdem S.C. 20. Julii 1669. (num. 2337.).

Tandem proposito Dubio: An supradictae Alexandri VII., et Clementis IX. declarationes sibi lucum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, et infra octavam Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus, licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missae defunctorum, juxta ritum Ecclesiae celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missae, quas iisdem diebus celebrare licet, servata caeteroquin privilegiorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur; eadem S.R.C. die 3. Aprilis 1688. (3009.) praedictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit, ejusque Decretum subinde confirmatum fuit a fel. rec. Innocentio PP. XI. speciali Brevi, quod incipit = *Alias post quam* = Dato die 4. Maii 1688.

Decretum a S.R.C. anno 1630. (verius 1631. num. 745.) editum, quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia, et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum corpora, vel Reliquiae insignes in eisdem asservantur, intelligendum est dumtaxat de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis eorumdem, vel insignis Reliquiae; secus vero de Sanctis in eodem Martyrologio non descriptis. Quorum tamen corporibus, et Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis, debita a Fidelibus veneratio exhibenda est, sed absque Officio, et Missa sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii V. contentis. Die 11. Augusti 1691. approbatum a fel. rec. Innocentio XII. Die 19. Octobris (3096.).

Ad augendam Fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ejusque cultum in toto Terrarum orbe promovendum prohibitum est celebrare Missas votivas, vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi. Die 21. Junii 1670., eodemque die a fel. rec. Clemente IX. approbatum (2353.).

Item prohibitum est easdem Missas celebrare infra octavam Nativitatis Domini. In Missis vero solemnibus pro re gravi infra eamdem octavam celebrandis, dicenda est Praefatio, juxta Rubricam Generalem tit. 2. num. 4. Die 25. Septembris 1706. jam a SSmo approbatum (3604.).

Re vero in S.R.C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Barbarini pluries discussa, et mature perpensa, S. eadem R. C.: *Praedicta Decreta tum, ut celebrantium instructioni, et usui sint, tum, ut nonnulli abusus, qui in aliquibus locis irrepserunt, penitus evellantur, in Missali post Rubricas generales apponi, et imprimi posse* censuit, *si SSmo Dno nostro visum fuerit. Die 15. Septembris* 1714.

Factaque deinde per me Pro-Secretarium de praedictis SSmo Dno Nos-

tro relatione, Sanctitas Sua: *Sensum S.C. approbavit, eademque Decreta in Missali apponi, et imprimi mandavit. Die 29. Septembris ejusdem anni 1714.*

3724. COMEN.

Cum sub die 3. Februarii 1714. referente Emo, et Rmo D. Card. de Abdua in causa Comen. Jurium Parochialium, seu Praeeminentiarum, super controversiis exortis inter Parochum, Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Euphemiae Insulae ex una, et Deputatos Ecclesiae B.M.V. de Succursu Insulae, ejusque Cappellanum Dioecesis Comen. partibus ex altera, S.R.C. rescripserit = *Dilata, et condjuventur probationes juxta instructionem Emi Ponentis*; cumque modo ab eodem Emo, et Rmo Dno Card. de Abdua hujusmodi causa iterum proposita fuerit super infrascriptis Dubiis.

1. An Ecclesia B. M. de Succursu, sita intra limites Parochiae Insulae sejuncta tamen a Parochiali, habeat aliquam dependentiam in explendis functionibus Ecclesiasticis non parochialibus a Parocho, vel a Capitulo Collegiatae S. Euphemiae Insulae praedictae? Et quatenus negative.

2. An celebratio Missae cantatae in diebus Sabbati, festivis, aliisque infra annum, spectet ad Cappellanum dictae Ecclesiae?

3. An Episcopo accedenti ad dictam Ecclesiam porrigendum sit aspersorium a Cappellano, vel potius a Parocho?

4. An possit Archipresbyter Parochus, vel alius de dicto Capitulo retinere clavem capsulae expositae in dicta Ecclesiae de Succursu pro recipiendis eleemosynis?

S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative, exceptis functionibus expressis in synodo Turriani.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Porrigendum a Cappellano.*

Ad 4. *Affirmative.* Et ita decrevit. *Die 24. Novembris 1714.*

3725. TARENTINA.

Inter Confraternitatem SSmi Sacramenti ex una, et Confraternitatem SSmi Rosarii Terrae Martinae Dioecesis Tarentinae partibus ex altera, super Jure deferendi Crucem in funeribus, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Fabronus infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An Confraternitas SSmi Rosarii, in associatione cadaverum tumulandorum in Ecclesia S. Dominici, teneatur, interveniente Capitulo Collegiatae, et Confraternitate SSmi Sacramenti, incedere sub Cruce, quae defertur a tali Confraternitate, vel potius possit incedere sub Cruce ab ipsa Confraternitate Rosarii deferenda?

2. An dicta Confraternitas Rosarii, etiamsi sola invitata ad associanda cadavera tumulanda in aliis Ecclesiis, quamvis Regularibus, possit intervenire sine Confraternitate SSmi Sacramenti? Et quatenus negative.

3. An possit incedere sub Cruce ab ipsa deferenda, vel potius debeat sub Cruce, quae defertur a Confraternitate SSmi Sacramenti?

Et S. eadem R. C., visis juribus ab utraque parte tam in scriptis, quam in voce deductis, rescribendum censuit. Ad 1. *Neutri competere Crucis elevationem*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Satis provisum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Novembris* 1714. Proposita iterum causa die 27. Julii 1715., S.C. respondit = *In decisis*.

3726. CONSENTINA.

Inter Patres Ordinis S. Francisci Minoris Observantiae ex una, et Patres Ordinis S.Dominici partibus ex altera Civitatis Consentinae super Jure peragendi Processionem, ortis controversiis, illisque inS.R. C. delatis, Eĩus, et Rĩus D.Card.Albanus, infrascripta Dubia inter partes concordata, decidenda proposuit.

1. An Professoribus Ordinis Praedicatorum ex Indultis Apostolicis, competat jus privativum peragendi Processionem SSĩi Eucharistiae Sacramenti, toto tempore post prandium Dominicae infra Octavam Festivitatis Corporis Christi?

2. Et quatenus negative: An sit locus declarationi, seu ampliationi Indultorum, in casu etc?

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, rescribendum censuit: *Negative ad utrumque, et injungendum Episcopo, ut curet, ne oriantur scandala*. Et ita decrevit. *Die* 19. *Januarii* 1715.

3727. CAMERINEN. PRAEEMINENTIARUM.

Ad sedandas controversias jamdiu excitatas inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ex una, et Capitulum, ac Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Venantii partibus ex altera Civitatis Camerinen., super nonullis praeeminentiis ab utraque parte praetensis, Eĩus, et Rĩus Dñus Card. Casinus infrascripta Dubia in S.R.C. declaranda proposuit.

1. An Priori Collegiatae Ecclesiae S. Venantii, occasione accessus capitulariter ad Ecclesiam Cathedralem, debeatur locus in Presbyterio ejusdem Cathedralis? Et quatenus Affirmative.

2. An eidem Priori debeatur praecedentia ante Praepositum, aliosque Canonicos ejusdem Cathedralis, tam praesente, quam absente Archidiacono prima Dignitate ejus Cathedralis?

3. An idem locus in dicto Presbyterio debeatur etiam Canonicis ejusdem Collegiatae infra locum Canonicorum Cathedralis, in linea tamen aequali?

4. An, et qui locus debeatur Priori S. Venantii, absente Archidiacono Cathedralis in processionibus, aliisque actibus, in quibus incedere solet utrumque Capitulum, et Prior S. Venantii incedit a sinistris Archidiaconi, ipso praesente, et interessente?

5. An Archidiaconus habeatur pro praesente, quando assistit Episcopo celebranti, vel assistentiam praestat eidem in Processionibus etiam SSĩi Corporis Christi, ita ut Prior S. Venantii debeat praecedere Praepositum Cathedralis?

6. An ministrare Naviculam Episcopo ponenti thus inthuribulo in collegiata Ecclesia, in Processionibus, in quibus intervenit Capitulum Cathedralis, et Episcopus non assistit in Pontificalibus, spectet ad Digniorem ex Capitulo Cathedralis, vel ad Priorem, aliumque digniorem ex Capitulo Collegiatae?

7. An Parochus Collegiatae in Processionibus, in quibus intervenit utrumque Capitulum, incedere debeat a sinistris Parochi Cathedralis, etiam cum Stola?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative praesente Archidiacono*, *Negative vero absente*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Satis provisum in secundo*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*.

Ad 7. *Affirmative*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Maii* 1715.

3728. SEPTEMPEDANA, SEU SANCTI SEVERINI.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Septempedanae ex una, et Communitatem, ac Magistratum ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An Magistratus, et Consul S.Severini, absente Dño Gubernatore, accedere debeant in festivitatibus solemnibus ad januam cubiculi nuncupat. *l'Anticamera* Palatii Episcopalis, et ibidem recipere, necnon associare Episcopum cappa indutum accedentem ad Ecclesiam, ad effectum pontificaliter celebrandi, vel solemniter assistendi, et eumdem recedentem associare ad januam majorem ejusdem Palatii?

2. An Magistratus, et Consul teneantur accedere ad januam secretam Palatii adjacentem Choro Cathedralis, et ibidem recipere Episcopum indutum cappa, Capitulo, et Clero associante, ad effectum pontificaliter celebrandi, vel solemniter assistendi?

3. An Magistratus, et Consul existentes in Ecclesia, teneantur usque ad januam ejusdem Ecclesiae obviam ire Episcopo habitu Episcopali Ecclesiam ingredienti, et eumdem recedentem associare ad eamdem januam Ecclesiae?

4. An Magistratui, et Consuli liceat in Processionibus, aliisque sacris functionibus incedere pari gradu, ut dicitur *a spalla* cum Episcopo, seu potius Episcopus solus praeire debeat?

5. An Magistratui, et Consuli liceat genuflectere in eodem genuflexorio una cum Episcopo cappa induto?

6. An Magistratui, et Consuli S.Severini, debeatur reverentia, seu salutatio a Sacerdote celebrante, post expletum Evangelium S. Joannis, et antequam ab Altari idem Sacerdos recedat?

7. An liceat Episcopo retinere in Ecclesia Cathedrali thronum cum quatuor gradibus ?

8. An liceat eidem Episcopo addere secundum gradum altitudinis unius cubiti circiter subtus sedem, umbella, seu baldachino ornatum, in qua sacris concionibus in Ecclesia Cathedrali solet assistere ?

9. An liceat eidem Episcopo retinere unum, aut plures gradus subtus faldistorium ?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, respondendum censuit. Ad 1. *Negative quoad primam partem, sed teneri usque ad scalam Palatii Episcopalis, juxta solitum : quo vero ad secundam partem Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Licere retinere thronum cum tribus gradibus, et suppedaneo*.

Ad 8. *Licere retinere unum gradum cum suppedaneo*.

Ad 9. *Posse Episcopum, in casu de quo agitur, retinere parvum tabulatum subtus faldistorium ad formam Caeremonialis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 11. *Maii* 1715.

3729. URBIS, SEU ROMANA.

Super jure porrigendi Aspersorium in festo S. Pantaleonis tam Emo Titulari, quam aliis Emis Cardinalibus ad Ecclesiam S. Pantaleonis accedentibus, inter Patres Congregationis Matris Dei Scholarum Piarum ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Eustachii Urbis, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Corradinus infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An, accedente Emo Dno Cardinali Titulari ad Ecclesiam S. Pantaleonis in die festo ejusdem Sancti tempore, quo Canonici S. Eustachii capitulariter existunt in eadem Ecclesia, vel intersunt Vesperis, et Missae cantatae, Canonici debeant excipere eumdem Cardinalem Titularem, et pertineat ad digniorem de Capitulo, et Canonicis porrigere aspersorium ipsi Emo Titulari, vel potius ad RR. PP. Matris Dei Scholarum Piarum ? et quatenus affirmative ad primam partem.

2. An idem servandum sit quoad caeteros Emos Dnos Cardinales ad praedictam Ecclesiam pariter dicto tempore accedentes ?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative quoad primam partem, et Affirmative ad secundam*.

Ad 2. *Satis provisum in primo*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 6. *Julii* 1715.

3730. SUTRINA.

Inter PP. Augustinianos S. Mariae Novellae Terrae Brachiani ex una, et Capitulum, ac Canonicos S. Stephani dictae Terrae Dioecesis Sutrinae

partibus ex altera, super modo dandi aquam lustralem, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis S. Clementis infrascriptum Dubium decidendum proposuit, nempe.

An, et a quo, et quomodo danda sit aqua lustralis Capitulo, et Canonicis S. Stephani Brachiani processionaliter accedentibus ad Ecclesiam S. Mariae Novellae Brachiani?

Et S.R.C., PP. Augustinianis tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit = *Detur Decretum in Taurinen.* 12. *Septembris* 1699. tenoris sequentis (emittimus tenorem, quem habes num. 3381.)

Et ita decrevit, ac etiam in causa Sutrina servari mandavit. *Die* 27. *Julii* 1715.

3731. ARETINA.

Inter Patres Augustinianos, et Minores Conventuales ex una, et Parochum, ac Canonicos Ecclesiae Collegiatae Terrae Asciani Dioecesis Aretinae, super funeribus, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis infrascripta Dubia ab Emo, et Rmo D. Cardinale S. Clementis declaranda proposita fuerunt,

1. An Patres Augustiniani, et Conventuales Terrae Asciani, invitati ad associandum cadavera, teneantur una cum eorum Cruce prius accedere ad Ecclesiam parochialem collegiatam ad suscipiendum Parochum, non interveniente illius Capitulo, vel directe ire ad domum defuncti, ibique eumdem Parochum expectare, in casu etc?

2. An teneantur Haeredes facere depositum cadaveris in Ecclesia Parochiali, antequam deferatur ad Ecclesiam Regularium? Et quatenus Affirmative.

3. An Parochus super illis possit exequias peragere, vel potius istae debeant peragi in Ecclesia Regularium ab iisdem Regularibus, in casu etc?

4. An Parochus, vel Canonici dictae Collegiatae, occasione cadaverum sepeliendorum in Ecclesia dictorum Patrum Augustinianorum, et Conventualium, possint exigere, ultra solitam quartam funeralem sibi de jure debitam, libras duas cerae ab haeredibus defuncti in casu etc?

Et S. eadem R. C. utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*.

Ad 4. *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 14. *Decembris* 1715.

3732. SARNEN.

Super jure praecedendi in Processionibus, caeterisque functionibus Ecclesiasticis, inter Seminarium Civitatis Sarni, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis adversus Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Matthaei ejusdem Civitatis, ortis controversiis, illisque ad S. R. C.

delatis, Eñus, et Rñus D. Card. Albanus infrascripta Dubia inter partes concordata, declaranda proposuit.

1. An in Processionibus, caeterisque functionibus Ecclesiasticis praecedentia debeatur Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Matthaei Sarni, vel potius Seminario ejusdem Civitatis? Et quatenus Negative quoad primam, Affirmative quoad secundam partem.

2. An eadem praecedentia debeatur dicto Capitulo, et Canonicis, quotiescumque praefatum Capitulum, et Canonici incedant sub Cruce Cathedralis?

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, respondendum censuit. Ad 1. *Negative quoad primam partem: Affirmative quoad secundam, quando incedunt sub diversa Cruce.*

Ad 2. *Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Februarii* 1716.

3733. CALATINEN.

Habito, per P. Procuratorem Generalem Montis Virginis ad S. R. C., recursu, adversus Parochum Terrae Formiculae Dioecesis Calatinen. super controversa Jurisdictione pulsandi in triduo Passionis per totam Terram praedictam tabulam vulgo la *troccola*, ad effectum convocandi populum ad Divina Officia, ipsi tantum competere praetendentem, hujusmodi controversia ad S.R.C. ex parte Patrum Congregationis Montis Virginis proposita pro declaratione: An Patribus Monasterii S. Spiritus dictae Congregationis commorantibus in Terra Formiculae, licitum sit in triduo Passionis per totum circuitum dictae Terrae cum tabula vulgo *la troccola* convocare populum ad Divina Officia?

S. eadem R. C., Parocho supradictae Terrae pluries intimato, et nequaquam comparente, visisque tamen juribus hinc inde coram Ordinario Calatinen. deductis, et ad S.R.C. transmissis, rescribendum censuit: *Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1716.

3734. TROPIEN.

Inter Episcopum Tropien, Archidiaconum Antonium Pelliccia, Ignatium de Trancia Decanum, et alios Ecclesiae Civitatis Tropien., super nonnullis functionibus Ecclesiasticis, occasione natalis Regis, publicationis pacis, reportatae victoriae, et similium in Ecclesia Cathedrali, ipso Episcopo absente, vel impedito, peragendis, aliisque juribus praeeminentialibus, controversiis exortis, eisque ad S. R.C. delatis, Eñus, et Rñus Dñus Cardinalis S. Clementis infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An celebratio Missae solemnis, et intonatio hymni *Te Deum laudamus*, occasione natalis Regis, publicationis pacis, reportatae victoriae, et similium, Episcopo non celebrante, spectent ad Decanum primam Dignitatem, vel liberum sit Episcopo alteri ex Dignitatibus, vel Canonicis dictas functiones supplendas demandare, in casu etc.?

2. An eidem Decano dictas functiones solemnes facienti, vel alias solemniter in diebus pontificalibus celebranti, debeantur privative quoad alios Canonicos, et etiam Dignitates Casula, alia sacra Indumenta, et caetera

necessaria ad Missae Sacrificium cum magnis pulvinaribus, tapete., cereis distinctis tam in Altari, quam in candelabris a ceroferariis deferendis, abacum in Presbyterio cum assistentia Presbyterorum antiquiorum in munere Diaconi, et Subdiaconi pretiosiora, et distincta ab aliis, quibus utuntur dicti Canonici, et Dignitates solemniter celebrantes, in casu etc.?

3. An eidem Decano cantanti Vesperas solemnes debeatur assistentia sex Presbyterorum antiquiorum, et Pluviale distinctum, et praetiosius eo, quo utuntur praedicti Canonici, et Dignitates, privative quoad dictos Canonicos, et Dignitates solemniter pariter dictas Vesperas cantantes, in casu etc? et quatenus affirmative quoad omnia.

4. An haec omnia debeantur Decano, praesente, et assistente, non tamen celebrante Episcopo, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus tam in voce, quam in scriptis informantibus auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Satis provisum, et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 21. Martii* 1716.

3735. MELEVITANA.

Inter Patres Ordinis S. Dominici Ecclesiae Parochialis S. Mariae Portus Salutis ex una, et Parochum, et Clerum Ecclesiae Parochialis S. Pauli Civitatis Vallettae Melevitanae Dioecesis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Barbarinus infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An liceat PP. Ordinis Praedicatorum Parochialis Ecclesiae S. Mariae Portus salutis Civitatis Vallettae, in die solemnitatis SSmi Corporis Christi Processionem solemnem facere per Civitatem, in casu etc.?

2. An liceat eisdem alias Processiones facere per octavam, per quot vices, et in quibus diebus?

3. An liceat dictis Patribus in iisdem Processionibus incedere induti Planetis, in casu etc.?

4. An liceat Clericis, et Conversis ejusdem Conventus, in dictis Processionibus incedere cum Rocchettis, seu cum Cottis habentibus manicas angustas, ad instar Rocchetti, in casu etc.?

5. An id liceat in aliis functionibus infra annum, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Servari solitum*.

Ad 2. *Servari solitum*.

Ad 3. *Affirmative in solemniori*.

Ad 4., et 5. *Quoad Rocchettum, Negative; quoad Cottam, Affirmative, juxta usum Religionis in Insula Melitae*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 9. Maii* 1716.

3736. ASCULANA.

Inter Episcopum, et Capitulum, sive Canonicos Civitatis Asculanae super assistentia a praedictis Canonicis debita Episcopo in nonnullis functionibus ab eo pro libito peragendis in Ecclesiis ipsius Civitatis, occasione 40. horarum, aliisque, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Priulus Tit. S. Marci infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An duo ex Canonicis teneantur assistere cum Dalmaticis Episcopo, qui in Ecclesiis Civitatis, ubi exponi solet Venerabile, pontificaliter indutus facit functionem publicam ejus repositionis, et cum eo solemniter benedicit populum? et quatenus affirmative.

2. An, et quibus poenis iidem Canonici sint cogendi? Et quatenus negative.

3. An, et quibus Sacerdotibus uti debeat Episcopus in dicta functione?

4. An Episcopo accedenti ad Ecclesiam Cathedralem pro celebranda Missa privata ad Altare S. Emigdii teneantur Canonici occurrere in ostio, porrigere aspersorium, nec non praestare assistentiam Missae? Et quatenus affirmative.

5. An, et quibus poenis sint cogendi, in casu etc.?

Et S. R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, rescribendum censuit: Ad 1., 2., et 3. *Dilata.*

Ad 4. *Affirmative quoad occursum per nonnullos Canonicos, et porrectionem Aspersorii: In reliquis dilata.*

Ad 5. *Juris remediis.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 11. Julii 1716.*

3737. BRIXINEN.

Cum Festum S. Pirminii Episcopi Moldensis, et Confessoris a Clericis Regularibus Soc. Jesu Civitatis Oeniponti Dioecesis Brixinen. die 3. Novembris sub ritu dup. min. celebretur; cumque eadem die aliquando occurrat commemoratio Fidelium defunctorum, propterea ex parte Clericorum Regularium praedictorum S. R. C. humillime supplicatum fuit declarari: An, occurrente Festo S. Pirminii Episcopi, eadem die commemorationis omnium defunctorum, possint ipsi, aut etiam debeant transferre Festum S. Pirminii ad aliam diem non impeditam currentis Octavae; an vero, non obstante Officio commemorationis defunctorum, sit faciendum Officium de S. Pirminio, an saltem Missa solemnis dicti Sancti celebrari possit?

Et S. eadem R. C. respondit. *Transferendum esse Officium S. Pirminii. Die 11. Julii 1716.*

3738. FERRARIEN.

Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Ferrarien. recusantibus in Processione SSmi Corporis Christi sacris paramentis albis, juxta proprii Ordinis gradum incedere in eo casu, quo Emus Episcopus sit impeditus deferre SSmum Eucharistiae Sacramentum, ortisque super praemissis inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis ex una, et Capitulum praedictae Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, controversiis, iisque ad S. R. C. de-

latis, Emus, et Rmus D. Card. Nuptius infrascriptum Dubium decidendum proposuit.

An Canonici, et Dignitates Ecclesiae Cathedralis Ferrariae, teneantur incedere induti sacris paramentis albis, juxta proprii Ordinis gradum, in Processione SSmi Corporis Christi, etiamsi Emus Episcopus sit impeditus deferre SSmum Sacramentum, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce audita, rescribendum censuit: *Teneri ad interessendum cum indumentis sacris*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 12. *Septembris* 1716.

3739. HORTANA.

Existente in Terra Suriani Hortanae Dioecesis Ecclesia Parochiali sub titulo S. Nicolai, cujus regimen, et animarum cura administratur a quatuor Sacerdotibus, nempe a Curato Decano, aliisque tribus Curatis, qui omnes diebus Sabbati, et Dominicarum in propriis stallis, juxta eorum antianitatem sedentes, Choro inserviunt, et in solemnioribus Festis Missam solemnem celebrant. Hinc inter tres Curatos Ecclesiae Parochialis S. Nicolai supradictae Terrae, et Curatum Decanum supradictae Ecclesiae partibus ex altera, super jure deferendi Stolam, et Pluviale, ac sedendi in primo stallo Chori, occasione, qua memorati tres Curati officium hebdomadarii gradatim peragebant, ortis controversiis, illisque ab Auditore SSmi ad S. Rituum Congregationem pro voto remissis, Emus, et Rmus Dnus Card. Gualterius infrascripta Dubia inter partes concordata proposuit.

1. An Curato hebdomadario Ven. Ecclesiae Parochialis Terrae Suriani liceat in dicta Ecclesia in Missa, et horis canonicis incedere, stare, et sedere induto cum Stola, vel Pluviali in casu etc?

2. An eidem Hebdomadario sic induto, liceat incedere stare, et sedere in digniori loco, vel stallo, quod occupat extra hebdomadam in casu etc.?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit: *Detur Decretum in causa Aretina sub die* 24. *Januarii* 1688., tenoris videlicet.

Aretina = Reproposita Causa Aretina praecedentiae ab Emo, et Rmo D. Card. de Lauraea ad instantiam Praepositi cum aliquibus Canonicis Collegiatae Ecclesiae Parochialis S. Agathae de Asciano, S. R. C., auditis juribus ex noviter deductis, stetit in decisis sub die 13. Junii, et 28. Novembris 1682., et 2 Octobris 1683. (2836. 2881.) Ac insuper declaravit: *Hebdomadario deberi praecedentiam sive cum paramentis, sive absque eis*. Et ita decrevit die 24. Januarii 1688.

Ac etiam in causa Hortana servari mandavit. *Die* 12. *Septembris* 1716.

3740. ORD. MIN. OBSERVANT.
S. MONTIS SION.

Humillimis P. Laurentii a S. Laurentio olim S. Montis Sion Guardiani, totiusque Terrae Sanctae Custodis precibus S. R. C. porrectis, et ab Emo, et Rmo D. Card. de Abdua relatis.

S. eadem R. C. *ex gratia speciali benigne indulsit*, *atque concessit*,

ut in novemdialibus, quae ex immemorabili consuetudine a PP. Ordinis Minorum Observantium Civitatis Bethleem ad Praesepe Dñi ante Festum Nativitatis D. N. J. C. celebrantur cum expositione SSmi Sacramenti, imposterum Missa solemnis votiva B. M. V. cum Gloria, Credo, ac Orationibus SSmi Sacramenti, pro Papa, Imperatore, ac Principibus Christianis, a praedictis Patribus ejusdem Civitatis, etiam in diebus Dominicarum Adventus, et S. Thomae ad Praesepe Dñi Nostri celebrari, et respective recitare possit, et valeat. Die 12. *Septembris* 1716.

3741. PLACENTINA.

In Ecclesia Cathedrali Placentina Provinciae Compostellanae asservatur Corpus B. Paulinae, Virginis, et Martyris, de qua, cum in Martyrologio Romano sit descripta die 31. Decembris, dicta die juxta Decreta S. R. C. recitatur Officium sub ritu dup., translato singulis annis Sancto Silvestro in aliam diem sequentis Januarii Festo duplici, vel semiduplici non impeditam. Cum autem in literis fel. record. Gregorii XIII. pro Hispaniarum Regnis emanatis, et in principio Breviarii, seu Proprii SSrum Hispanorum impressis, cautum legatur, quod in Ecclesiis, in quibus die 30. Decembris translatio S. Jacobi celebratur, prout evenit in dicta Ecclesia Placentina, si occurrat in Dominica Festum D. Thomae Cantauriensis, de eo recitetur in Vigilia Epiphaniae: dubitatum fuit: An in dicta Ecclesia Placentina, translato S. Thoma Cantauriensi ob ejus occursum in Dominica, simulque translato S. Silvestro singulis annis, ut supra, recitari debeat in Vigilia Epiphaniae de S. Thoma semiduplici, pro quo adest dictum indultum Gregorii XIII., vel potius de S. Silvestro, cujus Officium est superioris classis, nimirum duplex? Propterea Decanus, et Capitulum dictae Ecclesiae Placentinae, ut omnis errandi aditus praecludatur, S. R. C. pro declaratione suprascripti dubii humillime supplicarunt.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: *In casu, de quo agitur in Vigilia Epiphaniae faciendum esse Officium de S. Thoma Cantuariensi. Die* 12. *Septembris* 1716.

3742. POLICASTREN.

Exposito S. R. C. ex parte Cleri Ecclesiae Matricis Terrae S. Joannis ad Pyrum Dioecesis Policastren., quod Franciscus Provenzale, et Scipio Ursaya ejusdem Terrae, qui antea erant de numero Participantium supradictae Ecclesiae, et postmodum, quamvis ad Canonicatum Ecclesiae Cathedralis promoti, dum in dicta Terra ob suppositam aeris intemperiem diu commorantur, vigore primaevae aggregationis, praetensionem habuerunt deferendi habitum canonicalem, ac praecedendi in omnibus Ecclesiasticis functionibus, quae tam intra dictam Ecclesiam, quam in Processionibus extra eamdem peraguntur; ortisque super praemissis inter Archipresbyterum, Cantorem, et Clerum Ecclesiae Matricis Terrae praedictae ex una, et Franciscum Provenzale, ac Scipionem Ursaya Canonicos Ecclesiae Cathedralis Policastren. partibus ex altera controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gualterius infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An Canonici Cathedralis Policastren., existentes in locis Dioecesis uti singuli, possint assumere habitum canonicalem, in casu etc.?

2. An in Ecclesiis dictae Dioecesis, praetendere possint locum, et praecedentiam?

Et S. eadem R. C., Canonicis Ecclesiae Cathedralis praedictae pluries citatis, et nequaquam comparentibus, visisque tamen juribus ex parte Archipresbyteri, et Cleri Ecclesiae Matricis Terrae S. Joannis ad Pyrum, eorumque Procuratore tam in scriptis, quam in voce informante audito, rescribendum censuit: *Negative ad utrumque*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 12. *Septembris* 1716.

3743. DECRETUM GENERALE.

Cum Festum SSmae Annunciationis sequenti anno 1717. incidat in feriam V. majoris Hebdomadae, ideoque a nonnullis quaesitum fuerit: An praeceptum audiendi Missam, et vacandi ab operibus servilibus ad feriam secundam post Dominicam in Albis, in qua, juxta Decretum S. R. C. alias die 12. Februarii anno 1690. editum, (3053.) idem Festum celebrari debet, sit transferendum; an vero servandum sit in ipsa Feria V. majoris Hebdomadae, et per locorum Ordinarios providendum, ut eo die aliquae Missae privatae ante Conventualem pro praecepti adimplemento celebrentur, prout in Camerinen., et pro Ecclesiis almae Urbis mandatum fuit die 20. Martii 1660. (1893.)

S. eadem R.C., re mature discussa, censuit: *Praeceptum audiendi Missam, et abstinendi a servilibus non esse transferendum, sed omnino servandum esse in ipsa Feria V. majoris hebdomadae, adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die pro Civitatum, et Pagorum qualitate, ac Christifidelium in iis degentium numero, plures Missae privatae ante celebrationem Missae Conventualis pro praecepti adimplemento celebrandae non desint, sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia SSmae Eucharistiae Sacramenti institutionem, et memoriam recolit, summa religione hactenus observatus, nullo modo omittatur*. Et ita declaravit, ac Decretum hujusmodi publicari, et imprimi mandavit, si SSmo Dño Nostro visum fuerit. *Die* 12. *Septembris* 1716.

Factaque per me Secretarium de praedictis eidem SSmo D. N. relatione, *Sanctitas Sua benigne annuit. Die* 27. *ejusdem mensis, et anni* 1716.

3744. OPPIDANA.

Cum ex parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Oppidi S. R. C. expositum fuerit, quod, quamvis Magistratus illius Civitatis transactis temporibus, ex Episcoporum tolerantia, scamnum panno ordinario coopertum in Ecclesia Cathedrali retinuerit, illud panno holoserico viridi, aureisque fasciis ornatum, et duobus gradibus elevatum ante thronum ipsius Episcopi retinet: propterea ex parte ipsius Promotoris Fiscalis curiae praedictae, pro hujusmodi abusu penitus evellendo, apud S. R. C. acriter institutum fuit.

Et S. eadem R. C., Magistratu citato, et elapso termino ipsi praefixo ad deducendum sua jura in S. C., minime comparente, rescribendum duxit.

Detur Decretum Episcopo pro executione emanatum in causa Comen. 28. *Aprilis* 1663. tenoris etc.,quem omittimus, quia habetur suo apte loco (2064.)

Et ita etiam in Civitate Oppidana servari mandavit. *Die* 5. *Decembris* 1716.

3745. SEGORBICEN.

Cum vigore Legis in Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 22. de matutinis Tenebrarum 4. 5., et 6. Feriae majoris Hebdomadae praescriptae a Rmo Episcopo Segorbicen. usque ab anno 1713. mandatum fuerit, ut Gubernator illius Civitatis, sub poena censurarum, imposterum abstineret a serico, et nigro pulvinari hactenus ab ipso in Feria V., et VI. Hebdomadae in Cappella majori Ecclesiae Cathedralis, tam praesente, quam absente Episcopo, ab immemorabili, ut praetenditur retento; cumque idem Gubernator, quamvis super comminatione censurarum ad Metropolitanum recursum jam habuerit, attamen ex parte moderni Episcopi, unanimi ipsiusmet Gubernatoris consensu, delata ad S. R. C. hujusmodi controversia, pro declaratione infrascripti Dubii enixe supplicatum fuit.

An Gubernator Ducis Segorbicen Medina coeli liceat Feria V. et VI. majoris Hebdomadae habere usum pulvinaris serici, et nigri, sive praesente, sive absente Episcopo, in Cappella majori Cathedralis Ecclesiae dictae Civitatis Segorbicae in casu etc.?

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Gualterii, tam in voce, quam in scriptis Procuratore Gubernatoris Civitatis Segorbicen. informante audito, ac mature perpensis juribus favore Gubernatoris deductis, rescribendum censuit. *Non decere*. *Die* 5. *Decembris* 1716.

3746. SORANA.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Soranae ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae, nec non Capitulum, et Canonicos Collegiatae S. Bartholomaei civitatis, partibus ex altera, tam super jure assistendi Episcopo in omnibus Pontificalibus, quae in Ecclesia Cathedrali peraguntur, quam etiam accedendi ad omnes publicas, et votivas Processiones ejusdem civitatis, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. de Abdua infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An Archipresbyter, et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei civitatis Sorae intervenire, et assistere debeant omnibus functionibus Pontificalibus ab Episcopo celebrandis in Ecclesia Cathedrali, in casu etc.?

2. An idem Archipresbyter, et Canonici teneantur intervenire ad Processiones publicas, et votivas dictae civitatis Soranae, in casu etc.?

3. Et quatenus Affirmative ad supradicta: An ad eamdem assistentiam teneantur etiam Canonici Ecclesiae Collegiatae S.Restitutae, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Pro nunc teneri ad Processiones tantum*. Et ita declaravit. *Die* 5. *Decembris* 1716.

3747. TERGESTINA.

Ex parte Monialium Monasterii S. Cypriani Ordinis S. Benedicti Civitatis Tergesti S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione Dubii: An Officium Praesentationis B. M. V., quod occurrit die 21. Novembris, in qua celebratur Octava Dedicationis ipsarum Ecclesiae, fieri possit cum commemoratione Octavae Dedicationis Ecclesiae?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: *Faciendum esse Officium dicta die Praesentationis B. M. V. cum commemoratione Octavae Dedicationis Ecclesiae*. *Die* 23. *Januarii* 1717.

3748. LAURETANA.

Cum S. R. C. in causa Lauretana controversiarum, super jure praecedendi in Choro, coeterisque functionibus Ecclesiasticis verten. inter Coadjutorem Primicerii Ecclesiae Cathedralis Lauretanae ex una, et coeteras Dignitates ejusdem partibus ex altera, sub diebus 15. Januarii, et 2. Aprilis 1667., (2236. 2238.) inhaerendo aliis resolutionibus in similibus factis, et signanter in causa Firmana 15. Septembris 1657. (1694.) declaraverit, Coadjutorem Primicerii sedere debere post omnes alias Dignitates: His non obstantibus Franciscus Maria Zucconus, vigore literarum Apostolicarum obtentae Archidiaconatus primae Dignitatis praedictae Ecclesiae Lauretanae amplissimis verbis sibi directarum, praefatas resolutiones juri suo minime officere praetendens tam in Choro, quam in aliis functionibus Ecclesiasticis, quas ipse pro suo Coadjuto absente exercere debet, supra omnes Dignitates praecedere conatus fuit: hujusmodi vero praetensio occasionem praebuit Thomae de Piscibus Primicerio, et Carolo Antonio de Guarneriis Thesaurario dictae Cathedralis, experiendi propria jura contra Franciscum Mariam Zucconum Coadjutorem coram A. C., a quo monitorio obtinuere super observatione Decretorum S. Congregationis, et pro manutentione praecedendi, sed eadem controversia ab Auditore SSmi, praevia avocatione Causae ab A. C., ad S. R. C. remissa, Emus, et Rmus Dnus Card. Fabronus infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Praevio recessu a decisis sub diebus* 15. *Januarii*, *et* 2. *Aprilis* 1667. *Coadjutores Dignitatum*, *absentibus Coadjutis*, *stare*, *et incedere debere in Stallo Coadjuti tam in Choro*, *quam extra*, *et amplius*. *Die* 17. *Aprilis* 1717.

3749. MASSAE POPULONIAE.

Cum in parietibus antiquae Ecclesiae S. Joannis Baptistae sitae prope moenia Terrae Campiliae in Dioecesi Massae Populoniae multae depictae sint Cruces, ex quibus aperte patet dictam Ecclesiam consecratam fuisse; cumque dies festivus consecrationis illius Ecclesiae ob lapsum tanti temporis ignoretur: propterea ex parte Plebani, et Cleri supradictae Terrae pro fa-

cultate imposterum celebrandi die 22. Octobris Officium diei Festi Dedicationis praedictae Ecclesiae cum octava, S. R. C. humillime supplicatum fuit.

Et S. eadem R. C. *Gratiam juxta petita, pro die tamen ab Ordinario designandta, et nunquam immutanda, Oratorum instantiae annuendam esse* censuit. *Die* 17. *Aprilis* 1717.

3750. S. MINIATI.

Super jure peragendi functiones in omnibus Solemnitatibus majoribus, quae ab ipso Episcopo celebrari solent, nec non etiam super delatione SSmi Sacramenti, Episcopo ipso sive impedito, sive celebrare nolente, inter Thomam de Ansaldis Praepositum Ecclesiae Cathedralis S. Miniati ex una, et Canonicos ejusdem Cathedralis ex altera partibus, controversiis exortis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis de Abdua pro Emo, et Rmo Dno Card. Fabrono hujusmodi Causae Ponente, infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An, nolente, vel impedito Episcopo celebrare in solemnioribus majoris Hebdomadae, Paschatis, Pentecostes, ac caeteris expressis in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 3{. , dictae functiones majores expleri debeant per Praepositum, vel potius per Canonicum hebdomadarium?

2 An idem decerni debeat in primis, et secundis Vesperis earumdem solemnitatum?

3. An, nolente, vel impedito Episcopo deferre SSmum Eucharistiae Sacramentum in processionem SSmi Corporis Christi, hujusmodi delatio spectet ad Praepositum, seu potius ad Canonicum hebdomadarium?

Et S. eadem R. C., Canonicis Ecclesiae Cathedralis praedictae pluries citatis, elapsoque termino ab Episcopo assignato ad deducendum sua jura in S. C., minime comparentibus, sed Procuratore praedicti Praepositi tam in scriptis, quam in voce informante audito, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit?

Ad 1, *Affirmative ad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 2., et 3. *Ut ad primum*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 12. *Januarii* 1717.

3751. TERTII ORDINIS S. FRANCISCI.

Cum ex parte Religiosorum Conventus Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Basilicae Diaconalis Sanctorum Cosmae, et Damiani Urbis S. R. C. expositum fuerit, quod Officia Sanctorum, quae ex praescripto Calendarii Romani, sive particularis ejusdem Ecclesiae, sive etiam alterius pro eodem tertio Ordine ab ipsis recitantur, fixos perpetuo habent dies, ut sic quaelibet in eorum recitatione evitetur confusio, ac proinde humillime supplicatum fuerit, quatenus ipsa, ut infra providere dignaretur.

1. Die 6. Julii, quae in Breviario Romano est assignata Officio diei Octavae SSrum Apostolorum Petri, et Pauli, occurrit Festum S. Tranquillini Presbyteri, et Martyris, cujus corpus in supradicta Basilica asservatur sub ritu dup. maj.; supplicatur, ut illius Festo, ejusque Officio assignetur dies immediate sequens, nempe 7. ejusdem mensis Julii, quae nullo alio Festo est impedita.

2. Dominica ultima ejusdem mensis Julii in Calendario praefatae Basilicae est assignata Festo translationis Sanctorum Martyrum Felicis, Tranquillini, Marci, et Marcelliani, qua die fuit antiquitus eisdem Martyribus dedicatum Altare, et habetur Indulgentia plenaria perpetua concessa a fel. mem. Gregorio XIII. sub die 9. Augusti 1584., et hoc Festum celebratur sub ritu dup. maj.: praedicta autem Dominica ultima Julii non raro incidit in diem 29. ejusdem mensis, quae est assignata Festo S. Felicis pariter sub ritu dup. maj.; supplicatur pro declaratione, quod tunc ipso die Dominicae fiat Festum, et Officium praedictae translationis tamquam solemnioris ratione Indulgentiae, et Festum S. Felicis transferatur in primam diem non impeditam.

3. Die 27. Septembris, in quo celebratur solemniter Festum, et Officium sub ritu dup. primae class. SSrum Cosmae, et Damiani supradictae Basilicae Titularium, occurrit etiam Festum SSrum Antimi, Leontii, Euprepii pariter Martyrum, ac germanorum Fratrum eorumdem SSrum Cosmae, et Damiani, quorum omnium Sacra Corpora in eadem Basilica asservantur: quod quidem Festum colitur sub ritu dup. maj., et celebrari consuevit die sequenti, nempe 28. ejusdem mensis Septembris: unde supplicatur, ut ita imposterum perpetuo servetur, ac si esset dies propria.

4. Die 27. Septembris occurrit in Calendario approbato pro Fratribus tertii Ordinis Festum S. Olzeari ejusdem Ordinis Confessoris sub ritu dup. 2. class. cum octava: unde, cum perpetuo transferri contingat, supplicatur pro ejus collocatione in die 20. Octobris tamquam in die propria, cum Octava. Et quia die 27., in qua occurrit dies Octavae, occurrit etiam Festum Translationis S. Ivonis tertii Ordinis Confessoris, quod celebratur sub ritu dup. min., supplicatur, ut hoc Festum collocetur die 29. Octobris pariter tamquam in die propria.

5. Tandem: Officium S. Remigii Episcopi, et Confessoris concessum pro toto Orbe sub ritu semidup. ad libitum die 1. Octobris, et in supradicta Basilica Sanctorum Cosmae, et Damiani perpetuo impeditur ab infra Octavam eorumdem Sanctorum; ideo supplicatur, ei assignari tamquam propriam diem 30. ejusdem mensis Octobris.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit. Ad 1., 2., 3., et 4. *Pro gratia juxta petita.*

Ad 5. *Satis esse, ut Officium S. Remigii in casu, de quo agitur, celebretur sub ritu simplici. Die 12. Junii 1717.*

3752. EUGUBINA.

Inter confratres Confraternitatis SSmi Sacramenti erectae in praetensa Ecclesia Archipresbyterali, et Parochiali S. J. Baptistae terrae Fractae Dioecesis Eugubinae ex una, et Gasparem Manciarellum Archipresbyterum, et Parochum praedictae Ecclesiae partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ab Auditore SSmi, praevia avocatione causae ab A. C., ad S. R. C. remissis, Emus, et Rmus D. Card. Gualterius infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An jus celebrandi Missam sive solemnem, sive minus solemnem, vel

Conventualem singulis tertiis Dominicis cujuslibet m ensis, nec non Missam solemnem pro gratiarum actione tertia Dominica me nsis Novembris, quae ex instituto canere faciunt priores, et confratres Societatis SS̃mi Corporis Christi in Ecclesia S. Joannis Baptistae terrae Fractae praetensa Parochiali, ubi eadem Societas est erecta, nec non jus successive iisdem diebus ducendi Processionem, et in ea ferendi SS̃mum Sacramentum, ac cum eo populum benedicendi, privative spectet ad Parochum Archipresbyterum, seu potius jus omnia praedicta peragendi spectet ad Cappellanum dictae Societatis, in casu etc.?

2. An jus celebrandi Missam sive lectam, sive cantatam, et canendi Vesperas in dicta Ecclesia, ac ducendi Processionem alterius Societatis SS̃mi Rosarii pariter in eadem Ecclesia erecta, prima die Dominica cujuslibet mensis, privative spectet ad eumdem Parochum, sive potius ad Cappellanum in casu etc.?

3. An, renuentibus Prioribus, Sacristis, Officialibus, et Confratribus canere facere praedictis diebus Missas, de quibus supra, eisdem Missis, et Functionibus assistere, possit Parochus eos cogere, in casu etc?

4. An itidem, renuentibus dictis confratribus subministrare solitam ceram pro Altari, ubi Missae, et Functiones, de quibus supra, explentur, nec non assistere cum cereis accensis occasione elevationis, et delationis SS̃mi Sacramenti, possit Parochus eos cogere ad assistendum, et ceram subministrandam, in casu etc.?

5. An jus statuendi horam pro explendis tam dictis functionibus, quam aliis occasione quarumcumque Festivitatum ordinariarum, et extraordinariarum, in dicta Ecclesia celebrandarum, spectet ad dictum Parochum, sive potius ad dictos priorem, et confratres, sive eorumdem Cappellanum, in casu etc?

6. An in diebus Dominicis, et aliis Festivitatibus de praecepto, possint dicti Priores, et Officiales celebrare facere in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistae per eorum Cappellanum, vel alios Sacerdotes Missas privatas, ante Missam Parochialem lectam, vel cantatam, sive hujus celebratione durante, sine licentia dicti Parochi, in casu etc?

7. An Sacerdotes, qui volunt ob eorum devotionem celebrare in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistae, vel Divina Officia peragere, possint hoc facere cum sola licentia priorum, et confratrum, sive potius jus dandi dictam licentiam spectet ad dictum Parochum, in casu etc?

8. An, et cui debeantur reliquiae cerarum, quae supersunt post expleta Officia Missarum, quae Benefactores adventitii celebrare faciunt in dicta Ecclesia, sive ex particulari obligatione, in casu etc?

9. An jus concedendi licentiam dictis Benefactoribus adventitiis pro celebratione Missarum, Officiorum, sive Festivitatum, quae aliquando occurrere possunt, spectet ad priores dictae Societatis SS̃mi Corporis Christi, vel potius ad eumdem Parochum, in casu etc.?

10. An confratres praedicti possint Parocho prohibere usum Altarium, in quibus Confraternitates sunt erectae, et ad dictum effectum illa spoliare,

solitis, et quotidianis suppellectilibus, et ornamentis, ad impediendum tam dictas functiones ordinarias, quam alias extraordinarias, arbitrio dicti Parochi faciendas, in casu etc.

11. An iidem priores possint prohibere eidem Parocho usum Sacristiae pro induendis paramentis sacris, et respective usum sepulturae pro tumulandis cadaveribus, quae in dicta Ecclesia, ratione electionis, vel alio praetenso jure, sepeliri contingunt.

12. An cera, quae, detracta quarta funerali, superest occasione tumulationis cadaverum in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistae, integra Parocho debeatur, sive defunctus ibi eligat sepulturam, sive ibi sepeliatur, quia sit confrater, in casu etc?

13. An Priores, et Officiales pro tempore dictae Confraternitatis teneantur administrare tantum per semetipsos geminas alias Confraternitates SSmi Nominis Dei, et Rosarii in dicta Ecclesia S. Joannis Baptistae erectas ad formam Instrumenti conventionis initae die 3. Julii 1623., sive potius possint substituere alios Officiales pro dictis duabus Confraternitatibus gubernandis, in casu etc?

14. An jus deputandi Sacerdotes, et Clericos, qui canere debeant Lectiones Matutini, et qui assistere debeant Missae solemni, quae celebrari solet in nocte Vigiliae Nativitatis D.N. J.C. per dictam Confraternitatem SSmi Corporis Christi in dicta Ecclesia, spectet ad eumdem Parochum, vel potius ad ipsos confratres?

15. An jus retinendi clavem Jannae majoris dictae Ecclesiae privative spectet ad dictum Parochum, vel potius possit etiam retineri a prioribus dictae Confraternitatis, in casu etc?

16. An jus retinendi clavem Sacrarii dictae praetensae Parochialis Ecclesiae, privative spectet ad dictam Confraternitatem, vel potius possit retineri etiam a dicto Parocho, in casu etc?

Et S. eadem R. C., utraque parte tàm in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 2. *Ut supra.*

Ad 3., et 4. *Episcopo, qui provideat ad formam Decretorum.*

Ad 5. *Episcopo, qui provideat mediante tabella horaria fixa.*

Ad 6. *Episcopo, qui provideat pro sua prudentia.*

Ad 7. *Quod Missas privatas posse, excepto Altari proprio Parochi, quo vero ad Officia, nonnisi de licentia Parochi.*

Ad 8. *Ad Parochum quoad Altare S. Joannis, quoad reliqua Altaria ad Confraternitatem.*

Ad 9. *Prout in septimo.*

Ad 10., et 11. *Negative.*

Ad 12. *Ad Parochum.*

Ad 13. *Episcopo, qui provideat.*

Ad 14. *Spectare ad Parochum*.

Ad 15. *Ut ad proximum*.

Ad 16. *Spectare ad utrumque*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 7. Augusti* 1717.

3753. URBIS.

Cum S.R.C. a Leone Luca vitae ecclesiasticae S. Jacobi de Augusta vulgo incurabilium Urbis deputato supplex porrectus fuerit libellus pro declaratione sequentium Dubiorum.

1. An Officium Visitationis B. M. V. die secunda Julii, in quo Festum Dedicationis ejusdem Ecclesiae S. Jacobi occurrit, celebrari debeat die immediate sequenti, etiamsi fuerit dies Dominica?

2. An item die immediate sequenti diei 1. Augusti etiam Dominica, celebrandum sit Officium S. Petri ad Vincula, cum hac ipsa die occurrat Octava S. Jacobi?

S. eadem R.C. rescribendum duxit: *Faciendum esse de Officiis, de quibus agitur in die immediate sequenti, etiam in occursu Dominicae, propter perpetuum impedimentum in propria die, juxta alterum Decretum Sac. Congregationis 2. Julii* 1712. (3697.). Et ita declaravit. Die 20. Novembris 1717.

3754. DECRETUM GENERALE.

Supplicantibus frequenter S. R. C. plerisque variorum Ordinum Monialibus, ut Confessario, et Cappellanis earumdem servitio addictis facultatem celebrandi Missas Sanctorum, de quibus praedictae Moniales Officium recitant, benigne impartiri dignaretur.

S. eadem C., ad occurrendum his, et similibus instantiis, praesenti Decreto generali declarat: *Licere in posterum tum Confessario, tum Cappellanis tantum quarumcumque Monialium servitio addictis, Missas Sanctorum, de quibus ipsae recitant Officium, celebrare, sed cum Missali Romano, et de communi, non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a S. C. concessas*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 20. *Novembris* 1717.

Factaque deinde per me Secretarium de praedictis SSño D. N. relatione, *Sanctitas Sua benigne annuit, et praefatam S. C. resolutionem confirmavit. Die 1. Decembris ejusdem anni* 1717.

3755. BENEVENTANA.

Propositis ad instantiam Emi, et Rmi D. Cardinalis Ursini Archiepiscopi Beneventani in S.R.C. sequentibus Dubiis, videlicet.

1. An in Ecclesia Metropolitana, in qua, juxta institutionem, sive fundationem Emi Oratoris praedicti, quotidie recitatur Officium parvum B.M.V., recitari in ea debeat hymnus *Te Deum etc.*? Et quatenus *Affirmative*: Quibus diebus recitari debeat?

2. An in Festo Annunciationis ejusdem Beatissimae Virginis ob adimplementum fundationis praedictae recitari debeat Officium parvum ejusdem Beatissimae Virginis praescriptum in Breviario tempore Adventus, an vero illud extra Adventum?

3. Cum tempore Adventus, nonnisi in sola Dominica tertia, quae dicitur *Gaudere*, et Quadragesimae tempore in sola Dominica quarta, quae dicitur *Laetare*, ex praescripto Caeremonialis Episcoporum cap. 28. permissum sit, ut Organa pulsentur; quaeritur: An pulsari debeant in Missa solemni tantum, an vero in omnibus aliis Divinis Officiis, seu horis Canonicis, quae tum in Metropolitana, tum in aliis Collegiatis Ecclesiis cantari solent?

S. vero eadem R. C. hujusmodi Dubiis mature perpensis, respondendum censuit. Ad 1. *Hymnum* Te D eum *etc. in Officio parvo B. Virginis recitari, sive dici debere a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, et a Dominica Resurrectionis usque ad Adventum. In Adventu autem, et a Septuagesima usque ad Pascha, nonnisi in Festis Beatissimae Mariae Virginis.*

Ad 2. *In Festo Annunciationis B. V. recitandum esse ejusdem Officium parvum praescriptum in Breviario tempore Adventus.*

Ad 3. *Organa in praedictis Dominicis pulsari debere in Missa solemni, et in Vesperis tantum, non vero in aliis horis Canonicis.* Et ita decrevit. *Die* 2. *Aprilis* 1718.

3756. BRUGEN IN BELGIO.

Cum modernus Episcopus Brugen acceperit in sua Ecclesia Cathedrali, vigore assertae consuetudinis, abusum irrepsisse, quod celebrans feria VI. majoris Hebdomadae ante ipsum Episcopum primo accedat ad deosculandum SSñum Crucifixum, cumque ad evitanda scandala, ac dissidia, quae inter Capitulum, et Episcopum facile oriri poterant, dicta die hujusmodi functioni interesse sese abstinuerit, donec sensum S. R. C. exquireret: Propterea pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. enixe supplicavit, videlicet.

An celebrans feria VI. majoris Hebdomadae, accedere possit ad deosculandum Sanctissimum Crucifixum ante Episcopum?

Et S. eadem R. C. respondit: *Servandum esse Caeremoniale Episcoporum, juxta id, quod in eo praescribitur lib.* 2. *cap.* 26., *et contrariam consuetudinem esse abusum omnino tollendum.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 2. *Aprilis* 1718.

3757. BURGI S. DOMNINI.

Remissa ab Auditore SSñi ad S. R. C. controversia inter Praepositum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Laurentii Terrae Monticellorum Dioecesis Burgi S. Domnini ex una, et Marchionem Gregorium de Casalibus ejusdem Terrae Feudatarium partibus ex altera, exorta super praetenso jure recipiendi thurificationem, et pacis osculum a praedicto Marchione tamquam illius Terrae Feudatario in Vesperis, ac Missis solemnibus, quae in dicta Ecclesia Collegiata celebrari solent, per eumdem Ministrum, a quo dictis Praeposito, et Canonicis thurificatio, et osculum pacis exhibentur, et ab Emo, et Rmo D. Card. Gualterio infrascripto dubio proposito.

An Marchioni Gregorio de Casalibus Feudatario loci Monticellorum, ejusque Successoribus in Feudo, quoties ipsi intererint Missis, et Vesperis

in Ecclesia Collegiata S. Laurentii dicti loci solemniter decantandis, praestari debeat thurificatio, et osculum pacis post omnes, et singulos Canonicos per eumdem Ministrum, per quem thurificantur Praepositus, et dicti Canonici, et per quem eisdem osculum pacis exhibetur in casu etc?

S. eadem R.C. tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Deberi ipsi Baroni tantum thurificationem, et osculum pacis cum instrumento post omnes Canonicos per Ministrum cotta indutum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 2. *Aprilis* 1718.

3758. CALENEN.

Cum usque de anno 1713. a Duca Montis Dragonis praetensum fuerit retinere tam in Ecclesiis Saecularibus, quam Regularibus Dioecesis Calenen. intra Presbyterium genuflexorium cum strato, et sede amovibili cum pulvinaribus, propterea que ad S. R. C. recursum habuerit; cumque ob mortem Episcopi Calenen. causa huc usque discuti minime potuerit; nunc ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis praedictae per Emum, et Rmum Dnum Cardinalem de Abdua propositis sequentibus Dubiis, videlicet.

1. An Duci Terrae Montis Dragonis liceat retinere intra Presbyterium genuflexorium cum strato, et sedem amovibilem cum pulvinaribus tam in Ecclesiis Saecularibus, quam Regularibus Dioecesis Calenen.?

2. An idem liceat Ducissae?

S. eadem R. C. *Negative* respondit *ad utrumque*, *et amplius*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 2. *Aprilis* 1718.

3759. PRATEN.

Habito per Hieronymum Palli Vicarium Generalem Civitatis Praten. ad S. R. C. recursu adversus Joannem Matthaeum Biagini unum ex Cappellanis Oratorii Beatae Virginis de Carceribus ejusdem Civitatis, vigore privilegii Protonotariatus a Domo Sfortia usque ab anno 1708. ab ipso obtenti Rocchettum, et Mantellettam in omnibus Ecclesiasticis functionibus tam intra, quam extra dictum Oratorium deferre praetendentem, ab Emo, et Rmo Dno Cardinali Zondadario infrascripto Dubio proposito.

An Presbyter Joannes Matthaeus de Biaginis unus ex Cappellanis Oratorii B. M. V. a Carceribus nuncupat., illorumque prior deferre valeat in functionibus Ecclesiasticis tam infra, quam extra dictum Oratorium Rocchettum, et Mantellettam vigore Indulti Protonotariatus per eum obtenti a Domo Sfortia in casu etc?

S. eadem R. C. dicto Joanne Matthaeo Biagini pluries citato, et nequaquam comparente, sed mature perpensis juribus ex parte ipsius Biagini in Curia Archiepiscopali Florentina deductis, et ad S. R. C. transmissis, auditoque tantum in scriptis, et in voce Procuratore supradicti Hieronymi Palli, rescribendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 14. *Maii* 1718.

3760. NULLIUS GUASTALLAE.

Inter Guidolum de Franceschis Parochum Ecclesiae S. Petri Nullius Terrae Plebis extra muros Civitatis Guastallae ex una, et confratres Confraternitatis SSmi Rosarii ejusdem Terrae partibus ex altera, nonnullis ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Zondadarius infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Confraternitas Ssmi Rosarii Burgi Plebis Guastallae possit retinere tres, vel quot Campanas in Campanili suae Ecclesiae, seu Oratorii?

2. An dicta Confraternitas de licentia Ordinarii peragere valeat Processiones tam publicas, quam etiam privatas per Parochiam extra ambitum Oratorii? et quatenus Affirmative.

3. An in dictis Processionibus Cappellanus Confraternitatis possit deferre Stolam?

4. An in dicto Oratorio possit ministrari Sacramentum Eucharistiae tam confratribus, quam non confratribus, et quibus diebus?

5. An in dicto Oratorio possit retineri Custodia cum Venerabili?

6. An inibi peragi valeat Novena cum Expositione Venerabilis, et populus cum eo benedici.

7. An quarta funeralis pro funeribus illorum, qui tumulantur in Oratorio Confraternitatis, debeat praestari Parocho in medietate, vel potius in quarta portione?

8. Et de quibus ceris, et candelis?

9. An diebus festivis possit recitari Rosarium in Oratorio Confraternitatis ante Vesperas celebrandas in Ecclesia Parochiali?

10. An dictis diebus valeant celebrari in dicto Oratorio Missae tam lectae, quam cantatae cum signo campanarum ante celebrationem Missae Parochialis?

11. An liceat Confraternitati celebrare in dicto Oratorio Anniversaria, et Officia tam fixa, seu ex obligatione, quam etiam manualia cum assistentia aliorum Sacerdotum, sine assistentia Parochi?

12. An, quatenus Parochus ad dicta Officia vocari, et intervenire debeat, duplicatam mercedem obtinere possit?

13. An de licentia Ordinarii valeat Confraternitas quaestuare per Parochiam, irrequisito Parocho?

14. An in Processionibus solemnibus, in quibus intervenire solet Parochus, liceat Confraternitati incedere sub suo Cappellano, seorsim a Parocho?

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce audita, visisque juribus hinc hinde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Affirmative de licentia speciali Episcopi.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Affirmative pro Novena Nativitatis Jesu Christi de licentia Episcopi*.

Ad 7., et 8. *Adeant Sac. Congregationem Concilii*.

Ad 9. *Affirmative, et quoad tempus, arbitrio Ordinarii*.

Ad 10. *Arbitrio, et prudentia Ordinarii*.

Ad 11. *Affirmative*.

Ad 12. *Provisum in undecimo*.

Ad 13. *Affirmative*.

Ad 14. *Affirmative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 9. *Julii* 1718.

3761. PERUSINA.

Super nonnullis praetensis juribus Parochialibus, aliisque Sacerdotalibus functionibus adversus Curatum, et Monachos Camaldulenses Ecclesiae Parochialis S. Severi Civitatis Perusinae, expedito a confratribus Confraternitatis Mortis, et Orationis, erectae intra limites Parochialis Ecclesiae S. Severi ejusdem Civitatis, monitorio coram A.C., et ad instantiam supradictorum Monachorum, et Parochi S. Severi ab Auditore SSmi, praevia avocatione Causae ab A.C., ad S.R.C. controversiis remissis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Coradinus infrascripta Dubia inter Partes concordata declaranda proposuit.

1. An Cappellani manuales Societatis Mortis, aliique Sacerdotes ab Episcopo approbati, et per confratres invitati, possint audire Confessiones Sacramentales in Ecclesia, seu Oratorio dictae Societatis absque licentia, et consensu Parochi?

2. An confratres, seu Cappellani possint impedire, ne Parochus audiat Confessiones in dicta Ecclesia, seu Oratorio?

3. An iidem Cappellani absque dicti Parochi licentia possint solemniter Missas canere, benedicere, et distribuere candelas, palmas, et cineres, ova, et fruges, etc?

4. An possint facere Officium funebre super cadaveribus defunctorum sive confratrum, sive eligentium sepulturam, tam eorum, qui subjecti sunt Parocho, quam tumulandorum de aliena Parochia, sine interventu Parochi S. Severi?

5. An occasione tumulationis cadaverum de Parochia S. Severi explendae in Ecclesia dictae Societatis, Parochus perventus ad ostium ejusdem Ecclesiae, teneatur deponere Stolam?

6. An ipsimet Cappellani incedentes cum confratribus possint associare cadavera defunctorum cum Stola, praesente Parocho, et in aliis quibuscumque functionibus Stolam deferre extra eorum Ecclesiam?

7. An confratres in cadaverum associatione, et in Officio funebre possint erigere Crucem, sive potius incedere debeant sub Cruce Parochiali?

8. An in dicta Ecclesia, seu Oratorio Mortis retineri possit diu, noctuque SSmum Eucharistiae Sacramentum?

9. An possit illud exponi publicae adorationi infra annum in forma 40. horarum, sive alio modo sine interventu, vel licentia Parochi?

10. An possit publicis processionibus circumferri extra Ecclesiam, facta etiam ostensione per plateas, et vias sine licentia, et interventu Parochi, seu Parochorum, per quorum limites est incedendum?

11. An occasione hujusmodi Processionum possint confratres, sive alii erigere in viis Altaria, ad quae sistat Sacerdos, et Sacramentum deponat, tum intra, tum extra Parochiam, invitis, et irrequisitis Parochis?

12. An liceat in fine hujusmodi Processionum in Janua principali Ecclesiae cum Venerabili Eucharistiae Sacramento benedicere populo in plateis, et viis genuflexo, sine licentia, et interventu praedictis?

13. An confratres possint per Cappellanos suos manuales peragere omnes functiones Hebdomadae majoris in dicta eorum Ecclesia, nempe canere Missas, et Officia, ac exponere venerabile in Sepulchro, aliasque functiones Ecclesiasticas fieri solitas?

14. An Missae cantari debeant prius in Ecclesia Parochiali, priusquam canantur in dicta Ecclesia, et Oratorio, seu potius ad libitum cujuslibet in propria Ecclesia?

15. An confratres eleemosynas a Fidelibus exigere possint, mediante publica quaestuatione, sine consensu Parochi, et absque licentia Episcopi?

16. An de quaestuatione, et collectis eleemosynis teneantur reddere rationem eidem Parocho, seu potius Officiali pro tempore dictae Societatis?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative, excepta benedictione ovorum, et frugum*.

Ad 4. *Affirmative, quatenus tumulandus sit de aliena Parochia*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Negative, interveniente Parocho*.

Ad 8. *Affirmative*.

Ad 9. *Affirmative*.

Ad 10. *Affirmative de licentia Episcopi*.

Ad 11. *Arbitrio, et prudentiae Ordinarii*.

Ad 12. *Negative, nisi de licentia Episcopi*.

Ad 13. *Negative prout jacet*.

Ad 14. *Arbitrio, et prudentiae Episcopi*.

Ad 15. *Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam*.

Ad 16. *Teneri reddere rationem Parocho tamquam deputato ab Episcopo*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 9. *Julii* 1718.

3762. CATANIEN.

Cum ex parte civium Civitatis Platiae Dioecesis Catanien expositum fuerit, quod occasione, qua in Ecclesiis Civitatis praedictae exponi solet

SSmum Eucharistiae Sacramentum, inoleverit abusus recitandi post finem ultimae Orationis, loco = *Qui vivis, et regnas etc.* = *Per Dominum Nostrum Jesum Christum filium etc.*, ac propterea pro declaratione quomodo terminanda sit ultima Oratio? S.R.C. humillime fuerit supplicatum.

S. eadem R.C.: *Orationem praedictam his verbis*: Qui vivis, et regnas in saecula etc., *concludi debere declaravit*. Et ita servari mandavit. *Die* 10. *Septembris* 1718.

3763. NEPESINA.

Habito per Archipresbyterum, et Universitatem Castri Malleani Pecudaritii, Dioecesis Nepesinae, ad S.R.C. recursu super celebratione festi Nativitatis S. Joannis Baptistae, quod vigore suppositi Indulti ab antiquo tempore, et ex variis assertis circumstantiis in Ecclesia Parochiali sub titulo S. Joannis Baptistae Castri praedicti huc usque die 17. Maii semper celebratum fuit, auditaque prius relatione ipsius Episcopi, cui commissa fuit super enarratis informatio.

S. eadem R.C. rescribendum censuit: *Festum S. Joannis Baptistae celebrari debere die* 24. *Junii*, *nec posse anticipari*, *et Episcopus incumbat pro executione*. *Die* 10. *Septembris* 1718.

3764. PLACENTINA.

Super jure exponendi publicae venerationi Reliquiam SSmae Crucis, nec non cum illa benedictionem populo elargiendi, ac etiam nonnullas alias functiones Ecclesiasticas in Oratorio Confraternitatis S. Jacobi Minoris, sito intra limites Ecclesiae Parochialis S. Jacobi Majoris Civitatis Placentiae, independenter a Parocho exercendi, inter Josephum Buttafabam Rectorem praedictae Ecclesiae Parochialis ex una, et confratres ejusdem Confraternitatis partibus ex altera, ortis controversiis, iisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Fabronus infrascripta Dubia declaranda proposuit, nempe.

1. An liceat confratribus S. Jacobi Minoris exponere publicae venerationi assertam Reliquiam in casu etc.? Et quatenus Affirmative

2. An Cappellanus Confraternitatis possit cum eadem populo benedicere, vel potius spectet ad Parochum hanc functionem peragere?

3. An idem Cappellanus valeat Candelas, Cineres, et Palmas benedicere, et confratribus aliisque adstantibus distribuere?

4. An in Ecclesia Confraternitatis possit in feria V. in Coena Domini solemniter Missa celebrari, aliaeque functiones feriae VI. et Sabathi Sancti ibidem peragi? Et quatenus Affirmative.

5. An hujusmodi functiones fieri possint independenter a Parocho?

6. An pariter idem Cappellanus possit independenter a Parocho celebrare Missam solemniter in Festo Titulari ejusdem Ecclesiae, aliisque Festivitatibus in dicta Ecclesia celebrari solitis?

7. An in eadem Ecclesia possit retineri Confessionarium fixum ad audiendas omnium Fidelium confessiones?

8. An confratres possint ducere Processiones extra ambitum propriae Ecclesiae, absque licentia Parochi?

Et S. eadem R. C., visis, ac mature perpensis juribus hinc inde ex Curia Episcopali transmissis, et tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Quoad primam partem Negative, nisi de licentia Ordinarii: Quoad secundam Affirmative*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative, exceptis Matutinis Tenebrarum*.

Ad 5. *Provisum in praecedentibus*.

Ad 6. *Negative ad formam Constitutionum synodalium*.

Ad 7., et 8. *Negative, nisi de licentia Episcopi*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 10. *Septembris* 1718.

3765. VELITERNA.

Ad componendas controversias inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis S. Clementis, et Clerum Civitatis Veliternae ex una, et Magistratum Civitatis praedictae partibus ex altera exortas super nonnullis juribus honorificis ab illius Magistratu praetensis, vigore assertae immemorabilis consuetudinis, occasione, qua certis anui temporibus, et signanter in Festis solemnioribus idem accedit ad Ecclesiam Cathedralem, aliasque praefatae Civitatis Ecclesias ad effectum interessendi tam Missis solemnibus, caeterisque Officiis Divinis, a Capitulo Ecclesiae Cathedralis ad Emum, et Rmum D. Sacri Collegii Emorum, et Rmorum DD. Cardinalium Decanum, Episcopum habito recursu, illisque ab Eminentia Sua ad S. R. C. pro decisione remissis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Fabronus infrascripta Dubia declaranda proposuit, videlicet.

1. An Magistratus Velitrarum in Festo S.Francisci Xaverii possit incedere cum clava, et eodem comitatu, ac incedit in Festivitatibus quatuor SS. Patronorum dictae Civitatis, SSmae Conceptionis, et B. Mariae Gratiarum?

2. An idem Magistratus in Ecclesiis extra Cathedralem sit thurificandus triplici ductu?

3. An eidem Magistratui sit dandum osculum pacis per amplexum, seu potius per instrumentum, et a quo?

4. An Celebrantes post finem Missae tam solemnis, quam privatae debeant, antequam ab Altari discedant, reverentiam facere Magistratui per capitis inclinationem?

5. An eodem Magistratu interessente Missae privatae, liceat in Altari accendere quatuor candelas?

6. An Magistratus immediate post Canonicos, et ante Beneficiatos, caeterosque de Clero, admitti debeat ad Crucis adorationem, et ad cineres?

7. An Magistratus, ejusque Officiales in Processionibus, in quibus deferunt Intortitia, illa propriis manibus deferre debeant?

8. An, Magistratu accedente ad Cathedralem, aliasque Ecclesias Civi-

tatis cum comitatu, et clava, licitus sit sonitus Tubarum intra easdem Ecclesias?

9. An eodem Magistratu in Cathedrali, aliisque Ecclesiis Saecularibus, et Regularibus interessente Missae privatae, licitus sit sonitus Tubarum in actu elevationis SSmae Eucharistiae intus ipsas Ecclesias?

10. An eidem Magistratui, liceat in Ecclesia Parochiali S.Mariae de Trivio retinere scamnum intra Presbyterium?

11. An eidem Magistratui in Ecclesiis S. Martini, S.Francisci, S.Clarae, et S. Theresiae liceat retinere scamnum a cornu Evangelii?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde tam super praemissis, quam etiam super expetita a Magistratu admissione articulorum, ad effectum probandi praetensam immemorabilem consuetudinem deductis, et tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Dandam esse Pacem cum instrumento ab aliquo Ministro superpelliceo induto*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Affirmative, dummodo incedat in habitu consulari*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Affirmative*.

Ad 8., et 9. *Affirmative, sed extra januam*.

Ad 10. *Negative*.

Ad 11. *Arbitrio Emi Ordinarii, et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 10. *Septembris* 1718.

3766. URBIS BASILICAE VATICANAE.

Magistro caeremoniarum Basilicae Vaticanae S. R. C. pro declaratione infrasripti Dubii humiliter supplicante, videlicet.

An primae, et secundae Vesperae diei octavae SSrum Apostolorum Petri, et Pauli integrae recitari debeant, etiamsi in illis occurrat Festum alicujus Sancti aequalis ritus?

Item, nomine etiam totius Capituli ejusdem Basilicae pro gratia, ut tota octava eorumdem SSrum Apostolorum sit privilegiata, adeo ut nequeat in ea fieri Officium alicujus Sancti ritus semiduplicis, aut etiam duplicis translati?

S. autem C., audito voto D. Abbatis Casina SSmi D. Nostri Papae caeremoniarum Praefecti, ad praedictum Dubium respondit = *Servetur Rubrica de concurrentia Officii num.* 7., ad aliam vero instantiam = *Nihil innovetur, et serventur Rubricae*. Et ita decrevit. *Die* 10. *Septembris* 1718.

3767. BONONIEN.

Praetendente Comite Alexandro de Formaliaris Coadjutore comitis Laurentii Campegii Primicerii, et quartae Dignitatis de jure patronatus Familiae Campegiae erectae in Ecclesia Metropolitana Civitatis Bononiae non solum in choro, et in omnibus Ecclesiasticis functionibus tam intra, quam

extra dictam Ecclesiam, verum etiam in actibus non capitularibus, et in caeteris functionibus saecularibus praecedere Capitulo, et Canonicis Ecclesiae praedictae, hujusmodique praecedentiam Capitulo, et Canonicis praefatis eidem Coadjutori, tamquam in aliquo Sacerdotali ordine minime constituto, denegantibus. Verum, ortis inter eosdem controversiis, iisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gualterius infrascriptum Dubium inter partes concordatum decidendum proposuit.

An quae, et in quibus locis, et functionibus Primicerii Coadjutori, absente Coadjuto, competat praeeminentia, in casu etc?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dñi Card. Corradini pro Emo Gualterio absente, tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit: *Praeeminentiam deberi Coadjutori Primicerii in Choro, et aliis functionibus capitularibus in Ecclesia, et extra; et in reliquis Partes utantur jure suo*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 10. *Decembris* 1718.

3768. AESINA.

Cum ex parte Magistri caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Civitatis Aesinae S. R. C. pro declaratione Dubii: An in Vigilia Epiphaniae Missae votivae, et defunctorum celebrari possint? humillime supplicatum fuerit.

S. eadem R. C. respondit: *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 10. *Decembris* 1718.

3769. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIAE S. FRANCISCI.

S. R. C. ad humillimas preces P. Fr. Matthaei de Pareta Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, Commissarii Generalis Curiae benigne indulsit, atque concessit, *ut in omnibus Ecclesiis praedicti sui Ordinis, in quibus hactenus in Novemdiali ante Nativitatem Dñi Missa solemnis votiva B. M. V., quae incipit* Rorate *absque* Gloria, et Credo *celebrari consuevit, in posterum iisdem diebus eadem Missa cum* Gloria, et Credo *celebrari possit, et valeat, non omissa tamen Conventuali*. *Die* 10. *Decembris* 1718.

3770. PLACENTINA.

Cum in causa Placentina controversiarum verten. inter Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Antonini ex una, et Beneficiatos, ac Mansionarios ejusdem Ecclesiae Civitatis Placentiae partibus ex altera; S.R.C., ad relationem cl. mem. Card. S. Clementis sub diebus 2. Julii 1712. (3699.) ad infrascripta dubia videlicet.

1. An Canonici Collegiatae S. Antonini tempore Divinorum Officiorum in Choro teneantur ab eorum stallis descendere, et una cum aliis Beneficiatis dictae Ecclesiae Collegiatae canere ad Lectorile magnum situm in medio chori, quidquid ibi canendum occurrit, etiam accedendo ad dictum Lectorile?

2. Et quatenus Affirmative: An quando, et in quibus functionibus teneantur praedicti Canonici ad dictum accessum, in casu etc?

Rescribendum consuerit. Ad 1. *Negative*. Ad 2. *Provisum in primo*.

Ac successive 3. Februarii 1714. ad dubium: An sit standum, vel recedendum a decisis? = rescripserit: *In decisis, et amplius*.

Verum, quia Canonici praefati, vigore dictarum resolutionum; a cantu *Introitus*, *Gradualis*, *Versiculorum*, et similium, quae in choro hactenus decantare solebant, prout assertum fuit, postmudum, permanendo etiam in eorum propriis stallis, sese abstinuerunt, hujusmodi praetensio novarum controversiarum inter eosdem occasionem praebuit, et a Beneficiatis, ac Mansionariis praedictis adversus Canonicos iterum habito recursu, illisque ad S. R. C. delatis, Eñus, et Rñus D. Card. Corradinus infrascripta dubia declaranda proposuit.

1. An Canonici Collegiatae S. Antonini Placentiae teneantur, permanendo in eorum stallis, et absque accessu ad Lecturile positum in medio Chori, canere una cum aliis Beneficiatis in Matutinis, Vesperis, et Missis conventualibus, ac solemnibus respective *Invitatorium*, *Hymnos*, *Versiculos*, *Antiphonas*, *Responsoria*, *Introitus*, *Kyrie*, *Gradualia*, *Credo*, *Offertorium*, et quidquid in supradicto Lectorile canendum occurrit, vel solummodo teneantur Beneficiati, et Mansionarii?

2. An licuerit, et liceat in posterum dictis Canonicis imponere mulctas extraordinarias Beneficiatis, et Mansionariis, non adimplentibus eorum munus in dicto servitio chori, absque scientia, et approbatione Ordinarii?

3. An Canonici, Beneficiati, et Mansionarii assurgere debeant, detecto capite, quoties a Dignitatibus, et aliis Canonicis in Festivitatibus solemnibus ante alicujus Psalmi initium praecinuntur Antiphonae, sub poena mulctarum, arbitrio Ordinarii?

4. An dicti Canonici, Beneficiati, et Mansionarii assistere debeant Concionibus, quae habentur tempore Adventus, et Quadragesimae in dicta Collegiata, sub poena mulctarum?

5. An dicti Canonici, Beneficiati, et Mansionarii tempore Missarum, quae canuntur in hora Tertiae in dicta Collegiata, possint accipere Missas aliquas ad dicendum in aliis Ecclesiis, vel accedere ad aliis Ecclesiis inserviendum, ad formam Decreti facti in visitatione de anno 1367?

6. An, et quomodo Decreta, alterum nempe editum in Sacra visitatione de anno 1581. in ordine il 19., et alterum in Synodo de anno 1632. in tit. de Chori ingressu, sint servanda, in easu etc?

Et S. eadem R. C. partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative quoad primam partem, et Affirmative ad secundam*.

Ad 2. *Serventur Constitutiones synodales*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative sub poena mulctarum, arbitrio Ordinarii*.

Ad 5. *Negative, dempta poena censurarum*.

Ad 6. *Servanda esse Decreta prout jacent, dempta poena censurarum*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 10. *Decembris* 1718.

3771. URBIS.

S. R. C. ad humillimas preces Gubernatoris, et confratrum Confraternitatis sub titulo Sanctarum Plagarum D.N.J. C. erectae in Ecclesia S.Philippi Nerii in via Julia, benigne indulsit, atque concessit, *ut in Novemdiali ante Nativitatem Domini Missa votiva B. M. V., quae incipit* = Rorate, *quam hactenus absque* Gloria, *et* Credo, *juxta Rubricarum praescriptum, celebratam fuisse assertum fuit, in posterum ad magis, magisque augendam ipsorum confratrum devotionem cum* Gloria, *et* Credo *celebrari possit, et valeat. Die* 10. *Decembris* 1718.

3772. LUCANA.

Cum in Civitate, et Dioecesi Lucana contra praescriptum Decreti Generalis die 13. Septembris 1692. (3140.), occasione Festivitatis S. Josephi Feria V. in Coena Dñi occurrentis, emanati, quo permissum fuit pro satisfaciendo praecepto dicta die plures Missas celebrari ante Missam conventualem, irrepserit abusus celebrandi in omnibus Ecclesiis tam Regularium, quam Confraternitatum, januis semiapertis, plures Missas ante conventualem; propterea Episcopus Lucanus pro declaratione: An liceat a quibusvis Sacerdotibus in quacumque Ecclesia, seu Oratorio, etiam januis clausis, praeter Missam conventualem dictas Missas celebrari? humiliter supplicavit.

Et S. eadem *C. dictas Missas nedum non celebrandas, verum etiam prohibendas esse decrevit, et declaravit; firmo tamen remanente Decreto Generali sub praedicta die emanato. Die* 28. *Jan.* 1719.

3773. LUCERINA.

Patribus Minoribus Observantibus Conventus SSmae Pietatis, Lucerinae civitatis, usque ab anno 1658. contendentibus praecedentiam in Processionibus, aliisque publicis functionibus supra Patres Minores Observantes Reformatos ejusdem Civitatis, ratione primi eorum incolatus in conventu SSmi Salvatoris ab iisdem Observantibus dimissi, et successive a Reformatis adepti; S. R. C. ad instantiam dictorum Observantium tantum sub diebus 8. Junii 1658., et 14. Augusti 1666. (1747.) binas favore ipsorum Observantium edidit Resolutiones, adversus quas, Patribus Minoribus Reformatis reclamantibus, et in S. C. controversia denuo examinata, S. eadem C. partibus informantibus auditis sub die 13. Augusti 1667. rescribendum duxit: *praecedentiam deberi PP. Minoribus Observantibus Reformatis degentibus in antiquo conventu SSmi Salvatoris Civitatis Lucerinae, non autem Minoribus Observantibus de Familia degentibus in conventu SSmae Pietatis*: et successive 10. Septembris dicti Anni rescripsit: *standum esse in ultimo loco decisis, nempe, sub die* 13. *Augusti* 1667. (2267.) Verum praedictis binis Resolutionibus PP. Minores Observantes minime acquiescentes, iterum ad S. C. recursum habuerunt, in qua infrascriptum Dubium inter partes concordatum ab Emo, et Rmo D. Card. Zondadario propositum fuit = An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 13. Augusti, et 10. Septembris 1667. in casu etc?

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in voce, quam in scriptis informante audita, visisque juribus hinc inde noviter deductis, rescribendum

duxit = *Standum esse in decisis sub diebus* 13. *Augusti*, *et* 10. *Septembris* 1667. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 28. *Januarii* 1719.

3774. JANUEN.

Cum occasione Constitutionis S. M. Urbani PP. VIII. in ordine 164. plures inter Clerum super celebratione nonnullorum Festorum exortae fuerint controversiae; propterea Emus, et Rmus Dnus Card. Archiepiscopus Januen., ad tollendam in posterum variarum sui Cleri opinionum discrepantiam, ac etiam ad formandam in universa sua Dioecesi uniformitatem pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. enixe supplicavit.

1. An, stante allegata consuetudine celebrandi Festos Titulares Ecclesiarum Dioecesis Januensis, teneatur populus sub praecepto ad eorumdem celebrationem?

2. An in casu, quo dicta consuetudo praecesserit Constitutionem Urbani, adhuc sit licitum dictos dies Festos non celebrare?

3. An, quando non constat, consuetudinem praedictam praecessisse Constitutionem Urbani, adhuc populus teneatur servare sub praecepto dictos dies Festos?

Et S. eadem R.C., audito prius voto Dñi Abbatis Gambarucci SSmi Dñi Nostri Papae caeremoniarum Magistri, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Martii* 1719.

3775. ORDINIS SANCTISSIMAE TRINITATIS PROVINCIAE PORTUGALLIAE.

Ex parte Religiosorum SSmae Trinitatis provinciae Portugalliae pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. humillime supplicatum fuit.

1. An ipsi nocturnum Officii defunctorum in die octavo obitus cujuslibet Religiosi provinciae Portugalliae canere, et similiter in die 30., et Anniversario obitus, unamque Missam de Requiem in Missali pro dictis diebus assignatam celebrare possint, etiam occurrentibus duplicibus, vel Dominica, sin minus prima die non impedita, vel ante, vel post diem octavum, trigesimum, vel Anniversarium?

2. An Officium SSmi Sacramenti, quod ipsi recitare solent in una die cujuslibet hebdomadae, quando non occurrit aliquis Sanctus, de quo fiat Officium, dicendum sit cum Alleluja?

Et S. R. C. respondendum censuit.

Ad 1. *Dentur Decreta sub die* 15. *Septembris* 1714. (3723.).

Ad 2. *Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Martii* 1719.

3776. VALLISOLETANA.

Concessionis Indulti celebrandi Festum SSmae Annunciationis Feria 2. post Dominicam in Albis, quando occurrit Feria V. in Coena Dñi; quando vero occurrit in Quadragesima pro facultate idem celebrandi cum octava pro

Abbatissa, et Monialibus Recolectis Ordinis S. Augustini Monasterii sub titulo SSmae Annunciationis Civitatis Vallisoletanae.

Quoad 1. *Satis provisum per Decretum generale*.

Quoad 2. *Negative*. *Die* 11. *Martii* 1719.

3777. FULGINATEN.

Cum ex parte Episcopi Fulginaten. expositum fuerit, quod Vicarius Generalis, Dignitates, ac Canonici suae Cathedralis in Missae privatae celebratione uti soleant ministro superpelliceo induto, qui ad celebrantis latus assistens substinet Missale, illius folia volvit, et indicat legenda, nec non tegit, ac detegit Calicem, et ante Offertorium aquam, et vinum in Calicem, infundit; propterea idem Episcopus pro declaratione: An supradicta in posterum permittenda sint? S.R.C. supplicavit.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: *Dandum esse Decretum in Cesenaten. editum die* 9. *Februarii* 1675. (2568.), *et etiam aliud praecipue in causa Senen.* 20. *Julii* 1686. (2970.), *et ita etiam in Civitate, ac Dioecesi Fulginaten. servari mandavit*. *Die* 13. *Maii* 1719.

3778. PERUSINA.

PRAETENSORUM JURIUM PAROCHIALIUM

Super praetensis Juribus Parochialibus, et functionibus Ecclesiasticis peragendis in publica Ecclesia Confraternitatis B.M. de Planctu Civitatis Perusinae inter Parochum S. Elisabethae, ac Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis ex una, et confratres Confraternitatis praedictae ejusdem Civitatis, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Oliverius infrascripta Dubia declaranda proposuit.

1. An liceat Cappellano Confraternitatis S. Mariae de Planctu in Ecclesia, vel Oratorio dictae Confraternitatis explere benedictiones cinerum, palmarum, et candelarum absque ulla licentia Parochi S. Elisabethae?

2. An liceat eidem Confraternitati exponere Venerabile in forma 40. horarum bis in anno, absque consensu, et licentia Parochi?

3. An liceat eidem Confraternitati exponere Venerabile in die Nativitatis B. M. V. in Festo principali dictae Confraternitatis, absque consensu, et licentia Parochi?

4. An liceat eidem Confraternitati exponere Venerabile in dicta Ecclesia in qualibet Dominica, quae praecedit Festivitatem S. Antonii Abbatis, et cum eodem Venerabili benedicere populum per suum Cappellanum?

5. An liceat eidem ducere Processionem solemnem cum delatione Venerabilis eadem die Dominica intra limites Parochiae S. Elisabethae, absque licentia Parochi quotannis obtinenda?

6. An liceat Cappellano praedicto, sive aliis Sacerdotibus ab Episcopo approbatis, et per Confraternitatem invitandis in eadem Ecclesia Missas cantatas celebrare, et Sacramentales Confessiones audire, absque licentia Parochi?

7. An pertineat ad Parochum S. Elisabethae, vel potius ad Cappellanum Confraternitatis facere Officium funebre super cadaveribus eorum, qui

non sunt Parochiani S. Elisabethae, sepeliendis in dicta Ecclesia Confraternitatis?

Et S. eadem R. C. sub die 7. Augusti 1717. rescripsit: *Dilata*, *ac Remissoriales a Parocho expetitas ad effectum probandi praetensam immemorabilem consuetudinem concessit*, *cum clausula tamen*, *non retardata executione Decretorum generalium ejusdem S. C. de anno 1703. editorum*. *Verum ab eo tempore a Parocho expeditione Literarum Remissorialium procrastinata*, *S.R.C. ad instantiam Confraternitatis sub die 28. Januarii proximi praeteriti peremptorium duorum mensium terminum ad deducendum sua jura Parocho assignavit*.

Elapso itaque dicto termino, rejectaque nova ipsius Parochi instantia super dilatione; eadem S.C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Oliveri, visis juribus deductis, et tam in voce, quam in scriptis, Procuratore praefatae Confraternitatis informante audito, ad supradicta Dubia rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative*, *de licentia Episcopi*.

Ad 5. *Affirmative*, *de licentia Episcopi*.

Ad 6. *Licere*, *de licentia Episcopi*, *et ad mentem*, *et mens est*, *ut licentia concedatur*.

Ad 7. *Negative quoad Parochum*; *Affirmative quoad Cappellanum*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 13. Maii 1719.*

1779. PERUSINA.

Declarationis Dubii circa modum concedendi licentias Cappellanis Confraternitatum audiendi Confessiones, pro Episcopo Perusino.

Scribatur Episcopo juxta mentem. *Et mens est*, *quod abstineat in posterum a concedendis licentiis audiendi confessiones cum clausula*, *de licentia Parochi*. *Die 13. Maii 1719.*

3780. SATRIANEN. PRAEEMINENTIARUM.

Cum a Nicolao Parisano Marchione Terrae Caggiani, et aliorum locorum, occasione promulgationis Edicti generalis ab Episcopo Satrianen. exarati, quo prohibitum fuit, ne in quacumque Ecclesia tam saecularium, quam regularium aliqua jura honorifica, seu praeeminentialia laicis cujusvis status, gradus, ac conditionis permitterentur sub poena suspensionis a Divinis, Officio, et Beneficio, ipso facto incurren., coram A. C. expeditum fuerit monitorium, ad effectum se manutenendi in praetensa possessione retinendi in Ecclesiis locorum Baronalium genuflexorium tapetibus, et pulvinaribus ornatum, ac sedem cameralem extra tamen Presbyterium. Cumque Episcopo Satrianen. idem praesentatum fuerit, ac successive etiam Fabritio Isoldi Archipresbytero Ecclesiae Matricis S. Salvatoris Terrae Caggiani, et Joanni Jacobo Passarelli Vicario Foraneo, praefatus Episcopus dictum Fabritium ab appositione Genuflexorii tapeto, et pulvinaribus ornati, ac sedis cameralis in memorata Ecclesia Matrice in vim monitorii A. C., non obstante Edicto generali antea promulgato, a Divinis suspendi, ac etiam in-

terdictum dictae Ecclesiae affigi mandavit, nec non Gerardum Pietrafessa ob praetensam violentam, et armata manu praesentationem monitorii ipsi Episcopo factam, excommunicationem incurrisse, publice declaravit. Propterea, ortis exinde inter Marchionem Fabritium, et Joannem Jacobum praedictos Terrae Caggiani ex una, et Episcopum Satrianen. partibus ex altera, controversiis, illisque ab Auditore SSmi ad S. R. C. remissis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Scottus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit,

1. An constet de Attentatis, et ad cujus favorem sint purganda in casu?

2. An censurae promulgatae contra Petrafessam substineantur in casu?

3. An Baroni Terrae Caggiani debeatur usus genuflexorii cum pulvinaribus, tapete, et sede appodiali amovibili extra Presbyterium, in quo loco, sive absente, sive praesente Episcopo, in casu etc.?

4. An substineatur tam suspensio Fabritii Isoldi, quam interdictum sive cessatio a Divinis in Ecclesiis S. Salvatoris Terrae Caggiani, in casu etc.?

5. An competat uxori Baronis, ejusque consanguineis usus genuflexorii cum pulvinaribus, tapete, et sede appodiali amovibili, in casu etc.?

6. An prohibitio ab Episcopo facta Clero, et Ecclesiasticis circa distributionem candelae benedictae in die Purificationis, non facien. per domus saecularium, substineatur in casu etc.?

7. An in Ecclesia S. Salvatoris liceat erigere Altare particulare pro explendo Baptismate Infantium Baronis, in casu etc.

Et S. eadem R.C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis supradictorum Marchionis, Fabritii, ac Joannis Jacobi Procuratore tantum audito, Episcopo tamen pro dilatione instante, et eam petente, rescribendum censuit. Ad 1. *Provisum prout in sequentibus*.

Ad 2. *Dilata, et ad mentem. Mens est, ut prorogetur absolutio censurarum ad tempus, et coadjuventur probationes per censuratos*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Exquirantur exempla*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Licere, permittente Episcopo, et ad mentem. Mens est, ut insinuetur agenti Episcopi, ut permittat*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 13. *Maii* 1719.

3781. MANTUANA.

Ex parte Fratrum Capuccinorum Conventus Aquaenigrae Dioecesis Mantuanae S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus, ob occurrentiam diei octavae Dedicationis eorum Ecclesiae cum festo S. Annae in posterum transferri benigne concedere dignaretur; et S. eadem R. C. respondit. *Festum Dedicationis minime transferendum, sed faciendum esse officium S. Annae cum commemoratione diei octavae Dedicationis dictae Ecclesiae*, *Die* 15. *Julii* 1719.

3782. PLACENTINA.

Adversus resolutiones super praetensis juribus Parochialibus favore Josephi Buttafabae Rectoris Ecclesiae Parochialis S. Jacobi Majoris Civitatis Placentinae a S.R.C. sub die 10. Septembris 1718. emanatas, petita a confratribus Confraternitatis S. Jacobi Minoris ejusdem Civitatis nova audientia, illaque ab Emo, et Rmo D. Cardinale Fabrono hujusmodi Causae Ponente pluries prorogata, modo praevia renunciatione primi Dubii circa publicam expositionem assertae Reliquiae Ligni SSmae Crucis in antecedenti propositione jam discussi, idem Emus Cardinalis in S.R.C. iterum infrascripta Dubia proposuit, videlicet.

2. An Cappellanus etc. Tenor Dubiorum legi potest in altero Decreto sub die 10. Septembris 1718. (3764.).

S. eadem R. C. tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, ac juribus noviter deductis mature perpensis, rescribendum censuit.

Ad. 2. *In Decretis, et amplius*.

Ad 3. *Praevio recessu a decisis, Affirmative pro solis confratribus*.

Ad 4. *In Decretis*.

Ad 5. *In Decretis*.

Ad 6. *Praevio recessu a decisis, Affirmative*.

Ad 7., et 8. *In Decisis*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Julii* 1719.

3783. IMOLEN.

Cum usque ab anno 1663. cum subsequuta de anno 1669. Ordinarii approbatione, in Ecclesia Parochiali S. Jacobi Apostoli Civitatis Imolen. erecta fuerit Congregatio 72. Sacerdotum saecularium sub invocatione S. Philippi Nerii, qui cotta, et bireto induti, per modum simplicis unionis pro peragendis Congregationibus, et solemniter celebranda Festivitate eorum S. Protectoris in eadem Ecclesia congregantur, et juxta proprium Institutum inibi Officia, et Missas in suffragium confratrum defunctorum, absque ulla eleemosynae receptione, semper celebrarunt, et occasione associationis cadaverum ejusdem Confraternitatis cum propria Cruce, seu Vexillo supra omnes Regulares praecedentiam hucusque habuerunt. Cumque controversiae tam super hujusmodi jure praecedendi, quam deferendi propriam Crucem, seu Vexillum, ab universo Clero Regulari adversus supradictos confratres dudum excitatae, a Rmo Dno Auditore SSmi ad S. R. C. remissae fuerint, modo Emus, et Rmus D. Card. Priolus tit. S. Marci in locum Emi, et Rmi Dni Card. Zondadarii absentis, hujusmodi causae Ponentis, infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Congregationi Sacerdotum Saecularium sub invocatione S. Philippi Nerii in associatione confratrum defunctorum, competat praecedentia supra Regulares in casu etc.?

2. An eidem Congregationi occasione associationis eorumdem cadaverum, liceat elevare propriam Crucem in casu etc.?

Et S. eadem R. C., juribus hinc inde deductis mature consideratis, et tam in scriptis, quam in voce utriusque partis Procuratoribus informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1., et 2. *Affirmative*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 19. *Augusti* 1719.

3784. LUCANA.

Super jure apponendi in Ecclesia Collegiata SSrum Joannis, et Reparatae Civitatis Lucanae in functionibus faciendis a parte anteriori Altaris pro celebrante a cornu Evangelii sedem cum suppedaneo strato ornato, et alteram consimilem a cornu Epistolae pro priore cum suppedaneo pariter strato ornato, necnon celebrandi in solemnioribus Festivitatibus Vesperas cum quatuor Cappellanis pluvialibus indutis, prout peractum fuit occasione nonnullarum Reliquiarum S. Pantaleonis Mart., in cujus honorem per tres continuos dies de mense Septembris 1718. solemnis celebrata fuit Festivitas; ex parte Promotoris Fiscalis illius Curiae Episcopalis adversus Capitulum, et Canonicos supradictae Collegiatae, excitatis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Priolus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An in functionibus faciendis a parte anteriori Altaris liceat priori, Canonicis, et Celebranti servare modum, et formam, quibus fuit practicatum in Festivitate S. Pantaleonis de anno proximo praeterito, quae dedit causam liti, sive novus ordo sit praescribendus?

2. An in diebus solemnioribus Celebrans in Vesperis tantum possit uti quatuor Cappellanis pluvialibus indutis in casu etc.?

Et S. eadem R.C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Dilata*.

Ad 2. *Affirmative*, *et amplius*. Et ita declaravit. *Die* 19. *Augusti* 1719.

3785. VELITERNA.

Habito ab Abbatissa, et Monialibus Monasterii sub titulo SSmi Nominis Jesu ad S. R. C. recursu, exponendo, quod, occasione Festivitatum dicti Monasterii, ad quas Magistratus ejusdem Civitatis cum delatione oblationum accedere solebat, ob praetermissam postea a Celebrante salutationem ejusdem in fine Missae, ad formam Decreti a S. R. C. sub die 10. Decembris 1718. editi, (3765.) dictus Magistratus solitas oblationes postmodum deferre omiserit, illasque ad aliam Ecclesiam detulerit, indeque Monialibus praedictis, ne ob executionem hujusmodi Decreti ab ipsis debitae observantiae demandati, in posterum praejudicium inferri valeat, pro aliquo opportuno juris remedio S.R.C. enixe supplicantibus.

S. eadem C. rescribendum censuit: *Magistratum cogendum esse tum ad deferendas in posterum oblationes in solitis Festivitatibus praefati Monasterii, tum ad solutionem omissae oblationis in praeterita Festivitate: praesensque Decretum Emo Episcopo pro executione tradendum*. Et ita decrevit. *Die* 9. *Decembris* 1719.

3786. TERTII ORD. S. FRANCISCI STRICTAE OBSERV. CONGREGATIONIS GALLICANAE.

Ex parte Fratrum tertii Ordinis S. Francisci Strictae Observantiae Congregationis Gallicanae S.R.C. humillime supplicatum fuit declarari, prout in infrascripto supplici libello, videlicet.

Emi, et Rmi DD.: Die immediate commemorationem omnium fidelium defunctorum sequente, Fratres tertii Ordinis S. Francisci strictae observantiae Congregationis Gallicanae Officium, et Missam solemnem defunctorum tam pro Religiosis, quam pro Benefactoribus defunctis quolibet anno celebrant; ideoque supplicant S.R.C., quatenus pro sua clementia declarare dignetur: Utrum Missa in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum posita, dicenda sit cum Oratione: *Deus veniae largitor etc.*, et loco *Fidelium*, an altera Missa etc? et insuper: Utrum in diebus obitus, et Anniversarii Fratrum nostrorum Sacerdotum dicenda sit in Missa Oratio: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.*, An illa propria, quae in praefatis diebus reperitur? Pro gratia, quam Deus.

Et S.R.C. respondit. Ad 1. *Missa dicenda est, ut in Anniversario.*

Ad 2. *Oratio dicenda, ut in die obitus.* Et ita declaravit. *Die* 9. *Decembris* 1719.

3787. COMEN.

Cum in causa etc., reproposita causa jam discussa, et resoluta sub die 24. Novembris 1714. (3724.) responsum fuit ad singula quatuor Dubia: *In decisis, et in omnibus causam hujusmodi amplius non proponi mandavit. Die* 3. *Februarii* 1720.

3788. MELEVITANA.

Inter Joannem Baptistam Xicluna, Marium, et Salvatorem Borg Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Elenae Birchircarae Dioecesis Melevitanae ex una, et Josephum Gasparem Vassallum Praepositum ejusdem Ecclesiae, partibus ex altera, super nonnullis juribus honorificis ab ipso Josepho Gaspare Vassallo uti Praeposito praetensis, ortis controversiis, illisque ad S. R.C. delatis, Emus, et Rmus D.Card. Priolus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Praepositus Collegiatae Ecclesiae S. Elenae Birchircarae sit manutenendus, vel, quatenus opus sit, reintegrandus ad possessionem, seu quasi retinendi, et utendi sede fixa coriacea cum pradella, et genuflexorio ante, tapete induto, in Choro dictae Ecclesiae prope Altare Sancti Titularis existens in eodem Choro, et a parte Evangelii in casu etc? Et quatenus negative.

2. An Praeposito debeatur primum stallum Chori a parte Evangelii coopertum coramine, et eminentius aliis stallis Canonicorum cum genuflexorio ante, parato tapete, et pulvinaribus, vel quomodo in casu etc? Et quatenus affirmative.

3. An Praepositus teneatur cedere idem stallum Canonico hebdomadario pluviali, vel sine induto, seu quale stallum eidem assignandum sit, et quo modo, seu cum tapete, vel sine, in casu?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Non deberi*.

Ad 2. *Negative quoad ornamenta petita*.

Ad 3. *Servari solitum, praeterquam in casu, quo Hebdomadarius sit indutus pluviali, et amplius quoad omnia*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 3. *Februarii* 1720.

3789. SATRIANEN.

Cum in causa Satrianen. controversiarum super praetensis praeeminentiis verten. inter Nicolaum Parisanum Marchionem Terrae Caggiani, et aliorum locorum ex una, et Episcopum Satrianen. partibus ex altera, infrascriptis Dubiis ab Emo, et Rmo Dno Card. Scotto Ponente in locum cl. mem. Card. Casini defuncti subrogato, propositis.

Omittimus Dubia, quia eorumdem tenor legi potest supra sub die 13. Maii 1719., prout etiam tenor Resolutionum, et Responsionum S. C. (3780.)

Cumque Episcopus Satrianen. adversus supradictas Resolutiones novam obtinuerit audientiam, cujus occasione in repropositione hujusmodi Causae, omnibus facti circumstantiis a Procuratore Marchionis antea suppositis per Episcopi Procuratorem dilucidatis tum circa praetensa attentata a Barone contra immunitatem, et libertatem Ecclesiasticam commissa, quam, praesentationem Monitorii A. C. ipsi Episcopo minime factam, sed ejus Vicario Generali suspensionem a divinis contra Fabritium Isoldum Archipresbyterum Ecclesiae Matricis S. Salvatoris Terrae Caggiani nunquam promulgatam, et affixionem interdicti eidem Ecclesiae ob appositionem genuflexorii, nec non excommunicationem latam contra Gherardum Petrafessa, non ob violentam, et armata manu praesentationem Monitorii dicto Episcopo factam, sed propter indebitas altercationes, ac demum circa distributionem candelarum prius faciendam in Ecclesia die Purificationis, aliisque duobus Dubiis ante primam propositionem subscriptis, et, praevia renunciatione, mediante quadam protestatione ex parte Baronis in actis facta, minime discussis denuo superadditis, nempe.

8. An eidem Baroni debeatur salutatio a concionatore, sive Saeculari, sive Regulari cum titulo Illmi, vel Excellentiae?

9. An in accessu D. Baronis ad Ecclesias Regularium, sive Saecularium excipi possit cum sonitu campanarum, in casu etc?

Idem Emus Scottus supradicta Dubia una cum aliis septem praecedentibus iterum declaranda proposuit.

Et S. eadem R. C., visis juribus ex parte Episcopi, aliisque ex parte Marchionis noviter deductis, ac Procuratoribus utriusque partis in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit.

Omisso primo dubio.

Quoad 2. *Censuras non substineri, sed Petrafessa petat humiliter veniam, et certioretur S. C. infra mensem post reditum Episcopi*.

Quoad 3. *In decisis, juxta modum: Modus est; cum genuflexorio*

ornato tapete laneo, et pulvinaribus pariter laneis, sede coriacea appodiali amovibili, et a cornu Epistolae.

Quoad 4. *Non indigere responsione.*

Quoad 5. *Negative.*

Quoad 6. *In decisis, juxta modum: modus est: licere, facta prius distributione in Ecclesia.*

Ad 7. *In decisis.*

Ad 8., et 9. *Negative.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 3. Februarii 1720.*

3790. AQUILEJEN.

Quum, prout expositum fuit, Moniales, Educandae, et Conversae Monasterii Ursulinarum Goritiae Dioecesis Aquilejae a parte Imperii a tempore immemorabili in nocte Nativitatis D. N. J. C. in fine primae Missae cantatae Sacram Communionem semper recipere consueverint, cumque modo pro Indulto in posterum continuandi in praedicta consuetudine, S. R. C. humillime supplicatum fuerit.

S. eadem C., *attentis circumstantiis supra expressis, hujusmodi instantiae juxta petita annuendum esse* censuit. *Die 27. Julii 1720.*

3791. FULGINATEN.

Habito ex parte Crispolti de Gregoriis moderni Prioris, ac primae Dignitatis Cathedralis Fulginaten. ad Sacram Congregationem Episcoporum, et Regularium recursu, adversus prohibitionem per Vicarium Generalem illius curiae factam Josepho Anicolae Clerico dictae Cathedralis in minoribus ordinibus constituto, super modo inserviendi eidem Priori in Missa, illoque una cum Episcopi Informatione ad S. R. C. remisso, atque relato.

S. eadem C., inspectis omnibus; quae in ipsa Informatione notificabantur, nempe, quod praefatus Prior, praeter peculiarem dicti clerici assistentiam, ab illo Missale sibi substineri, folia verti, orationes indicari, Calicem tegi, et detegi, ac in illum vinum, et aquam infundi, ac manum more Episcoporum deosculari facit, et inhaerendo aliis Resolutionibus in similibus editis, mandavit: *Omnia praedicta in posterum minime permittenda esse, et decretum praecipue in Senen. 29. Julii 1686. editum* (2970.) *debitae executioni pro observantia demandari praecepit. Die 27. Julii 1720.*

3792. RAVENNATEN.

Inter Josephum Boarium Canonicum seniorem Ecclesiae Collegiatae Portus Majoris Dioecesis Ravennaten. ex una, et Canonicum hebdomadarium ejusdem Ecclesiae, partibus ex altera, super jure peragendi in illa Ecclesia, in qua adest Archipresbyter unica Dignitas, functiones omnes, quae ad ipsum Archipresbyterum pertinent, controversiis exortis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Cardinalis Fabronus infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An functiones omnes, quae in Ecclesia Terrae Portus majoris peragun-

tur ab illius Archipresbytero, debeant in illius absentia, vel impedimento expleri a Canonico seniore, seu potius per turnum a Canonico hebdomadario in casu etc?

Et S. eadem R. C., audita relatione Vicarii Capitularis, nec non perpensis juribus hinc inde ex ea Curia transmissis, ac utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 27. *Julii* 1720.

3793. JANUEN.

S.R.C. instantibus Monialibus Professis Monasterii prope S.Sebastianum Civitatis Januen. sub regula S.Augustini Ordinario tamen subjectis pro declaratione Dubii circa recitationem Officii S. Augustini pro die semel in mense eidem Ordini concessi, declaravit: *Ut Moniales praedictae, quatenus gaudeant privilegio recitandi Officia Sanctorum Ordinis, possint recitare Officium S. Augustini semel in mense, sed die non impedita Officio duplici, vel semiduplici, etiamsi sit Sanctorum Dioecesis, quod nec omittere possunt, quamvis translatum, sed omittere debent eo mense Officium S. Augustini*. *Die* 15. *Martii* 1721.

3794. LUCANA.

Inter Capitulum, et Canonicos insignis Collegiatae Ecclesiae Sanctorum Joannis, Reparatae, et Pantaleonis reos conventos ex una, et Amadeum Samiuiatum Priorem ejusdem Collegiatae Civitatis Lucanae actorem, partibus ex altera, super juribus honorificis, seu praeeminentiis, occasione functionum Ecclesiasticarum in dicta Collegiata peragendarum per dictum Amadeum tamquam illius Collegiatae Priorem, sub praetextu immemorabilis centenariae, et consuetudinis praetensis, controversiis exortis, et contra ipsum expedito coram A. C. de Gentilibus Monitorio jact. jact., Rmus exinde SSmi Papae Domini Nostri Auditor, praevia avocatione Causae ab A. C., hujusmodi controversiam ad S. R. C. remisit, et infrascripta Dubia coram Emo, et Rmo D. Card. Corradino in Ponentem assignato inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An sit servandum Decretum Capitulare emanatum die 27. Julii 1620?

2. An Prior in accessu, et recessu Ecclesiae associari debeat a Canonicis usque ad Aedes priorales?

3. An Canonicus major teneatur in ingressu Ecclesiae tradere Priori Aspersorium pro aspergenda aqua benedicta Canonicis, Cappellanis, Clericis, aliisque adstantibus?

4. An pacem, atque thurificationem teneatur dare Priori Canonicus major?

5. An Priori solemniter celebranti ultra Diaconum, et Subdiaconum teneatur assistere tertius Canonicus pluviali indutus?

6. An in Processionibus liceat Priori incedere post Celebrantem?

7. An constet de nullitate congressus capitularis ab aliquibus ex Canonicis habiti die 24. Martii 1719?

S. eadem R. C., ad relationem praedicti Emi, et Rmi D. Cardinalis Corradini, utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit: *Negative in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Martii* 1721.

3795. MELEVITANA.

Habito a nonnullis Presbyteris Casalis Zebbug Dioecesis Melevitanae ad S. R. C. recursu, exponendo, inductum fuisse per vice-Parochum dicti Casalis abusum peragendi secundam benedictionem domorum post primam ab ipso Parocho expletam, quamvis in Constitutionibus synodalibus per cl. mem. Michaelem Hieronymum de Molina, olim Episcopum Meliten., de anno 1690. editis, et per alios Episcopos postea confirmatis id prohibitum fuisset: et praetendente Parocho ex eo quod in Casali praedicto existit Cura, in cujus auxilium, sive ad propriorum Parochianorum commodum semper vice-Parochum retinere consuevit, secundam benedictionem per suum vice-Parochum adhuc peragi debere. Ad instantiam nunc Joannis Bonicii, Petri Pulliciuii, Joannis Pauli, et Angeli Attard, et litis ex una, et Joannem Baptistam Sagnanum Parochum Casalis Zebbug, ejusque vice-Parochum partibus ex altera, coram Emo, et Rmo D.Cardinali Zondadario Ponente infrascripta Dubia inter partes concordata, et in S. R. C. examinanda proposita fuerunt.

1. An expleta per Parochum benedictione domorum possit per vice Parochum fieri secunda benedictio in casu etc? Et quatenus negative.

2. An dicta benedictio fieri possit per vice-Parochum quoad Parochianos illam requirentes in casu etc?

Et S. eadem R. C., tam in voce, quam in scriptis utraque parte informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Negative in omnibus*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Martii* 1721.

3796. PISTORIEN., ET PRATEN.

Cum Episcopus Pistorien.,et Praten.exposuerit, occasione compilationis Dioecesanae Synodi comperiisse abusum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, etiam in Dioecesi ad eorum libitum ultra Diaconum, et Subdiaconum, sub praetextu immemorabilis consuetudinis, adhibent Presbyterum sibi cum pluviali assistentem: cumque S. R. C. enixe supplicaverit pro declaratione hujusmodi Dubii: An usus praedictus sit permettendus, ut simplices Sacerdotes Civitatis, et Dioecesis Pistorien., et Praten. praeter Diaconum, et Subdiaconum adhibeant in Missa solemni Presbyterum assistentem?

Eadem S. C., inhaerendo aliis Resolutionibus in similibus editis: *Praefatum usum nequaquam permittendum*, *sed omnino tamquam abusum prohibendum esse* mandavit. Et ita decrevit. *Die* 15. *Martii* 1721.

3797. CASSANEN.

Clerus Terrae Saracenae Dioecesis Cassanen., ad tollendam omnem am-

biguitatem, quae contingit in occurrentia Festivitatis S. Leonis Episcopi praecipui Patroni ipsius Terrae cum altera Patroni Civitatis, ac ejusdem Dioecesis super commemoratione facienda in suffragiis Officii Divini, pro declaratione hujusmodi commemorationis peragendae S.R.C. humillime supplicavit.

Et S. eadem C. respondit: *Commemorationem fieri debere de utroque, primò scilicet de Patrono Dioecesis, secundò de Patrono loci*. Et ita declaravit. *Die* 7. *Junii* 1721.

3798. BONONIEN.

Constructa multis abhinc annis a quondam Fabio Antonio de Fabiis Domi suae habitationis in proprio proedio Cappella, seu Oratorio sub invocatione S.Philippi Nerii, sito in Ecclesia Parochiali S. Ceciliae nuncupat. della Crovara, extra Civitatem Bononiae in parva distantia a praedicta Ecclesia Parochiali sub cura Canonicorum Regularium SSmi Salvatoris, et dudùm habito a praefatis Canonicis Regularibus S. Ceciliae de Crovara adversus Achillem, et litis de Fabris ad S. R. C. recursu, super controversiis circa jura Parochialia inter ipsos exortis, et in Curia Archiepiscopali jam discussis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Paulutius infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Missa in Cappella Rurali, de qua agitur, possit celebrari ante Missam Parochialem? Et quatenus negative.

2. An, et in qua hora sit celebranda Missa Parochialis in Ecclesia S.Ceciliae de Crovara, in casu etc?

3. An liceat retinere Campanile cum campana, eamque pulsare pro celebranda Missa in eadem Cappella, seu potius sit removendum Campanile, et prohibenda pulsatio campanae, in casu etc?

4. An liceat retinere duas Januas apertas in eadem Cappella, seu potius altera ex his sit claudenda?

Et S. eadem C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Emus Archiepiscopus horam praescribat*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Ad Emum Archiepiscopum, prout de Jure ad formam Brevis*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 9. *Augusti* 1721.

3799. PATAVINA.

Abbatissa Monasterii S.Georgii Ordinis S. Benedicti, Civitatis Patavinae pro declaratione Dubii circa modum celebrandi secundas Vesperas in Festo S.Georgii Titularis ipsarum Ecclesiae, etiam Parochialis, occurrentes cum primis Vesperis Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, S. R. C. humillime supplicante.

S.eadem C.: *Secundas Vesperas de S.Georgio ex integro celebrandas esse cum commemoratione Dedicationis Ecclesiae Cathedralis*, declaravit. *Die* 9. *Augusti* 1721.

3800. JANUEN.

Occasione accessus Emi, et Rmi Dni Cardinalis Laurentii Flisci Ar-

chiepiscopi ad Ecclesiam Monialium, et Parochialem Civitatis Januen., ad effectum dandi habitum Puellis, et assistendi emissioni earum Professionis, solent praedicto Emo Archiepiscopo inservire duo Canonici Ecclesiae Metropolitanae, eidemque ingredienti Ecclesiam ab anno 1712. usque ad praesens porrigere caeperunt aspersorium aquae benedictae, quod antea Rector dictae Parochialis Ecclesiae porrigere solitus fuit: propterea praefatus Emus, et Rmus D. Card. Archiepiscopus, ad tollendas dissentiones inter Clerum suae Civitatis, pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. enixe supplicavit.

1. An in casu praedicto spectet ad Parochum dictae Ecclesiae porrigere aspersorium, vel potius ad unum ex Canonicis Metropolitanae inservientibus?

2. An idem servandum sit in quacumque alia Ecclesia sive Parochiali, sive Regulari suae Dioecesis?

Et S. eadem R.C., inhaerendo aliis Resolutionibus in similibus editis, rescribendum censuit: *Dentur Decreta in Ravennaten. 21. Martii 1665., et 26. Julii 1666., Aquilana 24. Julii 1683.* (2170., 2223., 2875.) *Et ita in casu, de quo agitur servari mandavit. Die 11. Julii 1722.*

3801. BURGI S. SEPULCRI.

Cum Joseph Pichi Praepositus Ecclesiae Cathedralis Burgi S. Sepulcri, vigore privilegii Protonotariatus Apostolici per ipsum de anno 1720. expediti, assumpserit habitum Protonotarii, et cum eodem ad Chorum accesserit, sedendo in primo stallo a parte Epistolae sibi tamquam Praeposito competente, aliae duae Dignitates, nempe Archidiaconus, et Archipresbyter, caeterique Canonici illius Cathedralis, super delatione memorati habitus, recursum habuerunt ad proprium Episcopum, qui extrajudicialiter, et per modum provisionis, prohibuit praefato Praeposito, ut se abstineret ad Chorum accedere cum habitu Protonotarii, donec causa resoluta fuerit. Verum, hujusmodi controversia ad S.R.C. delata, Emus, et Rmus Dnus Card. Origus infrascriptum Dubium inter partes concordatum decidendum proposuit.

An Praeposito Cathedralis Burgi S. Sepulcri, qui est Protonotarius Apostolicus de numero non participantium, liceat in Choro, aliisque functionibus ecclesiasticis incedere cum habitu Praelatitio, nempe Rochetto, et Mantelletto, et suum retinere locum, et stallum, reluctantibus Dignitatibus, et Canonicis in casu etc?

Et S. eadem R. C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit. *Affirmative, amissis distributionibus, et amplius. Die 22. Augusti 1722.*

3802. SARSINATEN.

Praeeminentiarum inter Canonicum Ruscellum, et Episcopum Administratorem Sarsinaten., referente Emo Paulutio. Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Negative, et sedeat in primo stallo Chori.*

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*.

Ad 8. *Arbitrio Administratoris in casu etc*.

Ad 9. *Decere in casu*, *de quo agitur*, *ut omnes accedant*.

Ad 10. *Affirmative*. *Die* 22. *Augusti* 1722.

Ad intelligentiam hujusmodi Rescriptorum, opus est sub oculis habere dubia proposita, quibus singula Rescripta respondent, sunt autem.

1. An Episcopus Civitatis Ducalis modernus Administrator Ecclesiae Sarsinaten. in functionibus Pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis, et praerogativis, quibus fruuntur, et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Dioecesibus in casu etc? Et quatenus negative.

2. An dictus Episcopus Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missas, et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super cathedra Episcopali elevata quatuor gradibus parata cum baldachino, ac postergale, et uti baculo pastorali; vel sedere debeat super faldistorio prope Altare, sine ipso baculo?

3. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica?

4. An ei, dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, et *Agnus Dei*, tuncque, ubinam debeat sedere?

5. An fieri debeat Anniversarium suae Consecrationis cum Missa cantata per Capitulum, et Clerum, ejusque nomen debeat in canone memorari per Sacerdotes celebrantes?

6. An, cum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super Altare septimum candelabrum cum candela accensa?

7. An, dum idem cantat Missam in Pontificalibus, debeant omnes Canonici sacris paramentis indui; vel tres tantum fungentes officiis Diaconi, Subdiaconi, et Presbyteri assistentis?

8. An dum vadit ad Cathedralem debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu Ecclesiae, aut Presbyterii?

9. An Canonici eum accessurum ad Cathedralem debeant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres, aut quatuor ad portam Ecclesiae?

10. An diebus Festis fieri debeant publicae Orationes pro novi Episcopi electione, ad formam Concilii Tridentini, et Caeremoniali Episcoporum?

3803. BONONIEN.

Monialibus SSmi Corporis Christi Civitatis Bononiae S. R. C. humillime supplicantibus, ut benigne declarare dignaretur: An ipsis liceat in posterum die 14. Januarii Officium SSmi Nominis Jesu, sicut antea, juxta concessionem Fratribus Ordinis Minorum, alias factam, recitare; an vero teneantur illud Dominica secunda post Epiphaniam, uti noviter pro Ecclesia universali indultum fuit, celebrare?

S. eadem C. respondit: *Nec Monialibus praedictis, nec Fratribus Minoribus, aliarumque Religionum, licere amplius memoratum Officium SSmi Nominis Jesu die 14. Januarii, sed Dominica secunda post Epiphaniam recitare, omnesque teneri, sub poenis de non satisfaciendo Officio Divino, aliisque in Bulla S. Pii V. contentis, novissimo Decreto die 29. Novembris 1721. pro universali Ecclesia se conformare.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 28. Novembris 1722.*

3804. THELESINA.

Humillime Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Thelesinae pro declaratione infrascripti Dubii S. R. C. supplicantibus: An Capitulum, et Clerus totius Thelesinae Dioecesis, possint recitare Officia Sanctorum in Ordinario Beneventano typis impresso, jussu Emi, et Rmi D. Card. Ursini Metropolitae descriptorum?

S. eadem R. C. respondit: *Negative. Die 28. Novembris 1722.*

3805. ULYSBONEN. OCCIDENTALIS.

Ad effectum satisfaciendi oneri, quod jure legati, prout assertum fuit, habent Beneficiati Ecclesiae Villae Madrae Patriarchatus Ulysbonen.Occidentalis recitandi omnibus tertiis Dominicis Responsorium defunctorum post Missam cantatam, sive privatam, Beneficiati praedicti: quid in isto casu faciendum esse, dum id juxta dispositionem Rubricarum peragi minime valeat? a S. R. C. declarari supplicarunt.

Et S. eadem C.: *Praefatum Responsorium diebus supra expressis ad Primam, sive ad Completorium dicendum esse* declaravit. *Die 28. Novembris 1722.*

3806. ASCULANA IN APULIA.

Super nonnullis juribus honorificis a Duce Civitatis Asculi in Apulia praetensis, inter Episcopum ejusdem Civitatis ex una, et ipsum Ducem partibus ex altera, controversiis exortis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Paulutius infrascipta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Duci Civitatis Asculi in Apulia debeatur usus genuflexorii cum pulvinaribus, tapete, et sede camerali amovibili extra Presbyterium, tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Saecularibus, et Regularibus ejusdem Civitatis, aliorumque locorum, quorum ipse est Baro, et Dominus, sive praesente, sive absente Episcopo, in casu?

2. An competat Uxori dicti Ducis, ejusque Consanguineis usus genuflexorii cum pulvinaribus, et sede camerali in casu etc?

3. An praedicto Duci in ingressu ad dictas Ecclesias, porrigenda sit aqua benedicta ab aliquo Ministro Ecclesiastico cotta induto, in casu etc?

Et S. eadem C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative, sed posse concedi usum genuflexorii absque tapete cum pulvinaribus, absque auro, et usum sedis cameralis coriaceae amovibilis extra Presbyterium, non in medio Ecclesiae, sed in loco destinando ab Episcopo tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis.*

Ad 2. *Negative, et posse concedi uxori tantum pulvinar solum.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative ad formam Caeremonialis.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 23. Januarii 1723.*

3807. MELEVITANA.

JURIUM PAROCHIALIUM, ET PRAEEMINENTIARUM.

Cum in causa Melevitana inter Curatum, et Patres Ecclesiae Parochialis Regularis B. M. V. Portus Salvi, Civitatis Vallettae ex una, et Parochum, ac Clerum alterius Ecclesiae Parochialis Saecularis Naufragii S. Pauli ejusdem Civitatis verten., a S. R. C. sub die 9. Maii 1716. (3735.) nonnullae resolutae fuerint controversiae: cumque exinde a Curato, et Patribus praefatae Ecclesiae Parochialis B. M. V. Portus Salvi, super juribus parochialibus, et praeeminentiis novae promotae fuerint controversiae, quibus ad instantiam Curati, et Cleri praedictae Ecclesiae Parochialis Naufragii S. Pauli ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gualterius infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An, et de cujus matricitate constet in casu etc?

2. An, et cui sit danda praecedentia in quibuscumque Processionibus generalibus, et functionibus Episcopalibus?

3. An, occasione associationis cadaverum ad Ecclesiam S. Pauli, seu ad aliam existen. intra limites ejusdem, invitatis, et accedentibus tam Parocho Saeculari, quam Regulari, Parochus Saecularis praecedere debeat alteri Regulari?

4. An, occasione associationis cadaverum ad Ecclesiam Portus Salvi, sive ad aliam existentem intra limites ejusdem, invitatis, et accedentibus Parocho Saeculari, et Regulari, Parochus Saecularis praecedere debeat eidem Parocho Regulari?

5. An in dicta associatione ad aliquam ex praedictis Ecclesiis, interveniente Clero Saeculari una cum Parocho Saeculari, et altero Regulari, omnes incedere debeant sub Cruce Cleri, et Parochi Saecularis, vel sub qua?

6. An eodem modo praecedendum sit, accedente Episcopo ad visitandam Ecclesiam Parochialem Portus Salvi?

7. An in eisdem Processionibus, et funeralibus, licitum sit dicto Parocho Regulari una cum suis Religiosis, deferre Crucem cum, vel sine velo, seu pallio appenso?

8. An, et a quo Parocho Saeculari, vel Regulari facienda sit Processio post Vesperas diei Festivitatis SSmi Corporis Christi, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9 Maii 1716., seu etc?

9. An eadem Processio, ut supra, facienda, transire etiam possit per vias magis conspicuas Civitatis Vallettae, etiam intra limites alterius Parochiae, irrequisito altero Parocho?

10. An Patres Dominicani teneantur accedere ad dictam Processionem, illamque associare?

11. An liceat Parocho S. Pauli se conferre ad administranda Sacramen-

ta tam SSmi Viatici, quam extremae Unctionis incolis, seu habitantibus in domibus sitis retro Ecclesiam Beatae Mariae de Victoria, nec non incolis, et habitantibus in foveo Castri S. Helmi?

12. An eidem Parocho S. Pauli, occasione administrandi eadem Sacramenta propriis Parochianis habitantibus extra portam Civitatis Vallettae, liceat exire a porta majore ejusdem Civitatis, et transire cum pompa intra limites Parochiae Portus Salvi, sive potius teneatur exire ab altera porta nuncupata della marina?

13. An eidem Parocho S. Pauli sit prohibendum administrare Sacramenta, et praesipue occasione Praecepti Paschalis Clericis Saecularibus habitantibus intra limites Parochiae Portus Salvi, etiamsi adscripti non sint servitio Parochiae S. Pauli, ita ut teneantur accedere in adimplementum dicti Praecepti ad eamdem Parochiam Portus Salvi in casu etc?

Et S. eadem R. C., utraque patre tam in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Constare de matricitate Ecclesiae Portus Salvi, ad effectum, de quo agitur,*

Ad 2. *Deberi Parocho Portus Salvi.*

Ad 3., et 4. *Servandam esse concordiam.*

Ad 5. *Omnes debere incedere sub una Cruce, nempe Ecclesiae tumulantis.*

Ad 6. *Sub Cruce Ecclesiae visitandae.*

Ad 7. *Servari solitum.*

Ad 8. *In decisis, videlicet Processionem faciendam esse a Parocho Portus Salvi in die Festo Corporis Christi post Vesperas.*

Ad 9. *Negative.*

Ad 10. *Negative.*

Ad 11. *Episcopus provideat, prout de jure, auditis interesse habentibus, etiam cum facultatibus S. Congregationis.*

Ad 12. *Arbitrio Episcopi.*

Ad 13. *Omnes teneri satisfacere praecepto Paschali in propria Parochia, praeter addictos, et insimul inservientes Ecclesiae S. Pauli.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 27. Februarii* 1723.

3808. MONOPOLITANA.

Super jure celebrandi Festum SSmi Nominis Jesu die 1. Januarii a Patribus Societatis Jesu Civitatis Monopolis de anno 1720., adversus Patres Ordinis S. Dominici ejusdem Civitatis, qui eadem die idem Festum celebrare consueverunt, controversiis excitatis, et in illa Curia Episcopali favore Patrum Praedicatorum resolutis, cum Patres supradictae Societatis adversus Episcopi resolutiones, inhibitionem vigore appellationis coram A.C., expedierint, praevia avocatione hujusmodi causae a Tribunali A.C. per Auditorem SSmi ad S. R. C. remissae, infrascriptum Dubium inter partes concordatum Emus, et Rmus D. Card. Origus declarandum proposuit.

An liceat Collegio, et PP. Societatis Jesu Civitatis Monopolis, cele-

brare Festum SSmi Nominis Jesu in die Circumcisionis D. N. Jesu Christi in casu etc?

S. vero eadem C., tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, ac juribus hinc inde deductis mature consideratis; rescribendum censuit: *Licere PP. Jesuitis celebrare 1. die Januarii Festum SSmi Nominis Jesu, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 13. *Martii* 1723.

3809. BRACHAREN.

Cum Parochus, et Clerus Villae Amarante Dioecesis Bracharen. exposuerint, quod ipsi ab antiquo tempore consueverunt recitare Officium proprium B. Gundisalvi de Amarante tamquam Patroni, ac Titularis ejusdem Villae, et Parochiae sub die 10. Januarii, conformantes se Rubricae tertiae de Octavis; quia tamen ex Decreto S.R.C. emanato sub diebus 15. Februarii, et 9. Martii 1716. fuit assignata dies 28. Januarii pro recitatione dicti Officii; propterea ex parte Parochi, et Terrae Villae praefatae S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humillime supplicatum fuit.

1. An, non obstante praedicto Decreto, recitare adhuc possint, juxta antiquum usum sub die 10. Januarii, seu potius teneantur dicto Decreto se conformare?

2. Et quatenus dicto Decreto se conforment, an debeant Officium hujusmodi recitare cum octava?

Et S. R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Debere se conformare Decreto S. C.*

Ad 2. *Cum octava, si est Patronus principalis, secus, sine octava*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Julii* 1724.

3810. LEIRIEN.

Exposuit Episcopus Leirien. per litteras S. R. C. directas, quod Presbyteri assistentes, in sua Cathedrali Missis Pontificalibus interessentes, pacem dare consueverunt non solum Dignitatibus, et Canonicis, sed ejusdem sedis Quartenariis, antiquam, et immemorabilem consuetudinem observando usu longaevo firmiter hac in re stabilitam, quam Presbyter quidam assistens paucis abhinc annis vilipendens, pacem praefatis Quartenariis recusavit: et propterea ad dirimenda jurgia, ac lites inter Capitulares exortas, S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione: An dicta consuetudo sit servanda?

S. vero eadem C. respondendum censuit: *Pacem dari debere omnibus Choro interessentibus*. Et ita servari mandavit. *Die* 15. *Julii* 1724.

3811. CAMERINEN.

Occasione associationis cadaverum ad Ecclesiam S. Francisci Minorum Observantium Civitatis Camerini inter Capitulum, et Parochum Ecclesiae Cathedralis ex una, et Patres Minores Observantes Civitatis praedictae partibus ex altera, controversiis exortis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Origus infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An liceat Parocho Ecclesiae Cathedralis Camerini in associandis cada-

veribus ad Ecclesiam S. Francisci Minorum de Observantia, ingredi dictam Ecclesiam cum cotta, et stola, et ante discessum a dicta Ecclesia recitare Antiphonam = *Exultabunt* = et aliam respective = *Sit nomen Domini* = in casu etc?

Et S. eadem R. C., utraque parte tàm in scriptis, quam in voce informante audita, rescribendum censuit: *Affirmative quoàd primam partem, et Negative quoad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Septembris* 1724.

3812. PLACENTINA.

Habito a Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Petri Oppidi Bronae Dioecesis Placentinae recursu adversus Jacobum de Botticellis illius Ecclesiae Archipresbyterum, et Parochum, super praeeminentiis, et functionibus ecclesiasticis, quae per ipsummet Archipresbyterum, vel per Curatum ab eo deputatum exercebantur, et delatis ad S. R. C. controversiis, Eñus, et Rñus Dñus Card. Zondadari infrascripta Dubia coram se inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An omnes functiones, quae peraguntur ab Archipresbytero cum interventu Capituli expleri debeant, absente eodem Archipresbytero, a Curato ab eo substituto, qui non est Canonicus, seu potius a Canonico seniore, vel a Canonico turnario?

2. An in iis functionibus, in quibus dari solet Archipresbytero emolumentum duplicatum, ipso absente, vel impedito, idem emolumentum dari debeat illi, qui supplet ejus vices?

3. An in solemnioribus anni Festivitatibus, nempe Nativitatis Jesu Christi, die Paschatis, ac die Pentecostes; nec non in Festivitate S. Petri, ac S. Contardi, liceat Archipresbytero, ultra assistentiam Canonici Diaconi, et Subdiaconi, habere in Missis etiam assistentiam Presbyteri cum pluviali, et in Vesperis assistentiam Diaconi, et Subdiaconi pluviali indutorum?

4. An in Missis, quae ab Archipresbytero cantantur tertia Dominica cujuslibet mensis, ac die translationis S. Contardi, nec non in Processione, quae fit die octava Corporis Christi, Canonici Diaconus, et Subdiaconus debeant ipsi Archipresbytero assistentiam praestare? Et quatenus affirmative.

5. An eadem assistentia dictis diebus praestari debeat Canonico celebranti, absente, vel impedito Archipresbytero?

6. An, post Processiones Litaniarum majorum, et Rogationum, celebranda sit solemniter Missa de Feria ab Archipresbytero, et, eo impedito, a Canonico seniore, vel turnario cum assistentia Canonici Diaconi, et Subdiaconi?

7. An, absente, vel impedito Canonico Diacono, vel Subdiacono, teneatur in functionibus supplere Canonicus junior Sacerdos, seu potius Sacerdos Cappellanus personaliter residens, aut alius simplex Sacerdos, sumptibus dictorum Canonicorum Diaconi, vel Subdiaconi?

8. An in Festivitatibus SSrum Antonii, et Dominici, quae ex Populi de-

votione celebrantur cum Missa, et Vesperis solemniter cantatis ab Archipresbytero, vel Canonico turnario, Canonici teneantur Choro interesse?

9. An iidem Canonici legitime non impediti, teneantur collegialiter intervenire sacris concionibus tempore Adventus, et Quadragesimae?

10. An eleemosynae, quae a Fidelibus offeruntur in capsula nuncupata *de morti*, quaeque erogantur in celebratione Officiorum, et Missarum pro defunctis, excepta rata, quae superest, deductis supellectilibus, possint arbitrio Archipresbyteri distribui Sacerdotibus ipsi Ecclesiae non inservientibus?

11. An claves dictae Capsulae retinendae sint tantum ab Archipresbytero, seu potius una ab ipso, et altera a Canonico seniore?

12. An Archipresbytero competat jus denegandi usum sacrorum paramentorum Sacerdotibus tam servientibus, quam non servientibus Ecclesiae, et utensilia solvere renuentibus?

13. An Archipresbyter in Choro teneatur servare turnum, ut caeteri Canonici?

14. An idem Archipresbyter possit habere sedem distinctam ab aliis Canonicis extra Chorum in actibus capitularibus, caeterisque functionibus?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Zondadari, partibus tam in scriptis, quam in voce acerrime informantibus prius auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Functiones Archipresbyterales spectare ad Canonicum seniorem, in reliquis servetur concordia anni* 1714.

Ad 2. *Negative, et servetur concordia.*

Ad 3. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.*

Ad 4., et 5. *Servetur concordia.*

Ad 6. *Servetur solitum.*

Ad 7. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam.*

Ad 8. *Esse hortandos.*

Ad 9. *Affirmative.*

Ad 10. *Affirmative, juxta solitum.*

Ad 11. *Servetur solitum.*

Ad 12. *Apud Judices suos.*

Ad 13. *Negative.*

Ad 14. *Servetur antiqua consuetudo.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 7. Julii* 1725.

3813. BERTINORIEN.

Proposito a Communitate, et Populo Foropompilii, quod Episcopus Bertinorien., vigore Synodi de anno 1712. ab ipso habitae, decretum renovari mandavit, quo adstringere praetendebat Communitatem, et Populum Foropompilii ad observationem Festi de praecepto S. Catharinae V., et M.. uti Protectricis principalis Civitatis Bertinorii, non obstante, quod idem Populus Festum S. Ruffilli primi Episcopi, ac ipsius primarii Protectoris de praecepto celebrare consuescat, habitoque adversus hujusmodi decretum ex parte praefatae Communitatis ad S.R.C. recursu, infrascriptum Dubium coram Emo, et Rmo D. Card. Gualterio Ponente inter partes concordatum propositum fuit.

An Foropompilienses tam exempti, quam non exempti teneantur celebrare de praecepto Festum S. Catharinae V., et M. in casu etc?

Et Sac. eadem Rit. Cong., visis juribus tam ex parte Communitatis, quam Promotoris Fiscalis, eorumque Procuratoribus in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit. *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 18. *Augusti* 1725.

3814. AUXIMANA.

Super jure praecedendi in publicis Processionibus, caeterisque aliis functionibus ecclesiasticis inter Joannem Baptistam Floravanti, et alios Sacerdotes Terrae Offaneae Dioecesis Auximanae ex una, et Cappellanos Confraternitatum SSmi Sacramenti, et Rosarii ejusdem Terrae partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad instantiam praefati Joannis Baptistae Floravanti ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Zondadarius infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An Cappellani Confraternitatum SSmi Sacramenti, Mortis, et Rosarii Terrae Offaneae, in publicis Processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus praecedere debeant omnibus Sacerdotibus ejusdem Terrae, exceptis Plebano, ejusque Cappellano Curato in casu etc?

Et S. eadem R. C., audita relatione Emi Episcopi, qui suum votum favore Cappellanorum praefatarum Confraternitatum transmisit, dicto Joanne Baptista Floravante, aliisque Sacerdotibus dictae Terrae pluries citatis, et intimatis, sed nequaquam comparentibus, visis tamen juribus Cappellanorum, rescribendum censuit: *Servari solitum, juxta votum cl. mem. Emi Ordinarii*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1725.

3815. PISANA.

Cum in Terra Blentinae Dioecesis Pisanae Sacerdotes tum Beneficiati, tum Cappellani amovibiles Confraternitatum, ac simplices Sacerdotes, quamvis nullum habeant onus assistendi Divinis Officiis, Festis, ac Processionibus, quae in Ecclesia illius Terrae peraguntur, ob decorem tamen sacrarum functionum, et ob lucrum, quod in nonnullis Festivitatibus Divinis Officiis interessentibus persolvitur, sponte semper intervenire consueverint; cumque ratione hujus interessentiae super jure praecedendi, occasione controversiarum inter ipsos, ac Laurentium de Rubeis, qui habet obligationem sedendi in Choro dictae Ecclesiae, exortarum, plures in illa Curia emanaverint resolutiones, quibus aquiescere praefati Sacerdotes nequaquam voluerunt; propterea ex parte dictorum Sacerdotum hujusmodi controversiis ad S. R. C. delatis, infrascripta Dubia ab Emo, et Rmo D. Card. Salerno declaranda, proposita fuerunt.

1. An sit servanda forma praescripta ab Archiepiscopo Pisano quoad praeeminentias in Ecclesia Blentina?

2. An Laurentius de Rubeis, tamquam obligatus ad Chorum in erectione Beneficii, debeat praecedere omnibus Ecclesiasticis, excepto Plebano?

Et S. eadem R.C., audita relatione Ordinarii, ac visis juribus dedu-

ctis rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*, *et praecedentiam deberi juxta praerogativam Ordinis*, *et inter Clericos ejusdem Ordinis*, *juxta praerogativam antianitatis in Ordine*.

Ad 2. *Negative*, *ut supra*. Et ita decrevit, ac servari mandavit, *Die* 15. *Septembris* 1725.

3816. VITERBIEN.

Cum Episcopus Viterbien. promulgari mandaverit edictum, quo injungebatur, ut praeter Dignitates, et Canonicos illius Ecclesiae Cathedralis, etiam Dignitates, et Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, Rectores Parochialium, et alii Presbyteri dictae Civitatis, paramentis sacris induti, ad Processionem SSmi Sacramenti in Festo SSmi Corporis Christi accederent: cumque ex parte Capituli praefatae Cathedralis hujusmodi Causa ad S. R. C. delata fuerit, Emus, et Rmus D. Cardinalis Gualterius infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An Capitulo, Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis competat jus incedendi in Processione SSmi Corporis Christi cum paramentis sacris privative quoad Canonicos Collegiatarum, Rectores Parochialium, aliosque Presbyteros in casu?

Et S. eadem R. C., tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 16. *Februarii* 1726.

3817. SANCTAE SEVERINAE.

Cum Provincialis S. Severinae Synodus suo decreto a S. C. Concilii sub die 15. Julii 1688. confirmato, diem festum S. Anastasiae V. et M. nedum in Civitate Archiepiscopali, et Dioecesi S. Severinae, sed etiam in tota illius Provincia de praecepto observari mandaverit, et S. etiam R. C. hoc idem suo facto adprobaverit, dum ejusdem Decreti intuitu sub die 21. Martii 1699. Officium quoque praedictae Sanctae in omnibus ejusdem Provinciae locis recitari praecepit; cumque nihilominus nonnullis ab hinc annis memorati festi de praecepto observantia (ut modernus Archiepiscopus SSmo Domino Nostro retulit) intermissa fuerit, Sanctitas sua habito respectu tam ad praefatum Synodale Decretum a dicta S. C. Concilii adprobatum, quam ad dispositionem Canonis *Institutio, de Cons. dist.* 2., et Canonum *de iis*, *et Placuit, dist.* 12., quorum mens est, ut Provinciales Ecclesiae ab Metropolitanae usibus non recedant, *praefatum S. Anastasiae Festum ab omnibus Suffraganeis*, *et in omnibus S. Severinae Provinciae locis tamquam de praecepto celebrandum esse* declaravit, et ita omnino celebrari mandavit. *Die* 7. *Septembris* 1726.

3818. URBIS

SACROSANCTAE BASILICAE LATERANENSIS.

SSmus Dominus Noster Benedictus XIII. ad humillimas preces Capituli, et Canonicorum Basilicae Lateranensis, ut novae Consecrationis ejusdem Basilicae, quam *Sanctitas Sua die* 28. *Aprilis currentis anni* solemni ritu peregit, memoria in posterum recolatur, benigne indulsit, atque concessit, ut in festo Dedicationis illius *die* 9. *Novembris Sextae Lectioni se-*

cundi nocturni sequentia verba addantur: eamdem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terrae insuper motibus disjectam, eversamque, ac sedula Summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus XIII. Pontifex Max. die 28. Aprilis 1726. ritu solemni consecravit, ejusque celebritatis memoriam hac die recolendam statuit: *ac insuper mandavit, ut idem Festum, tamquam dedicationis Ecclesiae Cathedralis hujus almae Urbis, ab universo illius Clero saeculari tantum, ejusque districtus, juxta Decreta S. R. C. hac in re pluries edita sub rit. dup. 1. clas. cum octava quotannis celebretur. Die 14. Septembris 1726.*

3819. CATANIEÑ.

Concessionis Indulti celebrandi Missam votivam solemnem Passionis D. N. J. C. singulis Feriis Sextis, etiam Officio duplici impeditis, ad effectum satisfaciendi obligationi jure legati relicti. Pro Carmelo Finocchiano tertia Dignitate Ecclesiae Collegiatae Oppidi di Piazza Dioecesis Catanien. *Negative, et celebretur Missa occurrens cum applicatione, juxta intentionem etc. Die 15. Februarii 1727.*

3820. RAVENNATEN.

Cum S. R. C. sub die 16. Februarii 1669. (2317.) super Dubio per cl. mem. Card. Gualterium tunc proposito: An, absente Archiepiscopo Civitatis Ravennaten. ex qualibet causa, et accedente Capitulo Cathedralis ejusdem Civitatis ad Ecclesiam S. Vitalis in die illius Festi, liceat Abbati Cassinensi in eadem sua Ecclesia S. Vitalis erigere, et retinere baldachinum, etiam praesente dicto Capitulo, et seorsim ab eo canere primas Vesperas, et Missam in Pontificalibus? utraque parte informante, rescripserit: *Licere, non interveniente tamen dicto Archiepiscopo*; Ad praecavendas, nunc, et evitandas, immo prorsus eliminandas quascumque controversias, quae super intelligentia praedicti Decreti oriri unquam possent, SSmus Dñus noster Benedictus XIII. praesenti Decreto suo illud S. R. C. confirmando, et quatenus opus sit, declarando, mandat, et praecipit, *quod, existente in Civitate, vel in suburbiis, aut Villis, Archiepiscopo, aut eo a Civitate, et Villis, sive Suburbiis, immo et a Dioecesi absente, dummodo aut non possit, aut nolit memoratae functioni interesse, licet Capitulum Cathedralis Ecclesiae interveniat, in istis casibus erigi debeat baldachinum Abbatis Regularis S. Vitalis, etiam praesente ipso Capitulo, et functiones suas peragente, ipseque Archiepiscopus existens in Civitate, vel in locis vicinis, teneatur saltem in pervigilio Festivitatis S. Vitalis hora competenti, de mane tamen, certiorem facere Abbatem, sive Superiorem Monasterii S. Vitalis, utrum velit, nec ne memoratis functionibus personaliter intervenire, ut, eo interveniente, opportuno tempore, baldachinum Archiepiscopi, vel eo nolente intervenire, illud Abbatis Regularis erigi possit? injungens Emo, et Rmo Dño Card. pro tempore Legato, ut executioni hujus Decreti Sanctitatis Suae, adhibitis etiam auctoritate sua juris remediis, sedulo incumbat. Die 12. Martii 1727.*

3821. AMALPHITANA.

Cum ex parte Tobiae de Acampora moderni Parochi Ecclesiae S. Mariae nuncupat. *della Manna*, seu *de Planillo* Terrae Agerulae Dioecesis Amalphitanae habitus fuerit recursus ad S. R. C., exponendo, quod in Oratorio, sive Cappella S. Annae de jure patronatus familiae de Brancato, sita sub districtu suae Parochiae, ab anno 1665., ex sola verbali permissione duorum praedecessorum Parochorum usque ad praesens introductus fuerit stylus celebrandi in Dominica Palmarum ab illius simplici Cappellano Missam privatam, ramos olivarum benedicendi, ac distribuendi, et postea cum Cruce elevata processionaliter se conferendi usque ad Cappellam, vulgo nuncupat. *delli Fiori*, ibique expectata Processione Parochi S. Mariae *della Manna*, cum altera Cruce conjunctim procedendi ad aliam Parochialem S. Petri *de Planillo* dictae Terrae, atque eodem ordine in quolibet Sabatho Sancto processionaliter incedendi pro explendis in illa consuetis functionibus ecclesiasticis; cumque ad tollendas omnes controversias per Emum, et Rmum D. Card. S. Clementis hujusmodi causa in S.R.C. proposita fuerit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. An Sacerdoti celebranti in Oratorio, seu Cappella S. Annae competat jus benedicendi ramos in Dominica Palmarum in casu etc.?

2. An eidem Sacerdoti liceat incedere cum Cruce erecta in Processionibus habendis tam die Dominico Palmarum, quam Sabathi Sancti ad Ecclesiam S. Mariae *delli Fiori*, seu potius teneatur accedere ad Ecclesiam Parochialem S. Mariae *della Manna*, ab eaque discedere cum aliis in casu etc.?

3. An Parochus S. Mariae *della Manna* teneatur in die Dominico Palmarum, et Sabathi Sancti assistere functionibus faciendis in Ecclesia Parochiali S. Petri *de Planillo* in casu etc.?

S. eadem C., tam in scriptis, quam in voce Procuratore Parochi S. Mariae *della Manna* tantum informante audito, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative in casu, de quo agitur*.

Ad 2. *Negative quoad primam partem, et quoad secundam, procedat Archiepiscopus*.

Ad 3. *Negative*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 5. *Aprilis* 1727.

3822. RAGUSINA.

Cum ex parte Patrum Abbatum Ordinis S. Benedicti Status Ragusini expositum fuerit, quod ipsi occasione Processionum, et absolutionum ad funeralia Rmorum Archiepiscoporum, et Dominorum Rectorum Reipublicae Ragusinae, ad quas iidem invitati sunt simul cum Episcopis Suffraganeis, nulla persona in Dignitate Ecclesiastica constituta interposita, Pontificalibus ornamentis induti semper accesserunt: cumque modo ad effectum, ne a simili possessione a Canonicis Cathedralis Ragusinae iidem in posterum perturbari valeant, pro declaratione manutentionis hujusmodi assertae consuetudinis S. R. C. humillime supplicatum fuerit.

S. eadem R. C., visis attestationibus Episcoporum Stagnen., et Merca-

nen., et Tribunen., et lecto voto a Rmo Archiepiscopo Amaseno Apostolicarum caeremoniarum Praefecto exarato, rescribendum censuit: *Praecedentiam supra Canonicos deberi Abbatibus praedictis, et solitum servari mandavit*. Et ita decrevit. *Die* 12. *Julii* 1727.

3823. FULDEN.

Cum ex parte Religiosorum Capitularium Fuldensium S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum enixe supplicatum fuerit.

1. Anno sequenti 1728. eadem die, scilicet 19. Martii, occurrunt Festum S. Joseph (quod est Festum Fori in Dioecesi Fulden., et celebratur sub ritu duplici secundae classis), et Festum septem Dolorum B. M. V., quod in Praepositura S. Michaelis tamquam primariae Patronae celebratur sub ritu dup. primae class. Quaeritur: An debeat in dicta Ecclesia celebrari Festum septem Dolorum, quod et habet adnexas Indulgentias plenarias, et transferri Festum S. Josephi, aut haberi Festum S. Josephi, et transferri Festum septem Dolorum in primum Sabathum?

2. Anno subsequenti 1728, Festum S. Benedicti occurrit in Dominica Palmarum, consequenter debet transferri usque post octavam Paschatis; sed quia dictum Festum in Dioecesi Fulden. habet adnexam solemnitatem Fori, et Dominica Palmarum fit Processio tam a Clero Saeculari, quam Regulari, atque a populo totius Civitatis ad montem Marienum, ubi habetur concio de Passione Dñi, et fit benedictio palmarum; post has, et alias caeremonias tempus ante meridiem effluxit, et nulla solemnitas de S. Benedicto habita fuit. Hinc quaeritur: An dictum Festum S. Benedicti cum solemnitate Fori, Octava, et Indulgentiis transferri liceat in diem 6. Aprilis?

3. Si occurrat Festum Dedicationis propriae Ecclesiae, et Festum S. Joannis Baptistae, vel Festum Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli; an non Festum S. Joannis Baptistae, vel Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, quia in hac Dioecesi consuetudo est, quod Patroni Ecclesiae soleant ferre Dedicationem Ecclesiae, et Dominica proxima post tale Festum soleat celebrari annua memoria Dedicationis; sed si cadant talia Festa in Dominica, soleat celebrari Festum Dedicationis, translato Festo Patroni: quaeritur: An bene? et si recte, et debeant transferri Festa Patronorum, et tali casu, quo Festum Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli transferatur: An non statim sequenti die 30. Junii debeat reponi, scilicet in Festo Commemorationis S. Pauli, et Festum Commemorationis ulterius, scilicet in 3. die Julii transferri debeat, si Festo altioris ritus non impediatur, vel an Festum Apostolorum in modo dictam diem debeat reponi?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit. Ad 1. *Festum septem Dolorum celebrandum esse in Praepositura S. Michaelis, illud vero S. Josephi in Ecclesia Fuldensi, in eaque omitti Festum septem Dolorum pro illo anno*.

Ad 2. *Festum S. Benedicti, quando incidit in aliquam diem majoris Hebdomadae, juxta novissimum Breve SSmi Dñi Benedicti PP. XIII. concessum pro toto ordine Benedictino, transferendum esse ad feriam ter-*

tiam post Dominicam in Albis; *quo casu dicta feria tertia habenda est*, *ac si esset dies propria S. Patriarchae*, *translato quocumque alio Officio*, *etiam aequalis ritus in ea occurrente*.

Ad 3. *Supplicent pro assignatione alterius diei*, *ac etiam mensis pro translatione Officiorum Dedicationis Ecclesiarum*. Et ita etc. *Die* 6. *Septembris* 1727.

3824. SORANA.

PRAETENSAE ASSISTENTIAE IN PONTIFICALIBUS.

Reassumpta iterum controversia jam a Canonicis Ecclesiae Cathedralis, et Promotore Fiscali Curiae Episcopalis Civitatis Soranae adversus Praepositum, et Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae ejusdem Civitatis, super assistentia in Pontificalibus excitata, quae in S. R. C. habita 5. Decembris 1716. (3746.) respectu Praepositi, et Capituli praefatae Collegiatae nondum penitus resoluta fuit, et per Emum, et Rmum Dnum Card. Polignac infrascripto Dubio inter partes concordato proposito.

An Decisa sub die 5. Decembris 1716. contra Archipresbyterum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei Civitatis Sorae, militent etiam in omnibus contra Praepositum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Restitutae ejusdem Civitatis in casu etc.?

S. R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce hinc inde informantibus auditis, sub die 15. Februarii 1727. rescribendum censuit: *Affirmative quoad omnia*. Adversus hujusmodi resolutionem obtenta a Capitulo, et Praeposito praefatae Collegiatae S. Restitutae nova audientia, et modo iterum reproposita dicta controversia super suprascripto Dubio.

S. eadem C., ad relationem ipsius Emi, et Rmi Dni Card. Polignac, utraque parte in voce, et in scriptis informante denuo audita, rescribendum censuit: *In decisis*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 24. *Januarii* 1728.

3825. MELEVITANA.

Cum in Civitate Melevitana, tam occasione accessus illius Magistratus, et Capituli Ecclesiae Cathedralis ad Palatium Episcopale ad effectum associandi Episcopum Pontificalia peracturum, ac in caeteris ecclesiasticis functionibus cum delatione Clavae, seu Mazzae honorificae, quam super aliis praeeminentiis contra ipsum Magistratum, et Capitulum a Joanne Francisco Mangiono ejusdem Cathedralis Canonico, excitatae fuerint controversiae; cumque ad instantiam dicti Canonici Mangioni ad S.R.C. delatae fuerint, Emus, et Rmus D. Card. Pipia infrascripta Dubia inter partes concordata in S. R. C. declaranda proposuit.

1. An liceat Magistratui, et Capitaneo Virgae se introducere, et respective permanere intus aulam, seu cubiculum, in quo Rmus Episcopus, functiones Pontificales peracturus, recipit Capitulum habitu chorali indutum, ut deinde cum illo se transferat ad Ecclesiam? et quatenus negative.

2. Usque ad quem locum praecise pervenire, ac remanere debeant, donec Episcopus, et Capitulum ex eadem aula, et cubiculo egrediatur, ut ad Ecclesiam procedant in casu etc.?

3. An Magistratui, et Capitaneo Virgae, postquam associaverint Episcopum usque ad Altare SSmi Sacramenti, liceat transire per Presbyterium ad effectum prosequendi ejusdem associationem usque ad locum baldachini in casu etc.?

4. An liceat eisdem in functionibus ecclesiasticis uti, sine Sanctae Sedis permissione, Clava, seu Mazza honorifica, quam de praesenti ante se deferre faciunt, tam extra, quam intra Ecclesiam in casu etc.?

5. An eadem Clava, seu Mazza uti valeant in praefatis functionibus Ecclesiasticis tam praesentibus, quam absentibus Episcopo, et Capitulo, in casu etc.?

6. An, pariter sine Sanctae sedis gratia, liceat eisdem uti dicta Clava, seu Mazza intus Ecclesiam tempore, quo non celebrantur functiones ecclesiasticae in casu etc.?

7. An liceat Capitulo Ecclesiae Cathedralis, sine Apostolicae Sedis indulto, in functionibus ecclesiasticis uti, tam extra, quam intus Ecclesiam, Clava, seu Mazza honorifica, quam de praesenti ante se deferre facit in casu etc.?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Provisum in antecedenti*.

Ad 3. 4. 5. 6, et 7. *Affirmative, et amplius*. Et ita decrevit, ac declaravit, et servari mandavit. *Die* 20. *Martii* 1728.

3826. ASCULANA.

Cum in Ecclesia Cathedrali Civitatis Asculi, occasione, qua Rmus Jo. Philippus Cauti Canonicus praefatae Cathedralis, post sibi collatum a SSmo D. Nostro Benedicto XIII. titulum Episcopatus Erithreae, ad sui Canonicatus residentiam se restituit, inter Capitulares dictae Cathedralis ex una, et ipsum Episcopum Titularem partibus ex altera, tam super modo sedendi in Choro, quam super aliis praeeminentiis in ecclesiasticis functionibus, multae exortae fuerint controversiae, pro quibus evellendis, nonnulla inter ipsos efformata fuerunt Dubia, ad effectum exquirendi votum alicujus SSmi Domini Nostri Papae caeremoniarum Magistri, super quibus, prolatis a Rmo Archiepiscopo Gambaruccio responsionibus, idem Episcopus Titularis acquiescere minime voluit. Verum, habito ex parte praefati Capituli ad S. R. C. recursu, pro infrascriptorum Dubiorum declaratione humillime supplicatum fuit.

1. An post delatam per Archidiaconum, sive Presbyterum assistentem pacem Episcopo locali, debeat illa deferri per dictum Archidiaconum, sive Presbyterum Episcopo Titulari, antequam Canonici assistentes in throno illam recipiant ab Episcopo locali in casu etc.?

2. An Canonicus Episcopus Titularis in Missis, et Vesperis cantatis cum assistentia Episcopi localis, teneatur discedere a stallo una cum reliquis Canonicis, pro faciendis consuetis circulis praescriptis a Caeremoniali Episcoporum in casu etc.?

3. An, exercente Pontificalia Episcopo, liceat Episcopo Titulari assistenti in stallo cum reliquis Canonicis deferre pluviale, vel potius incedere de-

beat cum rochetto, mantelletta, et habitu violaceo? Et quatenus affirmative quoad primam partem.

4. An una cum pluviali possit quoque deferre mitram Episcopalem, absque consensu Episcopi localis? et quatenus affirmative.

5. An, et cujus qualitatis debeat esse mitra gestanda per dictum Episcopum Titularem in casu etc.?

6. An in casu concessionis usus mitrae, ut supra, debeat Episcopus Titularis illam per seipsum imponere, et amovere a capite, vel potius ad hunc effectum liceat uti opera alterius in casu etc.?

7. An liceat Episcopo Titulari canenti Missas, et Vesperas, ceu Canonico in propria hebdomada, uti faldistorio, et indumentis Pontificalibus, seu potius illas canere debeat, sedendo in scamno, prout practicatur cum reliquis Canonicis, et absque pontificalibus indumentis? et quatenus affirmative quoad primam partem.

8. An tali casu teneatur petere licentiam ab Episcopo locali in casu etc.?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Pico Ponentis, Procuratore Capituli tantum in scriptis, et in voce informante audito, et Episcopo Titulari, quamvis intimato, et nequaquam comparente, tam super praedictis Dubiis, quam etiam super Jure ab ipso Episcopo Titulari praetenso, recipiendi thurificationem ante Archidiaconum exercentem officium Presbyteri assistentis, ac etiam ante Canonicos throno assistentes Episcopo in Missis cantatis, aliisque functionibus ecclesiasticis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative, exercente Episcopo Pontificalia, et assistente Capitulo cum paramentis sacris*.

Ad 4: *Posse, accedente consensu Episcopi*.

Ad 5. *Mitram debere esse lineam*.

Ad 6. *Per se ipsum, et casu, ut supra*.

Ad 7. *Ad mentem*, et mens est, *ut in Missis de turno abstineat, et subroget alium: In solemnioribus vero non posse, nisi de licentia Episcopi*.

Ad 8. *Jam provisum; et quoad thurificationem, Episcopum Titularem esse thurificandum post Archidiaconum, et Canonicos throno assistentes*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 10. *Aprilis* 1728.

3827. NULLIUS FORO POMPILII, SEU BRICTINORIEN.

Ad sedandas controversias, quae inter Capitulum, et Clerum Ecclesiae Collegiatae, et Abbatialis S. Ruffilli ex una, et Clerum Ecclesiae Parochialis S. Petri Oppidi Foro Pompilii partibus ex altera, occasione Processionum faciendarum in Litaniis majoribus, et minoribus in solemnitate SSmi Corporis Christi, et in Dominica infra ejus octavam, oriri solebant, inita in-

ter ipsos de annis 1641.,et 1682. concordia, eaque usque ad annum 1726., hinc inde servata, ipsa tamen non obstante, de mense Aprili ejusdem anni,post indictam a Capitulo, et Clero S. Ruffilli horam pro peragenda Processione S. Marci, ad quam Clerus dictae Parochialis S. Petri accedere tenebatur, idem Clerus S. Petri similem Processionem eodem tempore ordinavit; ortis proinde inter ipsos multis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dnus Card. Picus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An inter Clerum Abbatialis, et insignis Collegiatae Ecclesiae S. Ruffilli Foro Pompilii Nullius Provinciae Ravennaten., et Clerum Parochialis Ecclesiae S. Petri ejusdem Oppidi, seu Civitatis servanda sit concordia super Processionibus faciendis in Litaniis majoribus, et minoribus, in solemnitate SSmi Corporis Christi, et in Dominica infra ejus octavam ad formam Instrumentorum desuper stipulatorum de annis 1641., et 1682.? Et quatenus affirmative.

2. An Regulares interesse debeant praedictis omnibus Processionibus?

3. An convocatio, ordinatio, et horae praefinitio in singulis praefatis Processionibus spectet ad Capitulum praedictae Abbatialis, et Collegiatae Ecclesiae S. Ruffilli?

4. An eidem Capitulo liceat sub propria Cruce ad dictas Processiones accedere, ac sub ea in iisdem incedere?

5. An sub unica Cruce ejusdem Capituli incedere debeant utriusque Parochiae Cleri?

6. An eidem Capitulo debeatur dignior locus in praedictis Processionibus, etiam supra Parochum, et Vicarium Foraneum alterius Dioecesis?

7. An celebratio solemnium Missarum in dictis Processionibus spectet ad Archipresbyterum, Canonicosve ejusdem Capituli in Ecclesia S. Petri, in qua Processiones alternis annis inchoantur, quam in Ecclesiis Regularium, ad quas in Rogationibus proceditur?

8. An eidem Capitulo liceat praecedere Parochis cotta, et stola indutis, etiam in funeribus?

9. An, occasione funerum, in quibus invitatur Capitulum, uterque Clerus etiam Regularis incedere debeat sub unica Cruce Capituli?

10. An celebratio Missae funebris, et exequiarum spectet ad Archipresbyterum, et Canonicos, saltem super Canonicorum cadavera?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative, sed ab utraque Ecclesia cum suo respective Clero Saeculari, et Regulari, ac Confraternitatibus Processionem SSmi Corporis Christi faciendam esse per easdem vias,per quas hactenus habita fuit, servata alternativa, ita ut prima vice fiat a Collegiata S. Ruffilli in die Festo de mane: a Parochia vero S. Petri in die Dominico infra octavam pariter de mane; et anno sequenti fiat in die Festo a Parochiali, et in*

die Dominica a Collegiata. Quod si ob aliquod legitimum impedimentum ab Ecclesia, ad quam, juxta praefatam alternativam spectaret, neque de mane, neque post Vesperas dicti diei festi Processio fieri poterit, in hoc casu a dicta Ecclesia fiet de mane Dominicae infra Octavam, et ab altera post Vesperas: Processiones Rogationum fiant in eadem die ab utraque Ecclesia cum suo respective Clero, ut supra, per vias magis aptas existentes in suis respective Territoriis.

Ad 2. 3. 4. 5. 6. 7., et 8.: *Jam provisum in primo.*

Ad 9. *Affirmative.*

Ad 10. *Ad mentem*: et mens est: *Spectare in Ecclesiis proprii Territorii.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 10. *Aprilis* 1728.

3828. CAMERINEN.

Praetendentibus Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Camerini, nedum ipsis competere, praestare assistentiam Episcopo Pontificalia exercenti in Ecclesia Collegiata S. Venantii ejusdem Civitatis, quamvis Dignitates, et Canonici praefatae Cathedralis non collegialiter, neque capitulariter, sed uti singuli, accedant, verum etiam denegare Capitulo dictae Collegiatae, occasione Synodi locum in eadem linea cum Capitulo Cathedralis, quamvis Capitulum Collegiatae, vigore motus proprii S. M. Pauli III. in Processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus, unum corpus fere efformando, in eadem linea cum ipso Capitulo Cathedralis incedere soleat, cedendo tantum Capitulo Cathedralis manum dexteram; super quibus, exortis inter duo Capitula controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, a cl. mem. Card. Casino Ponente de anno 1714., ob imminentem celebrationem Synodi Decretum provisionale editum fuit, quo mandavit, dicta Capitula sedere debere in scamnis aequalibus, et aeque distantibus a sede Episcopali, unum a dexteris, nempe Capitulum Cathedralis, et alterum a sinistris, nempe Capitulum Collegiatae, sed postmodum, reassumpta controversia, per Emum, et Rmum, D. Card. Zondadarium infrascripta Dubia inter partes concordata, in S.R.C. declaranda, proposita fuerunt.

1. An Episcopo Pontificalia exercenti in Collegiata S. Venantii debeatur assistentia a Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, seu potius a Priore, et Canonicis eiusdem Collegiatae?

2. Ubi, et quomodo occasione Synodi sedere debeant Dignitates, et Canonici Ecclesiae Cathedralis?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce acriter informante audita, sub die 3. Augusti 1726. rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Servetur Decretum cl. mem. Card. Casini de anno* 1714.

Hujusmodi vero resolutioni Capitulo Cathedralis minime acquiescente, et quamvis petita nova audientia, eaque obtenta, attamen in repropositione causae comparere minime voluit, sed ad instantiam Capituli Collegiatae iterum causa super praedictis dubiis proposita fuit.

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Belluga, pro Emo Zondadario absente, inspectis praerogativis competentibus Capitulo Ec-

clesiae Collegiatae, quae ex privilegio Pauli III. in multis gaudet privilegiis Cathedralitatis: *Stetit in decisis, quoad utrumque, et amplius. Die* 10. *Aprilis* 1728.

3829. HISPALEN.

Cum a Clero Ecclesiae Parochialis S. Michaelis Civitatis Xerecensis Hispalen. Dioecesis de anno 1718., inhaerendo stylo, et consuetudini ab immemorabili tempore nonnullarum Ecclesiarum Regni Castellae, inductus fuerit usus peragendi caeremonias scissurae veli in quarta feria, et ostensionis sacri Vexilli in aliis majoris Hebdomadae; cumque de anno 1720. ad instantiam Praesidis, et Capituli Collegiatae S. Salvatoris ejusdem Civitatis oppositum fuerit, ne similes functiones in dicta Parochiali Ecclesia in posterum peragerentur, sub praetextu, quod hujusmodi functiones permissae sint Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis tantum, ratione ingentis numeri Ministrorum dictae functioni inservientium, ac etiam diminutionis concursus populi in dictis diebus ad illam Ecclesiam Collegiatam, pluriesque discussa fuerit controversia coram Vicario Generali Hispalen. Nuncio Apostolico, ac demum vigore Brevis coram Thesaurario Gadicen. Judice synodali, eaque postmodum ab Auditore Ssmi ad S.R.C. remissa, infrascriptum Dubium coram Emo, et Rmo D. Card. Coscia Ponente concordatum declarandum propositum fuit.

An liceat Ecclesiae Parochiali S. Michaelis Civitatis de Xeres facere functiones signi, et ostensionis sacri Vexilli a primis Vesperis Dominicae Passionis, ad diem Mercurii majoris Hebdomadae, et scissionis sacri Veli in dicta die Mercurii ejusdem majoris Hebdomadae, in casu etc.?

Et Sac. eadem Rit. Congregatio, audita prius relatione Rmi Archiepiscopi, et visis juribus ex illa Curia transmissis, ac Procuratore Ecclesiae dictae Parochialis tantum in scriptis, ac in voce audito, rescribendum censuit: *Affirmative, et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 3. *Julii* 1728.

3830. PLACENTINA.

Inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis S. Justinae Civitatis Placentiae ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Antonini ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Salernus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Magister caeremoniarum Capituli Ecclesiae S. Antonini Placentiae associare valeat dictum Capitulum cum habitu violaceo, et cum gestatione ferulae in illis Processionibus publicis, caeterisque functionibus generalibus, in quibus intervenit Capitulum Ecclesiae Cathedralis?

2. In quo loco incedere debeant Clerici Seminarii in dictis publicis, et solemnibus Processionibus?

3. An in Calendario Ecclesiae Placentinae adnotari debeat tempus, in quo fit mutatio capparum dictorum Canonicorum S. Antonini, sicuti adnotatur tempus mutationis capparum dictorum Canonicorum Cathedralis?

4. An Canonici dictae Ecclesiae S.Antonini peragere valeant in dicta eorum Ecclesia, occasione funerum Summorum Pontificum, propriorum Episcoporum, aliorumque Principum exequias solemnes cum quinque absolutionibus, juxta formam praescriptam in Pontificali Romano, seu potius hoc privative spectet ad Ecclesiam Cathedralem?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative, et amplius.*

Ad 2. *Dilata.*

Ad 3. *Negative, et arbitrio Episcopi, etiam quoad alias Collegiatas.*

Ad 4. *Negative quoad primam partem, et amplius.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 3. *Julii* 1728.

3831. URBIS.

Cum dies octava S. Marthae incidat in Festum S.Mariae ad Nives, ideoque in Ecclesia Monialium S.Marthae Urbis dicta octava cum Officio, et Missa die 5. Augusti celebrari soleat, translato Festo S. Mariae ad Nives in aliam diem non impeditam; cumque pluries dubitatum fuerit: an rite, et recte ita fieri consueverit, an potius faciendum sit Officium, et Missa de Festo cum commemoratione octavae, et, ad omnes disputationes tollendas pro parte earumdem Monialium S. R. C. humillime supplicatum fuerit, ut quid imposterum servari debeat? declarare dignaretur.

Eadem S. C., exquisito prius voto unius ex caeremoniarum Magistris SSmi D. N., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Barberini, rescribendum esse censuit: *Servari solitum ad formam Rubricae* 10. *Breviarii num.* 2. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 3. *Julii* 1728.

3832. ANGELOPOLITANA.

Ad humillimas preces nomine Cleri Civitatis, et Dioecesis Angelopolitanae in Indiis porrectas S.R.C., ad satisfaciendum maximae devotioni, quae erga B. Virginem septem Dolorum, et S. Angelum Custodem in illa Civitate, et Dioecesi summopere viget, benigne indulsit, atque concessit, *ut ab universo Clero Saeculari, et Regulari utriusque sexus praefatae Civitatis, et Dioecesis. Officium ejusdem B. M. V. Septem Dolorum, quando in feria sexta post Dominicam Passionis ob occurrentiam alicujus Festi duplicis primae, vel secundae classis recitari minime valeat, ad Sabathum sequens, et non ulterius transferri; nec non Officium S. Angeli Custodis imposterum cum Octava, servatis tamen Rubricis Breviarii, et Missalis Romani, recitari possit, et valeat Die* 11. *Decembris* 1728.

3833. PARISIEN PRAEEMINENTIARUM.

Cum in Ecclesia Collegiali, et Parochiali S. Joannis in Laterano Civitatis Parisiensis, cujus animarum Cura prius a tribus Prioribus Curatis Joanne Baptista Moysant, Honorato Marion, et Francisco Languet Religiosis Ordinis Jerosolymitani alternatim, et per hebdomadas exercebatur, occasione renunciationis per ipsum Fratrem Joannem Baptistam Moysant primum, et antiquiorem Priorem Curatum factae vigore Concordiae a Bajulivo Moreae praedicti Ordinis, sub cujus jurisdictione dicta Ecclesia existit, approbatae,

super nonnullis praeeminentiis, quibus dictus Moysant tamquam primus, et antiquior in receptione in illa Ecclesia fruebatur, inter Fratrem Honoratum Marion., ratione antianitatis, et Fratrem Franciscum Languet multae exortae fuerint controversiae, et ad S.R.C. postea delatae, Emus, et Rmus Dnus Card. de Polignac Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An quilibet ex Curatis Parochialis Ecclesiae S. Joannis in Laterano Civitatis Parisien. alternative, et per hebdomadas Curae animarum incumbentibus frui debeat in sua hebdomada omnibus honoribus, praerogativis, et praeeminentiis attributis, et adnexis titulo Curati?

2. An jus occupandi primum stallum in Choro Ecclesiae Parochialis S.Joannis in Laterano Civitatis Parisien., recipiendi, ante alios, nobiles Matronas eleemosynas ad pios usus in eadem Ecclesia colligentes, et incedendi ultimo loco, quando itur ad stationem subtus eamdem Ecclesiam, competat privative Curato hebdomadario Ecclesiae, vel potius Curato magis antiano in receptione, et conventualitate, quamvis non sit hebdomadarius?

3. An uterque Curatus teneatur interesse Officiis Divinis tam in sua, quam extra suam hebdomadam?

4. An liceat dictis Curatis in actibus concernentibus Curam alium sibi arrogare titulum, quam Prioris Curati in casu etc.?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Competere Marion. in casu, de quo agitur*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Negative, et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Decembris* 1728.

3834. RAVENNATEN.

Habito ex parte Parochi Ecclesiae S. Barbarae Civitatis Ravennaten. ad S. R. C. recursu adversus aliquam Dignitatem illius Cathedralis, quae, occasione ingressus Rmi Archiepiscopi ad dictam suam Ecclesiam Parochialem tempore Processionis in Festo S.Marci, praetendit porrigere eidem Archiepiscopo Aspersorium.

S. eadem R.C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, rescribendum censuit: *Dentur Decreta, et signanter in causa Panormitana* 20. *Junii* 1654. (1563.), *Fanen.* 20. *Martii* 1683. (2869.), *et ita etiam in dicta Ecclesia Parochiali S. Barbarae Civitatis Ravennaten. servari mandavit*. *Die* 9. *Aprilis* 1729.

3835. FIRMANA.

Habito ex parte Magistratus Oppidi Murivallium Firmanae Dioecesis ad S. R. C. recursu adversus Capitulum, Ecclesiae Collegiatae S. Bartholomaei dicti oppidi, exponendo, quod idem Magistratus tempore Adventus, et Quadragesimae, occasione Concionum, decenter sedens in scamnis in medio praefatae Ecclesiae ante illius Canonicos, qui in subselliis Chori post Altare majus intererant, salutationem recipere consuevit, sed postmodum, vigo-

re Decreti in Concilio Provinciali anno 1726. celebrato, constructis a dicto Capitulo scamnis, illisque in medio Ecclesiae appositis, ut Praepositus, Canonici, caeterique Capitulares ad formam supradicti Decreti Concionibus assistere deberent, dictam primam salutationem praefato Capitulo, ipso Magistratu controvertente, exiberi caepit, deductaque ad S. R. C. hujusmodi controversia, Emus, et Rmus D. Card. S. Clementis infrascriptum Dubium inter partes concordatum proponi mandavit.

An, et cui debeatur primo loco salutatio in casu etc.?

Et S. eadem R.C., ad relationem per me Secretarium, vice, et nomine dicti Emi, et Rmi D. Card. S. Clementis Ponentis, factam, audita informatione Rmi Archiepiscopi, et tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Salutationem primo loco deberi Capitulo, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 20. Augusti* 1729.

3836. INSULARUM CANARIARUM.

Concessionis Indulti celebrandi Missam ad impetrandam gratiam bene moriendi, occasione alicujus infirmi in extremis laborantis etiam in Festo duplici, ratione consuetudinis. Pro Gundisalvo Machado de la Guardia Civitatis della Laguna in InsulisCanariis.

S.R.C. respondit: *Negative, et in casu, de quo agitur, recitetur Oratio, sive collecta ad impetrandam gratiam bene moriendi. Die* 20 *Augusti* 1729.

3837. TERULAN.

Cum ex parte Episcopi Terulan. ad evellendos multos abusus, qui in praejudicium propriae Dignitatis, occasione solemnium ecclesiasticarum functionum, vigore consuetudinis a Capitulo, et Canonicis illius Cathedralis praetensae, irrepserunt, pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S.R.C. humillime supplicatum fuit.

1. An liceat apponi tapete cum pulvinari ante pedes Praebendati celebrantis, etiam quando descendit, vertendo terga ad Altare pro impositione Cinerum, ac distributione Candelarum, et Palmarum, et pro quacumque alia functione ecclesiastica?

2. An liceat, etiamsi sequatur casus, quod Magistratus Civitatis vulgo Regidores utatur eodem tapete, et pulvinari in iisdem functionibus?

3. An liceat, praesente Episcopo, eisdem Dignitatibus, et Canonicis intra, vel extra Ecclesiam Cathedralem, adhibere in privatis functionibus ecclesiasticis sedes cum brachiis, et subselliis, aut solum uti debeant scabellis, vel scamnis, quemadmodum utuntur, Episcopo Pontificalia exercente?

4. An liceat eisdem Dignitatibus, et Canonicis occupare easdem sedes cum brachiis, absente Episcopo, in functionibus ecclesiasticis intra Ecclesiam, non obstante non usu in contrarium in Cathedralibus Hispaniarum?

5. An Episcopo Pontificalia exercenti competat retentio baldachini,

seu umbraculi etiam pretiosi, et aurati, supra sedem positam a latere Altaris majoris?

6. An eadem retentio competat Episcopo, etiamsi Capitulum omiserit apponere baldachinum super Altare majus in casu etc.?

S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Belluga Ponentis, utraque parte in voce, et in scriptis informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Non licere*.

Ad 2. *Pro reformatione Dubii, quod non bene concipitur, nisi Episcopus declaret, quid in eo exquiratur*.

Ad 3. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Competere, dummodo non sit pretiosum, nec auratum*.

Ad 6. *Affirmative, et cogat Capitulum, ut ponat baldachinum super Altare majus*. Et ita etc. *Die 20. Augusti* 1729.

3838. NARNIEN.

Habito ab Episcopo Narnien. recursu contra Magistratum illius Civitatis, exponendo, quod idem, quamvis antea ab ipso Episcopo pluries hortatus, admonitus, ac occasione Decreti in actu visitationis facti, sub poena pecuniaria adstrictus, eique conveniens locus extra Presbyterium assignatus fuit, dicto Episcopo Pontificalia in Ecclesia Cathedrali peragenti assistere semper recusavit, sub praetextu, quod idem in stallis choralibus assistere solebat, prout ante promulgationem Concilii Romani servatum fuit; factaque per me Secretarium de praedictis SSmo Dño Nostro relatione, Sanctitas Sua, *dictum Magistratum per mulctam, et censuras, cogendum esse* mandavit. *Die 14. Septembris* 1729.

3839. ORD. B.M. DE MERCEDE REDEMPTIONIS. CAPTIVORUM.

Cum sub die 12. Julii 1727. S. R. C. ad instantiam Patrum Calceatorum Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum indulserit, ut ab ipsis Dominica secunda Octobris quotannis recitari possit Officium B. Virginis sub titulo de Remedio cum Antiphonis, et Lectionibus, ut in festo S. Mariae ad Nives, sumptis ex Breviario Romano Lectionibus secundi nocturni: cumque tum ratione concessionis praedicti Officii, tum approbationis Lectionum propriarum secundi nocturni, quae a Patribus Trinitatis praetendebatur, variae contentiones, et lites exortae fuerint inter ipsos Trinitarios, et Patres Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, habitoque per Patrem Magistrum Fratrem Alexandrum Illomei praedicti Ordinis de Mercede Procuratorem generalem ad eamdem S. C. recursu, accedentibus etiam particularibus instantiis P. Procuratoris generalis Ordinis Praedicatorum, necnon P. Procuratoris generalis Ordinis Carmelitarum, Emus, et Rmus Dñus Card. Belluga in Ponentem, seu Relatorem deputatus, infrascriptum Dubium inter partes concordatum examinandum proposuit, videlicet.

An sit revocandum Decretum die 12. Julii 1727. concedens PP. SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Officium B.M.V. sub titulo de Remedio, uti Patronae minus principalis in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce audita, discussisque juribus hinc inde deductis, variisque circumstantiis mature consideratis, rescribendum censuit: *Affirmative*. *Die* 21. *Januarii* 1730.

3840. AVENIONEN.

Excitata a Rectoribus Hospitalis S.Marthae Civitatis Avenionen. controversia adversus Capitulum illius Ecclesiae Metropolitanae, quibus summam scutorum sexaginta pro quolibet anno, vigore legati praefato Capitulo relicti, iidem Rectores paucis ab hinc annis persolvere recusabant, sub praetextu, quod a Canonicis, et Beneficiatis dictae Metropolitanae Testatoris dispositioni non plene adimplebatur, dum ipsi, occasione Benedictionis SSmi Sacramenti, et ante illud preces fundendas singulis Dominicis post completorium a Choro minime descendissent, eaque ad S.R.C. delata, Emus, et Rmus D. Card. Gotti infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An Canonici, et Beneficiati, dum occasione Benedictionis Augustissimi Sacramenti, singulis Dominicis post Completorium cantatur Hymnus: *Pange lingua etc.*, teneantur descendere a Choro, et flexis genibus canere ante Venerabile, vel potius remanere possint in eorum stallis choralibus in casu etc.?

Et S.eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Gotti, perpensa prius informatione Rmi Archiepiscopi, nec non in scriptis, et in voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Augusti* 1730.

3841. ORDINIS JEROSOLYMITANI.

Ex parte Cleri Sacri Ordinis Jerosolymitani pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. humillime supplicatum fuit.

1. Quod consuevit hactenus celebrari sub ritu dup. maj. Festum S. Sebastiani Martyris, Patroni minus principalis praedicti Ordinis, et Titularis Cappellae Venerandae Linguae Alverniae, erectae in Ecclesia majori sub titulo S. Joannis Baptistae ejusdem Ordinis, translato in primam diem non impeditam Festo S. Fabiani P. et M. sub ritu semidup.; et quia, ut asseritur emanatum fuit Decretum ab hac S. R. C. usque de die 22. Novembris 1698., (3350.), quo declaratum est, quod Festum S. Fabiani non transferatur, sed celebretur una cum S. Sebastiano, ideo humiliter postulat, ut possit solitum servari, non obstante Decreto, aliisque rationibus?

2. Consuevit transferri in solam sequentem diem, dummodo non impeditam, Festum S. Laurentii Justiniani assignatum pro Ecclesia universali die 5. Septembris sub ritu semidup. ad libitum, eo quia eodem die celebratur Officium de die Octava Decollationis S. Joannis Baptistae, unde pari-

ter petit ; ut possit in posterum solitum servari, quibuscumque non obstantibus ?

3. Exponit qualiter de anno 1639. fuerit facta quaedam fundatio ab Emo bo. men. Magno Magistro Fratre D. Martino Redin. pro decantandis in Pontificali primis Vesperis, et Missa votiva de S.Francisco Xaverio, assignata pro adimplemento suae piae dispositionis die 10. Decembris cujuslibet anni, ne impediretur, ut creditur, Festum ejusdem Sancti, quod magna cum pompa, et populi concursu die 3. ejusdem mensis celebratur in Ven. Ecclesia Patrum Societatis Jesu, Civitatis Vallettae, unde dictus Clerus, ad tenorem praedictae piae dispositionis, consuevit usque adhuc, post solutum pensum Officii currentis, decantare dictas primas Vesperas, et Missam, in quibus intervenit Emus Magnus Magister, et Ven. Consilium ; ideoque interpellat, ut possit solitum servari, quibuscumque non obstantibus quoad Vesperas ?

4. Submisse instat pro extensione Officii Dedicationis cum Octava praenominatae Ecclesiae majoris non solum ad Clerum ejusdem servitio addictum, et ad Equites, qui tenentur ad Horas Canonicas, ratione alicujus Beneficii, sed etiam ad omnes alios Religiosos utriusque sexus supradicti Ordinis, ubique locorum existentes, etiam extra Melitam, non obstante Decreto hujus S. R. C. emanato usque de die 11. Julii 1711. (3687.)

5. Declarari petit : An Festa Sanctorum Angelorum, et Archangelorum debeant habere utrasque Vesperas integras, in concursu alterius duplicis minoris, ad tenorem novi Decreti S. R. C., quod asseritur emanatum (Ita pluries responsum. Vide supra num. 2803. ad 4., 3544., 3602. ad 6., 3621. 3693.).

6. Similiter supplicat declarari : an sub nomine SSrum ad libitum comprehendantur Officia duplicia, et semiduplicia SSrum recitari concessa aliquibus Regnis, Provinciis, Civitatibus, et alicui particulari Ordini, absque expressa notula (ad libitum), sed tantum cum sequenti clausula nimirum = *Recitari possint, et valeant* = vel = *Recitari posse censuit* = Asseritur enim emanatam fuisse quamdam declarationem ab hac S. R. C. tenoris sequentis, videlicet ex voto S. R. C., ut constat ex responso Illmi, et Rmi Dni Archiepiscopi Apameni ejusdem S. C. Secretarii ; sub nomine SSrum ad libitum non comprehenduntur Officia duplicia SSrum aliquibus Regnis, et Provinciis recitari concessa, ideoque occurrentia in Dominicis non debent omitti, uti etiam si cadant in diebus impeditis, juxta Rubricas transferantur ?

7. Et tandem : an in vigilia Epiphaniae Dni possint celebrari Missae privatae de requiem, et votivae ?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Zondadari, rescribendum censuit.

Ad 1. *Servetur Decretum diei* 22. *Novembris* 1698.

Ad 2. *Ad Emum Ponentem juxta mentem, quae est quod supplicent pro assignatione diei fixae*.

Ad 3. *Negative, et transferatur Festum S. Francisci Xaverii in perpetuum ad diem* 10. *Decembris*.

Ad 4. *Negative quoad extensionem ubique locorum* .

Ad 5. *Servetur Decretum* .

Ad 6. *Negative* .

Ad 7. *Negative* . Et ita decrevit , ac servari mandavit . *Die* 16. *Septembris* 1730.

3842. BONONIEN. PRAEEMINENTIARUM .

Adversus jura honorifica a Magistratu Terrae Plebis in Ecclesia Collegiata S. Mariae Majoris dictae Terrae Dioecesis Bononien. praetensa, vigore concordiae inter Dominicum Mariam Magri unum ex Canonicis illius Collegiatae , et ipsum Magistratum de anno 1728. initae, habito a Capitulo praefatae Collegiatae ad S. R. C. recursu ex motivo , quod idem Canonicus Magri sub assumpto , usurpatoque nomine deputati a supradicto Capitulo , in illius praejudicium ad enunciatam concordiam devenire minime potuerit , proposita modo per Eñum , et Rñum D. Card. Origo Ponentem hujusmodi controversia sub infrascriptis Dubiis .

1. An asserta concordia inita die 10. Februarii anni 1728. sit servanda in casu etc. ? et quatenus negative .

2. An liceat Magistratui retinere scamnum aequaliter elevatum cum scamno Capituli e conspectu Concionatoris , illudque etiam retinere a parte dextera Capituli ?

3. An Capitulum, occasione concionum, retinere debeat suum scamnum intra Presbyterium , vel potius servandus sit stylus practicatus ante restaurationem Ecclesiae ?

4. An salutatio per Concionatorem Capitulo , et Magistratui sit peragenda in confuso , vel cum praelatione Capituli , vel potius sit omnino omittendam ?

5. An danda sit a Subdiacono pax per amplexum Gubernatori, et duobus Consulibus , reliquis vero Communistis a Mansionario , seu alio Sacerdote per instrumentum ?

6. An teneantur Canonici per se , vel per alium praesentare aspersorium Magistratui in ingressu ad Ecclesiam in casu etc. ?

S. eadem R. C. , in scriptis , et in voce partibus informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis , rescribendum censuit .

Ad 1. *Negative* .

Ad 2. *Negative* .

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem* , *et Negative quoad secundam* , *transportato Pulpito sumptibus communitatis in situ commodo Capitulo* .

Ad 4. *Esse faciendam cum praelatione Capituli* .

Ad 5. *Esse dandam a Mansionario cum Instrumento* .

Ad 6. *Esse servandam concordiam anni* 1699. *et amplius* . Et ita decrevit , et servari mandavit . *Die* 9. *Decembris* 1730.

3843. NEAPOLITANA .

Super jure praecedendi in Synodo , aliisque publicis functionibus in

Civitate Neapolis peragendis inter Capitulum, et Clerum Ecclesiae S. Mauri Casalis Casoriae in insignem Collegiatam usque ab anno 1702., a cl. mem. Carolo Card. Barbarino, Legato a latere ad illam Civitatem transmisso, erectae ex una, et Parochos ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Belluga infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An in Synodo Neapolitana, et in aliis publicis functionibus faciendis in dicta Civitate, debeatur praecedentia Praeposito, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Mauri Casalis Casoriae, vel potius Parochis Civitatis Neapolis?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, sub die 12. Julii 1727. rescripsit: *Dilata, et ad mentem*, mens fuit, *quod exquireretur observantia aliarum Dioecesium, et modus etiam, quo in civitate Neapolis ordinantur Processiones*. Vigore itaque hujusmodi Rescripti, perventis pluribus variarum Regni, aliarumque Ecclesiarum Informationibus super tali consuetudine ab Emo Ponente requisitis, supradictoque Dubio in S. R. C. iterum proposito.

S. eadem C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, partibus in voce, et in scriptis denuo informantibus auditis, rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem, Negative quoad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 9. Decembris* 1730.

3844. TERULANA.

Cum in causa Terulana praeeminentiarum verten. inter Rmum Episcopum Terulan. ex una, et Dignitates, et Canonicos illius Cathedralis partibus ex altera, per Emum, et Rmum Dnum Card. Belluga Ponentem proposita super secundo Dubio: An liceat apponi tapete cum pulvinari ante pedes Praebendati celebrantis, quando descendit pro impositione Cinerum, distributione Palmarum, et Candelarum, et pro quacumque alia functione ecclesiastica, etiamsi sequatur casus, quod Magistratus Civitatis, vulgo Regidores, utatur eodem tapete, et pulvinari in eisdem functionibus?: a S.R.C. die 20. Augusti 1729. responsum fuerit: *Ad secundum pro reformatione Dubii*: (3837.). Cumque postmodum idem Episcopus, de mandato ipsius S.C. pro meliori facti dilucidatione super hujusmodi abusu, tempore sedis Episcopalis vacantis inducto, magis opportunam transmiserit Informationem; modo idem Emus Belluga praedictum Dubium a S. R. C. declarandum proposuit.

Et S. eadem C., Procuratore Rmi Episcopi tantum in scriptis, et in voce informante audito, ac nova ipsius Episcopi relatione mature perpensa, rescribendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 9. Decembris* 1730.

3845.. ASTORICEN.

Ex parte moderni Episcopi Astoricen. expositum fuit, quod cum in temporibus Ordinationum a jure statutis multoties contingat, occurrere eodem die Sabbati quatuor Temporum, vel ante Dominicam Passionis, Festa duplicia, aut semiduplicia, verum, quia de tali occurrentia nihil in Ponti-

ficale disponitur supra Missam in Ordinationibus celebrandam, aliosque Antistites diversimode se gessisse audivit, scilicet, quod nonnulli Missam de Festo, et alii Missam de tempore celebraverint, ac propterea, ad tollendam super praemissis omnem dubietatem, pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S.R.C. humillime supplicatum fuit.

1. An, occurrente Festo duplici cujuscumque classis, aut solemnitatis in Sabbato quatuor Temporum, aut ante Dominicam Passionis, Missa pro explenda Ordinatione debeat, aut possit celebrari de Festo, an vero de tempore?

2. An idem dicendum in semiduplicibus, et casu, quo in istis Festis dicenda sit Missa de Sancto, possit ex causa Ordinationis legi Missa de tempore, sicut potest ex justa causa celebrari Missa votiva in praedictis Festis?

3. An si Missa celebranda sit de tempore, debeat fieri commemoratio de Sancto, cujus fit Officium, an vero debeat dici prout in Ordinario, sicut in Ecclesiis Cathedralibus, ubi duae Missae celebrantur in praefatis diebus?

4. An Episcopo Ordinationes tenente in Cathedrali, vel Collegiata, ubi canuntur duae Missae, de Festo, et de Feria, possit Ordinationem habere in Missa de Festo, an vero debeat fieri in Missa de Feria?

S. eadem R.C., audito voto R.P.D. Reali Apostolicarum caeremoniarum Magistri, rescribendum censuit: *Juxta votum*, nempe.

Ad. 1. *Missam pro explenda generali Ordinatione esse dicendam de tempore, non omissa tamen, juxta Rubricarum dispositionem, illa de Festo occurrente.*

Ad 2. *Ut ad primum.*

Ad 3. *Provisum in secundo.*

Ad 4. *Ordinationem habendam esse in Missa de Feria.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 30. *Januarii* 1731.

3846. URBIS.

Cum ex particula Calendarii Ecclesiae Sapientiae Urbis praescriptum sit, singulis annis diebus Mercurii, Veneris, et Sabbati ultimae hebdomadae carnisprivii, tempore vacationum a studiis, tres celebrandas esse exequias; cumque eaedem, juxta dispositionem Decretorum, enunciatis diebus ob occurrentiam Sanctorum duplicium minime peragi, nec ad aliam diem ratione assistentiae tam DD. Advocatorum Consistorialium, quam aliorum ipsius Archigimnasii Professorum transferri possint: propterea ex parte Custodum dictae Ecclesiae Sapientiae, pro indulto illas in posterum celebrandi in praefatis diebus, etiam Sancto duplici occurrente, S. R. C. humillime supplicatum fuit:

Et S. eadem C., attentis circumstantiis in supplici libello expressis, *hujusmodi instantiae juxta petita annuendum esse* censuit. *Die* 20. *Januarii* 1731.

3847. JANUEN.

Reluctantibus nonnullis Cappellanis Presbyteris nuncupat. *de Massa* Ecclesiae Metropolitanae Januen., contra antiquum solitum usque ad annum 1729. servatum, accedere una cum Canonicis illius Metropolitanae ad aulam Palatii Archiepiscopalis destinatam, ad effectum associandi Rmum Archiepiscopum cappa indutum Pontificaliter celebraturum, vel celebrationi solemni adstiturum, usque ad Ecclesiam, et ab ea ad dictam aulam respective reducere, nec non, occasione hujusmodi associationis, genuflectere, et in Ecclesia sacra paramenta ad Cathedram deferre, et a praefatis praetensionibus, aliquibus ex dictis Cappellanis, non obstante etiam Edicto Rmi Archiepiscopi, occasione Vigiliae, et Festivitatis omnium Sanctorum, anno praedicto publicato, minime recedentibus, idem Rmus Archiepiscopus devenit contra nonnullos ex praefatis ad censuras suspensionis a Divinis. Verum ad eorumdem instantiam ab Auditore SSmi, praevia absolutione a censuris cum reincidentia, remissis ad S. R. C. controversiis, etiam quoad censuras, et in ea infrascriptis Dubiis coram Emo, et Rmo D. Cardinali Porzia Ponente inter partes concordatis discussis, nempe.

1. An Cappellani Metropolitanae Ecclesiae *de Massa* nuncupati, ad eamdem Archiepiscopo accedente, Missam, aliaque Divina Officia Pontificaliter celebraturo ex aula Archiepiscopali ad Ecclesiam, et ab Ecclesia ad dictam aulam comitari teneantur in casu etc.?

2. An eadem associatio debeatur, quando Rmus Archiepiscopus cappa indutus descendit, ad effectum praestandi assistentiam in casu etc.?

3. An praefati Cappellani in aula Archiepiscopali tam in accessu, quam regressu, teneantur Rmo Archiepiscopo genuflectere in casu etc.?

4. An praefati Cappellani teneantur Archiepiscopo Pontificaliter celebraturo deferre sacra paramenta ad Cathedram Archiepiscopalem, et actualiter celebranti tenere Librum, et Bugiam in casu etc.?

5. An censurae sustineantur in casu etc.?

S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Pichi loco dicti Emi Ponentis, utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Quoad paramenta sacra non teneri, nisi deficientibus Acolythis; quoad Librum, et Bugiam Affirmative*.

Ad 5. *Petita venia, recurrant ad Archiepiscopum ad mentem*, et mens est, *ut Archiepiscopus concedat licentiam celebrandi*. Et ita decrevit, ac servari mandavit, *Die* 3. *Martii* 1731.

3848. FLORENTINA.

Ad humillimas preces Abbatissae, et Monialium Monasterii S. Donati sub regula S. Benedicti, Ordinis Cisterciensis extra moenia Civitatis Florentiae, S. R. C. benigne indulsit, atque concessit, *ut ipsae imposterum tam in die*

Festo , quam per Octavam S. Donati , uti earum Monasterii Protectoris , Orationem , et Lectiones proprias, juxta approbationem pro Ecclesia Aretina factam , nec non nomina Sanctorum Benedicti , et Bernardi in Confiteor *recitare possint , et valeant . Die* 3. *Martii* 1731.

3849. PAMPILONEN. JEJUNII.

Cum in comitiis generalibus Provinciae de Guibuzcoa, cum interventu omnium deputatorum laicorum tantum singularum illius Civitatum , Oppidorum , et Castrorum in Villa de Zumaja,die 15. Maii 1710. habitis, statutum fuerit , in Pervigilio S. Ignatii de Loyola uti concivis , et principalis Patroni Provinciae praedictae , jejunium in perpetuum ex voto servandum esse; ac deinde super hujusmodi obligatione inter Magistratum saecularem ex una , et Clerum pariter saecularem illius Provinciae , partibus ex altera, exortae fuerint controversiae sub motivo , quod praefatum jejunium tamquam a Magistratu saeculari tantum demandatum , irritum sit , atque in observantia nequaquam deduci possit : cumque ad penitus evellendas tales controversias in partibus pluries discussas , et ad S. R. C. postmodum remissas , S. M. Benedictus XIII. commissa prius per Secretarium Status Rmo Hispaniarum Nuntio tam super defectu consensus Cleri , quam super aliis , quae ab ipso Clero pro consequendo motu proprio deducta fuerant , plena informatione , eaque perventa , ac mature considerata per suas speciales litteras in forma motus proprii sub die 20. Martii 1729. datas , dicti voti nullitatem declaraverit , et ad majorem cautelam , quatenus opus esset , omnes ecclesiasticos , et laicos in utroque Foro plenissime absolverit , ac dispensaverit . Instante postmodum prefato Magistratu sub praetextu obreptionis dicti Motus Proprii coram Emo , et Rmo Domino Cardinali Fini , tunc ipsius S. M. Benedicti XIII. Pro-Auditore , contra dictum Motum Proprium pro oris aperitione , idem Emus Pro-Auditor hujusmodi instantiam arbitrio S. R.C. remisit . Proposita nunc , et discussa in S. C. causa super infrascripto Dubio ab Emo Origo Ponente inter partes concordato : An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc. ?

S. eadem R.C. , ad relationem dicti Emi Ponentis , utraque parte in scriptis , et in voce informante audita , omnibus juribus deductis mature perpensis , rescribendum censuit : *Negative* . Et ita decrevit . *Die* 3. *Martii* 1731.

3850. TRIVICANA.
INSIGNIUM , AC CONSECRATIONIS , ET DISTRIBUTIONIS OLEI SANCTI.

Tam super delatione insignium Canonicalium , nempe Caputio cum Almutio , et brevi cauda ad instar stolae sinistrorsum pendente coloris violacei, hyemali tempore pelle varia ex alba , et nigra , aestivo tempore serico ejusdem coloris violacei cooperto , ac rochetto absque manicis , ab Episcopo Trivicano utrique Clero praetensarum Ecclesiarum Collegiatarum S. Joannis Baptistae Carifi , et S. Mariae de Fratta Castelli Dioecesis Trivicanae de

anno 1729. concessarum, quam super delatione aliorum insignium Canonicalium, nempe mozzettae cum rochetto integro, et Caputio, sub praetextu illorum reintegrationis a cl. m. Viglino Episcopo Trivicano usque ab anno 1704. Capitulo illius Cathedralis concessorum, nec non etiam super controversia Consecrationis, et distributionis Olei Sancti, quamvis ista favore dictae Cathedralis sub die 19. Februarii 1707. (3615.) jam resoluta fuerit, habito ad S. R. C. recursu, ac super eisdem per Emum, et Rmum D. Card. Pico Ponentem propositis infrascriptis Dubiis inter partes concordatis, illisque discussis, nempe.

1. An concessio Insignium, de quibus agitur, facta ab Episcopo Trivicano Presbyteris Ecclesiae S. Joannis Baptistae Carifi, et S. Mariae de Fracta Castelli praetensarum Collegiatarum substineatur in casu etc.?

2. An Capitulum Cathedralis Ecclesiae Trivicanae sit manutenendum in possessione, seu quasi possessione deferendi Insignia, de quibus agitur in casu etc.?

Nec non alio dubio: An standum sit, vel recedendum a decisis in S. C. die 19. Februarii 1707. tam quoad Ecclesiam, in qua fieri debeat Consecratio Olei Sancti in die Coenae Dni, quam quoad Ecclesiam, in qua fieri debeat illius distributio?

S. eadem R. C., in scriptis, et in voce Procuratoribus Capituli Cathedralis ex una, et Promotoris Fiscalis, ac supradictarum Ecclesiarum S. Mariae de Fracta Castelli, et S. Joannis Baptistae Carifi partibus ex altera, informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative, et amplius*.

Ad 2. *Negative quoad Insignia concessa ab Episcopis, et amplius*.

Et quoad alterum dubium: *In decisis, et amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 28. *Aprilis* 1731.

3851. FLORENTINA.

Super commutatione Caeremonialis, quod in omnibus ecclesiasticis functionibus in Parochiali Ecclesia Monialium Monasterii S. Ambrosii Civitatis Florentinae ab antiquo tempore usque ad annum 1727., absque ulla contradictione, semper servatum fuit inter Sacerdotes amovibiles eidem Ecclesiae inservientes, et postmodum occasione oppugnationis illius modernae reformationis a servitio dictae Ecclesiae expulsos ex una, et Moniales praefatae Ecclesiae S. Ambrosii, partibus ex altera, ortis controversiis, eisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Origus infrascripta Dubia inter partes concordata a S. R. C. declaranda proposuit.

1. An in Ecclesia S. Ambrosii sit observandum antiquum Caeremoniale, seu potius moderna illius reformatio in casu etc.?

2. An Sacerdotes expulsi a servitio dictae Ecclesiae sint reintegrandi ad idem servitium in casu etc.?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Non esse permittendum interventum Presbyteri Assistentis cum pluviali*.

Ad 2. *Negative, praeter Antonium Laurentium Spigolum, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 30. *Junii* 1731.

3852. RHEGINEN. PRAECEDENTIAE.

Inter Sacerdotem Marianum Spanò posteriorem, et Vincentium Manti Subdiaconum anteriorem in possessione Canonicatus Ecclesiae Cathedralis Rheginen., exortis super Jure praecedendi in Choro controversiis, iisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gotti in relatorem datus infrascripta dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Canonicus Subdiaconus prius receptus in Capitulo praecedere debeat Canonicum Sacerdotem postea receptum? Et quatenus negative.

2. An dictus Canonicus Subdiaconus, postquam fuerit ad Sacerdotium promotus, praecedere debeat dictum Canonicum Sacerdotem postea receptum?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, ac utraque parte scripto, et voce audita, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 30. *Julii* 1731.

3853. RHEGINEN.

Cum Rmus Archiepiscopus Rheginen., ut facilius a Capitularibus audiri possent conciones, quae, ob distantiam Chori, non bene percipiebantur, de anno 1728., et 1729. in sua Cathedrali Ecclesia novum solium ligneum construi mandaverit, ac in illo collocationem sedis pro Vicario Generali a dexteris immediate post solium Archiepiscopale, et postmodum immediate etiam ex eadem parte locum pro Decano, caeterisque de Capitulo destinaverit; adversus itaque hujusmodi appositionem sedis vicarialis, habito ex parte Antonii Canizzone Decani, ac primae Dignitatis praefatae Ecclesiae Cathedralis recursu, ac delata ad S. R. C. controversia, Emus, et Rmus D. Card. Alexander Albanus infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An, et in quo loco sit ponenda sedes Vicarii Generalis, occasione erectionis novi solii Archiepiscopalis in Ecclesia Cathedrali Rheginensi pro concionibus audiendis in casu etc?

Et eadem S. R. C. ad relationem praefati Emi D. Card. Albani, utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, ac etiam Rmi Archiepiscopi informatione mature perpensa, rescribendum censuit: *Servetur locus destinatus ab Archiepiscopo*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1731.

3854. BAREN.

Existente in Terra Aquaevivae Dioecesis Baren. Ecclesia Collegiata sub Titulo S. Eustachii Mart., cujus Clerus componitur ex Archipresbytero prima Dignitate, duobus Primiceriis, et triginta octo Canonicis, seu Presbyteris installatis, nec non ex indeterminato numero simplicium Sacerdo-

tum originariorum, inter quos, in explendis functionibus Ecclesiasticis, unicus ordo absque ulla contradictione semper servatus fuit; cumque Canonici modo praetendere coeperint occasione celebrationis Missarum solemnium, et primae classis, quae ad illius Archipresbyterum spectant, eo absente, vel impedito, ad exclusionem dictorum Primiceriorum, non obstante asserta eorum favore consuetudine, hoc munus ab ipsismet Canonicis, juxta propriam antianitatem explendum esse sub motivo, quod cum Primicerii Chori regimini directi sint, eorumque Officium circa cantum versetur, dictum Chorum numquam derelinquere possunt. Proinde, excitatis a praefatis Canonicis adversus Primicerios pluribus controversiis, illisque a Rmo SSmi Dni Nostri Auditore ad S. R. C. remissis, Emus, et Rmus D. Card. Porzia Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An directio Chori privative spectet ad Primicerios in casu etc? Et quatenus affirmative.

2. An eisdem, vel eorum altero absentibus, possint Primicerii subrogare eorum loco simplicem Presbyterum, vel potius eorum vices supplere debeant Canonici, eosque coadiuvare in canendis Antiphonis in casu etc?

3. An Primicerii debeant assistere Dno Archiepiscopo in eorum Collegiata solemniter celebranti in casu etc?

4. An assistere debeant in Officio Diaconi, et Subdiaconi Archipresbytero functiones solemniter peragenti in casu etc?

5. An abesse possint a Choro, audiendi causa Monialium, seu Saecularium confessiones, et dirigendi Confraternitates, vel ex quacumque alia causa in casu etc?

6. An ad ipsos, vel ad Canonicos spectet peragere functiones solemniores, Archipresbytero impedito, vel celebrare nolente, in casu etc?

7. An dictas functiones solemniores Primiceriis peragentibus, teneantur Canonici illis assistere in munere Diaconi, et Subdiaconi in casu etc?

Et S. eadem R. C. ad relationem praefati Emi Ponentis, partibus in scriptis, et in voce informantibus prius auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative, quatenus intersint Choro*.

Ad 2. *Negative ad primam partem; Affirmative quoad secundam*.

Ad 3. *Affirmative in casu, de quo agitur*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Affirmative pro diebus, quibus tenentur interesse Choro*.

Ad 6. *Spectare ad Primicerios*.

Ad 7. *Affirmative, et in omnibus amplius*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1731.

3855. RAGUSINA.

Super Juribus praeeminentialibus, quae variis temporibus inter Patres Abbates Ordinis S. Benedicti Congregationis Militensis, status Ragusini ex una, et Capitulum, ac Canonicos illius Ecclesiae Metropolitanae partibus ex altera, exorta, ac pluries decisa fuerunt, occasione recursus habiti a Capitulo, et Canonicis praefatae Metropolitanae, adversus resolutionem favore

dictorum Abbatum *sub die* 12. *Julii* 1727. (3822.) a S. R. C. editam, iterum ad eamdem delatis controversiis, pro quibus penitus evellendis Emus, et Rmus D. Card. Belluga infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An sit confirmandum Decretum die 12. Julii 1727. concedens Abbatibus Pontificalibus indutis uti coabsolventibus praecedentiam in Processionibus funerum, de quibus agitur?

2. An dictis Abbatibus, ut supra indutis, tamquam invitatis pro assistentia in solemnibus primis Vesperis, Processione, et Missa Festivitatis S. Blasii, veniat denuo assignandum stallum in Presbyterio, quo usos fuisse praetendunt in antiqua Cathedrali?

3. An per eosdem Abbates similiter Pontificalibus indutos, et genua flectentes in actu receptionis, et restitutionis Sacrarum Reliquiarum, quae per eosdem in dicta Processione deferuntur, sit permittendus usus ejusdem pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiepiscopus, quam Episcopi Suffraganei?

4. An dicti Abbates in dictis Processionibus secum ducere valeant duos Clericos, seu Monachos cotta indutos in utroque latere assistentes pro servitio, et usu mitrae, et baculi pastoralis in casu etc?

Et S. eadem R.C., ad relationem praedicti Emi, et Rmi D. Card. Belluga, tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, ac juribus hinc inde deductis mature perpensis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Archiepiscopus assignet Abbatibus locum decentem in Presbyterio, post Episcopos*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Affirmative ita tamen, ut, praeter dictos duos Clericos, aut Monachos, alios ducere non possint*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 24. *Novembris* 1731.

3856. RHEGINEN.

Cum in causa Rheginen. sedilium Chori verten. inter Dignitates, et Canonicos illius Cathedralis ex una, ejusdemque Presbyteros nuncupat. *Communis Latinae* partibus ex altera, super infrascripto Dubio: An licitum sit Presbyteris Ecclesiae Cathedralis Rheginen. sedere in choro in subselliis aequalibus illis Canonicorum dictae Cathedralis: S. R. C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Zondadari Ponentis *sub die* 16. *Septembris* 1730. Procuratore Dignitatum, et Canonicorum tantum in scriptis, et in voce informante audito, rescribendum censuerit: *negative*. Cumque super hujusmodi resolutione, tamquam unica tantum parte informante emanata, ad instantiam dictorum Presbyterorum *Communis Latinae*, etiam sub motivo antiquae observantiae, ipsorum favore a dicto Emo Ponente nova concessa fuerit audientia, in cujus sequelam altero Dubio inter partes concordato, idem Emus Ponens infrascriptum Dubium discutiendum proposuit; nempe.

An sit standum, vel recedendum a decisis?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informan-

tibus auditis, visisque juribus ex parte Presbyterorum *Communis Latinae* deductis, censuit rescribendum: *Praevio recessu a decisis sub die 16. Septembris 1730., servetur modus praescriptus ab Archiepiscopo*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 23. Novembris 1731.*

3857. CARTHAGENEN.

Cum Rmus Archiepiscopus Episcopus Carthagenen., mediante Epistola S.R.C. directa, exposuerit, quod in Civitate Lorcitana clavis Capsulae, in qua Feria 5. in Coena Dñi asservatur SSmum Sacramentum in sepulcro aliquibus annis ab Abbate, sive Canonicis Ecclesiae Collegiatae S. Patritii, insciis Episcopis, et contra dispositionem Decretorum S. R. C. tradita fuisset Gubernatori, vel ejus Locumtenti, sive illis absentibus, Senatui, qui adhuc dictam clavem, ut supra, tradendam esse praetendunt; cumque idem Rmus Episcopus tam ad penitus evellendos abusus, quam etiam ad pacem in universa sua Jurisdictione in posterum servandam, pro declaratione super detentione praefatae clavis S. R. C. enixe supplicaverit.

Eadem S. R. C. sub die 15. Martii 1732., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, respondit, ac declaravit: *Non licere, sed omnino servanda esse Decreta, et signanter in Granaten. 26. Januarii 1664., et Conversana 21. Aprilis 1668.* (2110., 2283.) *Die 15. Martii 1732.*

3858. PAPIEN.

Inter Patres Minores Conventuales S. Francisci Oppidi Valentiae del Pò Dioecesis Papien. ex una, et Praepositum, et Parochum Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris Oppidi praedicti partibus ex altera, tam occasione associationis cadaverum, quam solemnis Processionis, quae in festo SSmae Conceptionis, ratione voti, singulis annis fieri solet, controversiis exortis, illisque ex parte dictorum Patrum Minorum Conventualium ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Lercari infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An, occasione associationis cadaverum in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium Valentiae, liceat R.Praeposito, et Parocho insignis Collegiatae dictae Civitatis cum Clero, vel sine ingredientibus Ecclesiam praefatam cum stola, et Cruce elevata, praecedere Hebdomadarium Regularem indutum superpelliceo, et stola usque ad locum exequiarum?

2. An, occasione solemnis Processionis fieri solitae in Festo SSmae Conceptionis, Reverendi Patres Minores Conventuales dictae Civitatis habere debeant locum in Choro, et stallo Canonicorum dictae Collegiatae a cornu Epistolae, ibique honorantias recipere praestari solitas dicto Capitulo, et praecedenter ab ipso Capitulo?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative, juxta modum praescribendum ab Emo Ponente*. Modus est, *ut Patres Conventuales habere debeant solitum locum in Choro, et stallo Collegiatae a cornu Epistolae, ibique solitas honorantias recipere, sed post Canonicos, etiam non interveniente Praeposito*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 15. Martii 1732.*

3859. FIRMANA.

Cum in Terra Montis Georgii Firmanae Dioecesis adsit Ecclesia ad praesens nuncupata S. Francisci Fratrum Minorum Conventualium, ad quam tam Praepositi, quam Parochi aliarum Ecclesiarum, occasione nonnullarum Processionum, simplici tantum superpelliceo induti accedere consueverunt: cumque, hujusmodi consuetudine minime obstante, Praepositus Ecclesiae S.Joannis, et S.Benedicti die 25. Aprilis 1729. in Processione S. Marci, et 1730. in alia Processione pro Festivitate S. Benedicti stolam primum, et postmodum etiam pluviale in dicta Ecclesia S. Francisci vigore Ritualis Romani induere coeperit: propterea, ratione praefatae delationis stolae, et pluvialis inter Fratres Minores Conventuales ex una, et Praepositos tantum Ecclesiarum SSrum Joannis, et Benedicti, ac S. Michaelis Archangeli illius Terrae (Parochis a lite postmodum recedentibus) partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Porzia infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Praepositi Sanctorum Joannis, et Benedicti, et S. Michaelis Archangelis teneantur accedere ad Ecclesiam Minorum Conventualium Montis Georgii, occasione peragendi Processiones, quae fiunt in dicta Terra? Et quatenus Affirmative.

2. An praefati Praepositi possint deferre in dicta Ecclesia stolam, et pluviale?

3. An constet de attentatis, et quomodo sint purganda in casu etc?

Et S. eadem R. C., partibus in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative, juxta solitum.*

Ad 2. *Posse, juxta praescriptum Ritualis Romani, unum ex Praepositis, vel alium Sacerdotem saecularem, aut regularem actualiter incipientem, et peragentem functionem Processionis deferre stolam, et pluviale.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 17. *Maii* 1732.

3860. TARENTINA.

Cum ex parte D. Joannis Baptistae Cicinelli Patritii Neapolitani Principis Cursi S. R. C. humiliter supplicatum fuerit, quatenus ipsi in Ecclesiis Terrae Cryptalearum infra fines Dioecesis Tarentinae, quae in temporalibus eidem subest, Jura honorifica aliis suis praedecessoribus permissa concedere dignaretur.

S. eadem R.C., audita relatione Rmi Archiepiscopi: *Juxta modum ab ipso praescriptum supradicto Oratori usum Genuflexorii panno laneo cooperti, dummodo dictum pannum Genuflexorii fines non excedat cum duobus etiam parvis pulvinaribus simili panno confectis extra tamen Presbyterium, et in Collegiata non in medio Ecclesiae, sed in uno ex lateribus ei melius viso, et quod numquam liceat uti genuflexorio, praesente Archiepiscopo in Terra Cryptalearum, neque semper ornato in Ecclesia, sed ornatus ille feratur toties quoties dictus Princeps illam adire contingeret, concedi posse*, censuit. *Die* 17. *Maii* 1732.

3861. LAUDEN.

Super Jure ingrediendi Ecclesiam sub titulo S. Mariae *della Fontana* Patrum Ordinis Servorum B. M. V. Civitatis Lauden., sitam intra limites Ecclesiae Parochialis S. Jacobi ejusdem civitatis, ac in ea exercendi functiones funebres usque ab anno 1727., occasione delationis cadaveris cujusdam mulieris de familia Suardi, quae, vigore Testamenti sepulturam elegit in Ecclesia praefatorum Patrum, inter eosdem ex una, et Parochum S. Jacobi Majoris dictae Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque in illa Curia discussis, et postmodum ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Pipia infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An Parochus S. Jacobi Majoris Civitatis Laudae, cui jus competit associandi cadavera, quae ex qualibet Parochia deferuntur tumulanda in Ecclesia B. M. *della Fontana* sita intra limites dictae Parochiae, ingredi valeat dictam Ecclesiam, et in ea peragere functiones funebres in casu etc?

Et S. eadem R. C., tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, *sub die* 21. *Januarii* 1730. rescribendum censuit: *Affirmative quoad utramque partem*.

Adversus vero dictam resolutionem expetita, et obtenta a Patribus Servorum B. M. V. praefatae Civitatis nova audientia, hujusmodique controversia ab Emo, et Rmo D. Card. Gotti, loco cl. mem. Cardinalis Pipiae jam defuncti in Ponentem subrogato, super infrascripto Dubio iterum proposita.

An sit standum, vel recedendum a decisis?

S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus ex parte ipsorum Religiosorum noviter deductis, rescribendum censuit: *Praevio recessu a Decisis*, *Negative in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 13. *Septembris* 1732.

3862. PLACENTINA.

Super Jure peragendi ecclesiasticas functiones in publico Oratorio Sancto Sebastiano dicato, sito intra limites Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis Oppidi Clastidii in Territorio Papiensi citra Padum Dioecesis Placentinae., in quo erecta est Confraternitas sub titulo SSmae Trinitatis Archiconfraternitati Urbis aggregata, inter illius confratres ex una, et Carolum Josephum de Canibus Archipresbyterum supradictae Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D.Card. Zondadari, ad penitus tollenda dissidia, infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An liceat Primicerio, seu Cappellano Oppidi Clastidii benedicere Palmas, et Candelas independenter a Parocho in casu etc?

2. An liceat dictae Confraternitati feria V. in Coena Domini per suum Primicerium, seu Cappellanum, independenter a Parocho, celebrari facere Missam, et habere sepulcrum cum Venerabili, nec non in Vespere ejusdem Feriae V., post lotionem pedum, habere in suo Oratorio Sermonem per

Sacerdotem, aut Clericum a confratribus eligendum independenter a Parocho?

3. An die sequenti, post festum SSmae Trinitatis, possit dicta Confraternitas recitare Officium defunctorum cum celebratione Missae solemniter cantandae per ejus Primicerium, sive Cappellanum independenter a Parocho?

4. An, peractis in Oratorio Confraternitatis solitis exequiis per Parrochum super cadavere confratris, possit dicta Confraternitas recitare Officium, et celebrare facere Missam cantatam defunctorum per ejus Primicerium, sive Cappellanum indipendenter a Parocho in casu etc?

5. An dictae Confraternitati, absque dependentia a Parocho, liceat recitare cum cantu Officium, et celebrari facere Missam cantatam defunctorum in suffragium Animae unius, aut plurium confratrum mortuorum in casu etc?

6. An liceat dictae Confraternitati in die commemorationis Fidelium defunctorum omnium, post recitationem Officii celebrari facere Missam cantatam de requiem per suum Primicerium, sive Cappellanum independenter a Parocho in casu etc?

7. An spectet ad Parochum dicti Oppidi Clastidii canere Missas, et Vesperas solemnes in dicto Oratorio tam occasione Festivitatum, quam occasione funerum, et Anniversariorum, ac in adimplementum Legatorum in casu etc?

8. An, et quae eleemosyna debeatur in casu etc?

9. An Primicerius, seu Cappellanus dictae Confraternitatis possit audire Confessiones Sacramentales confratrum, et consororum in Oratorio ejusdem Confraternitatis in casu etc?

10. An liceat eidem Cappellano in Dominica infra Octavam Corporis Christi processionaliter deferre SSmum Eucharistiae Sacramentum, et in Dominica IV. cujuslibet mensis, nec non in Festivitatibus SSmae Trinitatis, et S. Sebastiani illud exponere, et cum eo benedicere populum independenter a Parocho in casu etc?

11. An Cappellanus dictae Confraternitatis indutus superpelliceo possit associare confratres tam in Processionibus, quae fieri solent qualibet Feria VI. pro visitatione SSmi Sacramenti in Parochiali Ecclesia expositi, quam in Processionibus fieri solitis quolibet Sabbato pro lucrandis Indulgentiis, nec non in Processione diei secundae Paschatis Resurrectionis in casu etc?

12. An Confraternitas teneatur quolibet anno reddere rationem Parocho, vel potius Episcopo in casu etc?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative quoad primam, et secundam partem, Affirmative quoad tertiam, de licentia Ordinarii*.

Ad 3. 4. 5. 6. *et* 7. *Quoad recitationem Officii cum cantu, Affirmative; quo vero ad Missas cantandas, serventur Constitutiones synodales*.

Ad 8. *Servetur solitum*.

Ad 9. *Serventur Constitutiones synodales*.

Ad 10. *Negative*.

Ad 11. *Affirmative*.

Ad 12. *Negative quoad primam partem, et serventur Constitutiones synodales, et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 13. *Septembris* 1732.

3863. MELEVITANA.

Inter Parochum, et Clerum Regularem Ecclesiae S. Mariae Portus Salvi ex una, et Parochum, ac Clerum saecularem Ecclesiae S. Pauli Civitatis Vallettae, Dioecesis Melevitanae partibus ex altera, super Juribus praeeminentialibus novis exortis controversiis, illisque ad S. R. C., delatis, Emus, et Rmus D. Card. Zondadarius infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An publicae Processiones indicendae de mandato Episcopi, sive alterius Superioris pro publicis necessitatibus, et aliis de causis, sint initiandae, et respective terminandae in Ecclesia Parochiali Matrice Portus Salvi, sive in qua in casu etc.?

2. An praefata Ecclesia Portus Salvi sit primo loco nominanda, et describenda in publicis edictis, et ordinationibus faciendis ab eodem Ordinario, in quibus fieri contingat mentio de Ecclesiis Civitatis Vallettae?

3. An liceat Parocho Ecclesiae S. Pauli in Sabbato Sancto pulsare Campanas, antequam pulsatio fiat a Parocho Parochialis Ecclesiae Portus Salvi Matricis?

4. An Parocho S. Pauli in tribus Processionibus quolibet anno ab ipso fieri solitis, quae transire solent per limites dictae Ecclesiae Parochialis Matricis Portus Salvi, licitum sit deferre Crucem nudam, sive potius cum velo, aut pallio appenso in signum ejus subjectionis dictae Ecclesiae Matrici Portus Salvi?

5. An Clerus regularis Ecclesiae Parochialis Matricis Portus Salvi praecedere debeat Clerum saecularem Ecclesiae S. Pauli inferioris?

6. An Confraternitates laicorum existentes in Civitate Vallettae cum sacco teneantur accedere ad Processionem fieri solitam ab Ecclesiae Matrice Portus Salvi singulis annis post Vesperas die Festivitatis Corporis Christi, illamque associare?

7. An in associatione cadaverum ad Ecclesiam Portus Salvi, sive ad aliam existentem intra limites ejusdem, interveniente Clero saeculari una cum Parocho saeculari, et altero regulari, omnes incedere debeant sub Cruce Cleri, et Parochi saecularis, vel sub qua; ita ut sit standum, vel recedendum a decisis?

8. An constet de Attentatis? Et quatenus affirmative.

9. Quomodo sint purganda?

Et S. eadem R. C., tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, visisque Juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative quoad Processiones generales, et quoad reliquas, arbitrio Episcopi*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Sequuta pulsatione Campanarum Ecclesiae S. Joannis, licere unicuique*,

Ad 4. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Negative*.

AD 7. *In decisis*.

Ad 8. et 9. *Ad Emum Ponentem*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1733.

3864. MESSANEN.

Concessionis facultatum utendi Pontificalibus, occasione functionis alicujus Monachationis: pro Petro Santoval ex Principibus Castri Regalis Abbatis Mitrati Ordinis S. Basilii in Dioecesi Messanen: *Negative*. *Die* 21. *Martii* 1733.

3865. FANEN.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Fanen. ex una, et Magistratum ejusdem Civitatis partibus ex altera, tam super modo praestandi obsequium a Magistratu Episcopo ad suam Cathedralem accedenti, quam super associatione Processionum, quae fieri solent cum Venerabili tum generalium, tum particularium, aliarumque functionum ecclesiasticarum, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Lercari, loco Emi, et Rmi D. Cardinalis Porzia, infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An ingredienti Episcopo suam Cathedralem Ecclesiam teneatur Magistratus obviam ire usque ad portam lateralem, per quam descendit ipsemet Episcopus, et sic quando recedit, an illum debeat comitari?

2. An Magistratus teneatur in solemnioribus anni Festivitatibus adire Ecclesiam Cathedralem?

3. An Episcopo pontificaliter agenti Magistratus debeat aquam manibus praebere, et an pariter caudam, seu vestis extremitatem sublevare, juxta functionum diversitatem?

4. An Magistratus debeat associare Processiones, quae fiunt cum Venerabili tum generales, tum particulares, et an id praestare debeat, sive interveniat, sive non D. Gubernator; et quid de aliis Processionibus, videlicet Palmarum, S. Marci, et Rogationum?

5. An in Festis SSrum Protectorum, quorum Corpora asservantur in Ecclesia Cathedrali, debeat Magistratus accedere, et an teneatur offerre?

6. Quomodo, et quanam poena cogendus sit Magistratus ad praedicta Officia obeunda?

S. eadem R. C., partibus in scriptis, et in voce informantibus auditis, visisque Juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Quoad ablutionem manuum servetur Decretum anni* 1645. , (1389.) *quoad sublevationem caudae* , *Negative* .

Ad 4. *Processionibus Corporis Dñi* , *et aliis indictis pro causa publica, teneri* . *Quo vero ad reliquas teneri,interveniente Episcopo* .

Ad 5. *In Decretis Congregationis particularis* .

Ad 6. *Cogantur juris remediis* , *et amplius in omnibus* . Et ita decrevit , ac servari mandavit . *Die* 9. *Maii* 1733.

3866. JANUEN.

In causa Januen. praeeminentiarum , seu obsequiorum verten. inter Rñum Archiepiscopum Januen. ex una , et Cappellanos Presbyteros, de Massa nuncupatos,illius Ecclesiae Metropolitanae partibus ex altera,de , et super obsequiis per dictos Presbyteros de Massa praestandis Rño D. Archiepiscopo Januen. pontificaliter celebranti , vel Pontificali celebrationi Divinorum assistenti , propositis , et resolutis sub die 3. Martii 1731. (3847.) referente Emo , et Rño D. Card. Porzia quinque Dubiis , inter quae ad 3. in ordine : An praefati Cappellani de Massa in Aula Archiepiscopali tam in accessu , quam in regressu teneantur Rño Archiepiscopo genuflectere in casu etc. ? S. R. C. partibus in scriptis , et in voce informantibus auditis , ad dictum tertium Dubium rescripsit. *Affirmative* .

Reproposita deinde causa ab eodem Emo Ponente ad instantiam dictorum Cappellanorum , seu Presbyterorum de Massa , adversus praefatam resolutionem , quoad dictum tertium dumtaxat Dubium petentium novam audientiam ; eadem S. C. *sub die* 17. *Maii* 1732. rescripsit : *Audiri* , *non retardata executione Decreti* : Ac successive iterum proposita causa per Emum D. Card. Lercari,loco supradicti Emi Ponentis super duobus Dubiis. Primo nimirum ad instantiam dicti Rmi Archiepiscopi : An sit standum , vel recedendum a decisis sub die 3. Martii 1731. ad 3. Dubium?,et secundo,ad instantiam dictorum Presbyterorum de Massa praetendentium probare consuetudinem non genuflectendi : An sit danda Remissoria in casu etc. ?

S. eadem R. C. sub die 9. currentis Maii rescribendum censuit :

Ad 1. *In decisis*.

Ad 2. *Non esse dandam Remissoriam* , *et amplius* .

Et ita decrevit , ac servari mandavit . *Die* 9. *Maii* 1733.

3867. NULLIUS TERRAE MELDULAE PROVINCIAE RAVENNATEN.

Consuetudo viget in Terra Meldulae , quod illius Clerus , quoties in aliqua Ecclesia ad sacras peragendas functiones convenire contingit , post Archipresbyterum S. Nicolai , caeterosque Animarum Rectores , reliqui Presbyteri , et Clerici praecedentiam obtineant, juxta antianitatem promotionis , ac servata Ordinum distinctione ; cum vero nonnulli ex Cappellanis a Caesare Armanno eorum Institutore Armanni nuncupatis , sibi debitam asserant praecedentiam supra alios Presbyteros , et Clericos , quamvis prius ordinatos , nec non supra alios Cappellanos Armannos postremo electos , licet seniores in Ordine . Propterea,exortis, inter Clerum supradictae Terrae ex una ,

et nonnullos Cappellanos Adunantiae Armannae partibus ex altera, controversiis super jure praecedendi in Processionibus, caeterisque omnibus actibus, et functionibus ecclesiasticis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gotti infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An, et quibus debeatur praecedentia in casu etc.?

S. eadem R. C., visis Juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit. *Post Archipresbyterum S. Nicolai, et alios Parochos, deberi praecedentiam, juxta antianitatem promotionis, servata Ordinum distinctione, et amplius*. Et ita etc. *Die* 9. *Maii* 1733.

3868. ORDINIS CANONIC. REGULAR. S. AUGUSTINI BAVARIAE.

Ex parte Canonicorum Regularium S. Augustini Bavariae pro declaratione infrascripti Dubii S.R.C. humillime supplicatum fuit.

An Canonici Regulares S. Augustini Ordinariis locorum subiecti, habenses proprium sui Ordinis Calendarium, teneantur praeterea ad Festa Dioecesana recitanda? et si negative: an de iis tamquam ad libitum possint recitale etiam in Dominicis, et dum occurrunt cum alio Festo Ordinis, aut Calendarii Romani?

Et S. eadem R.C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, et signanter *in una Ordinis Minorum de observantia* 20. *Martii* 1783., (2870.) *et Portugallen*. 5. *Octobris* 1686., (2976.) respondit: *Non teneri*. Et ita declaravit. *Die* 19. *Maii* 1733.

3869. NULLIUS FERENTILLI.

Ob demandatam, vigore Decreti editi occasione visitationis peractae in Abbatia Ferentilli in spiritualibus, Capitulo Sacrosanctae Basilicae Lateranensis subiecta ab illius Visitatore remotionem sedis ligneae cum suis brachiis, ac genuflexorii cum stratu laneo, et duobus pulvinaribus superimpositis tam in Ecclesia Collegiata Terrae Mattarellae, quam in illa Precepti, pro Commissario, seu Auditore D. Ducis apposit., nec non etiam remotionem panni, seu strati, ac pulvinarium a scamno, sive, ut vulgo dicitur, arcibanco illius Magistratus, pluribus exortis controversiis, illisque ex parte Commissarii, et Priorum Nullius Ferentilli ad S. R. C. delatis, ac super eisdem Capitulo Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, ac Dño Duce Ferentilli ad causam admissis, Emus, et Rmus D. Card. Zondadarius Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An, et quomodo Dux sit excipiendus in accessu ad Ecclesiam S. Mariae?

2. An in eadem Ecclesia B. Mariae, aliisque Ferentilli, retineri possit extra Presbyterium sedes amovibilis cum genuflexorio cooperto aliquo panno, et pulvinaribus pro Commissario, seu Auditore Baronis, nec non scamnum pariter coopertum aliquo panno cum pulvinaribus pro Magistratu, seu Prioribus repraesentantibus Communitatem?

3. An Vicarius deputatus pro Clero a Capitulo Lateranensi, possit intra Presbyterium retinere sedem amovibilem, atque genuflexorium cum stratu, et pulvinaribus?

4. An eidem Vicario a Concionatore fieri debeat secunda reverentia?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, sub die 21. Martii proximi praeteriti decernendum censuit:

Ad 1. *Esse excipiendum pro prima vice tantum a tertia parte Capituli, et ab Archipresbytero, qui aquam benedictam illi porrigat in janua Ecclesiae.*

Ad 2. *Servetur Decretum Visitatoris.*

Ad 3. *Affirmative, absque stratu, et pulvinaribus.*

Ad 4. *Negative.*

Verum ex parte ipsius Ducis, ne quoad resolutionem primi, ac tertii ex praefatis Dubiis nova oriri possit controversia, pro illorum majori dilucidatione in S. R. C. reproposita causa,

S. eadem C., ad relationem Emi Ponentis, Procuratore supradicti Capituli denuo audito, rescribendum duxit: *Ducem Ferentilli excipiendum esse pro prima vice tantum ab Archipresbytero cum uno ex Canonicis; et sedem debere esse cameralem amovibilem*. Et ita decrevit, et in posterum servari mandavit. *Die 4. Julii* 1733.

3870. BARCHINONEN.

Humillime S. R. C. supplicante Clero Cathedralis Barchinonen. pro declaratione infrascripti Dubii: An, dum Festum S. Georgii Patroni Principatus Catalauniae occurrit in feria VI. majoris Hebdomadae, sive in Sabbato Sancto, ita ut in aliam diem non impeditam transferatur, eadem die, qua peragitur Officium de S. Georgio, adsit etiam obligatio audiendi Missam?

S. eadem R. C. respondit: *Pro translatione Officii, et Missae, sed absque obligatione praecepti audiendi Sacrum, et vacandi ab operibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 10. Decembris* 1733.

3871. CORDUBEN.

Cum in Ecclesia Cathedrali Corduben. ab antiquissimo tempore, prout assertum fuit, quamplurima Anniversaria solemnia, seu Missae cantatae de Requiem in die obitus Testatoris fundata reperiantur, alia vero, quorum numerus est maximus, relicta fuerint arbitrio ipsius Capituli cum clausula, ut celebrari debeant in aliqua ex diebus non impeditis, et in quibus celebrari valeant Missae de Requiem, juxta Rubricas Missalis; ac demum alia ex Statuto Capituli dictae Cathedralis intuitu gratitudinis erga benefactores, et pro eorum suffragio celebrari consueverint: proinde ex parte praefati Capituli dum omnibus supra expressis Anniversariis, ob exuberantem officiorum duplicium concessionem, satisfieri minime valeat; S. R. C. pro declaratione, quidnam in posterum peragendum esset? humillime supplicatum fuit.

Et S. eadem R. C. respondit: *Juxta votum Rmi Gambarucci Archiepiscopi Amaseni, et Apostolicarum caeremoniarum Praefecti, nempe quoad Anniversaria in die vere obitus Testatorum praescripta, juxta dis-*

positionem aliorum Decretorum sub diebus 22. Novembris 1664. 1. Decembris 1666. (2157. 2234.) solemniter celebrari posse in Festis duplicibus,etiam majoribus; quo vero ad alias Missas solemnes de Requiem a benefactoribus arbitrio Capituli relictas, vel grati animi causa a Capitulo institutas, Negative: Sed, attentis justis ipsius Capituli precibus: pro gratia, si SSmo Domino Nostro placuerit, expedienda per Literas Apostolicas cum clausulis tamen, et conditionibus, dummodo secundo dictae Missae de Requiem non celebrentur in duplicibus primae, et secundae classis, nec non diebus festivis, etiam quoad forum, ac nisi post currentis diei Officium in Choro persolutum. Et ita declaravit. *Die* 10. *Decembris* 1733.

3872. AVENIONEN.

Delatis ad S. R. C. a Capitulo, et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Avenionen. controversiis super nonnullis juribus, et praeeminentiis tam ab illius Civitatis Magistratu, et Consulibus, quam a Dignitatibus trium Collegiatarum, nempe S. Agricolae, S. Petri, S. Desiderii, nec non utroque Clero saeculari, ac regulari jam excitatis, super quibus Emus, et Rmus D. Cardinalis S. Agnetis infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An exequiae Summorum Pontificum, Regum, Ducum, magnorum Principum, et similia, tamquam functiones pontificales, fieri debeant in Ecclesia Metropolitana, vel ejus loco in Ecclesia Patrum Franciscanorum?

2. An in casu, quod una ex dictis Ecclesiis sit quocumque modo impedita, electio alterius Ecclesiae spectet ad Archiepiscopum, seu Capitulum, vel potius ad Consules Civitatis?

3. An in hujusmodi exequiis absolutiones circa castrum doloris post Dignitates Metropolitanae, fieri debeant a Dignitatibus trium Collegiatarum, seu potius a Canonicis ejusdem Metropolitanae? Et quatenus negative ad secundam partem.

4. An dictis Dignitatibus Collegiatarum, agentibus similes functiones, Subdiaconus, et Diaconus assistere debeant?

5. An dictae Dignitates Collegiatarum peragentes dictas functiones, et similes, possint uti rochetto?

6. An tribus Collegiatis Majoribus, habentibus curam Animarum, competat jus exigendi a Metropolitana quartam funeralem suorum Parochianorum, qui in dicta Metropolitana eligunt sepulturam in casu etc.?

7. An in Processionibus generalibus, uterque Clerus teneatur convenire in Ecclesia Metropolitana, sive ejus platea tam in principio, quam in reditu Processionis?

8. An, a quibus, et in quo loco sint convocanda comitia generalia Cleri? Et quatenus convocatio, et destinatio loci spectet ad Praepositum, seu Capitulum?

9. An praecedentia, tam in sedendo, quam in votando, competat Cano-

nico deputato Capituli Metropolitanae super alios, Deputatos Collegiatarum, etiamsi isti sint Dignitates?

10. An in aliis Congressibus, qui fiunt coram Archiepiscopo, occasione Synodi, vel in Domo Civitatis, similis praecedentia competat Canonico deputato a Capitulo Metropolitanae, vel potius Deputatis Collegiatarum, quatenus isti sint Dignitates?

Et S. eadem R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, sub die 15 Februarii 1727. rescribendum censuit.

Ad 1. *Quoad primam partem, Affirmative, quoad secundam, relinquendum arbitrio Archiepiscopi*.

Ad 2. *Provisum in primo*.

Ad 3. *Negative quoad primam partem*; *Affirmative quoad secundam*.

Ad 4. *Jam provisum*.

Ad 5. *Provisum*.

Ad 6. *Ad S. C. Concilii*.

Ad 7. *Affirmative, et in Ecclesia Metropolitana*.

Ad 8. *Comitia generalia esse convocanda a Praeposito Cathedralis in Aula Capitulari*.

Ad 9. *Affirmative*.

Ad 10. *Affirmative quoad primam partem*; *Negative quoad secundam*.

Verum adversus resolutiones 1. et 2. ex supra propositis Dubiis expetita, et obtenta sub die 27. Julii supradicti anni 1727. à Magistratu, et Consulibus praefatis nova audientia, ac modo reproposita controversia, praevia discussione infrascriptorum Dubiorum, nempe.

1. An sit standum, vel recedendum a decisis in primo Dubio diei 15. Februarii 1727. in casu etc.?

2. An sit standum, vel recedendum a decisis in secundo Dubio ejusdem diei, et anni in casu etc.?

S. eadem C., ad relationem ipsius Emi Cardinalis S. Agnetis, utraque parte in scriptis, et in voce iterum audita, rescribendum censuit: *In decisis*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 17. *Julii* 1734.

3873. MONOPOLITANA.

Super jure praetenso a Capitulo Ecclesiae Cathedralis Monopolitanae eligendi unum tantum Magistrum caeremoniarum per Rmum Episcopum postea approbandum, pro assistentia praestanda in omnibus functionibus tam ab ipso Episcopo, quam a Capitularibus celebrandis, expedito coram A.C. monitorio, hujusmodique controversia ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis ab Emo, et Rmo D. Card. Pro-Auditore SSmi, praevia avocatione causae a dicto Tribunali, ad S. R. C. remissa, atque delata, Emus, et Rmus D. Card. Belluga infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An liceat Capitulo eligere Magistrum caeremoniarum ab Episcopo confirmandum in casu etc.? Et quatenus affirmative.

2. An valeat Episcopus justis de causis in Caeremoniali Episcoporum praescriptis, confirmationem electionis denegare, et an teneatur causas exprimere?

3. Et an idem Magister caeremoniarum censeri debeat electus privative, etiam quoad omnes functiones pontificales, et assistentias praestari solitas Episcopo tam intra, quam extra Ecclesiam Cathedralem? Et quatenus negative.

4. An Episcopo liceat alium Magistrum caeremoniarum eligere pro omnibus functionibus ab ipso peragendis, et aliis, ipso praesente, explendis tam intra, quam extra dictam Ecclesiam? Et quatenus affirmative.

5. An eidem Magistro caeremoniarum ab Episcopo electo omnes Capitulares teneantur obedire quoad ea, quae divinum cultum concernunt, sub poena, arbitrio Episcopi, in casu etc.?

Et S. eadem R.C., partibus hinc inde in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Affirmative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 17. *Julii* 1734.

3874. NULLIUS PUTIGNANI.

Declarationis Dubii circa delationem pileoli tempore, quo Magister caeremoniarum inservit, et assistit Missis solemnibus, aliisque Divinis Officiis, pro Priore, et Primiceriis Ecclesiae Collegiatae Nullius Terrae Putignani: *Non licere*. *Die* 17. *Julii* 1734.

3875. CALLIEN.

Ad dirimendas lites inter Episcopum Callien, et Canonicos illius Cathedralis, ex parte ipsius Episcopi pro declaratione infrascripti Dubii S.R.C. enixe supplicatum fuit.

An Canonici assistentes Episcopo sub throno possint tegere caput, quando caeteri Canonici, et Dignitates stant capitibus detectis ante thronum Episcopi circulum facientes, dicendi causa *Gloria in excelsis Deo*, *Credo*, et similia? Et quatenus negative. Quid sentiendum de contraria consuetudine ab iisdem Canonicis praetensa, sed tamen ab Episcopo non admissa, nisi facta ejus probatione, quam tamen consuetudinem dicti Canonici justificare praetendunt tempore quinque Praedecessorum.

Et S. eadem R. C. respondit: *Servetur Caeremoniale Episcoporum*. Et ita decrevit. *Die* 28. *Augusti* 1734.

3876. LAUDEN.

Exhibita sub die 30. Februarii 1733. ad instantiam Vicarii generalis Lauden. inhibitione Bernardino Campi Praeposito Ecclesiae Collegiatae Op-

pidi Cottonei Dioecesis Landen., qua eidem injunctum fuit, ne, occasione exercendi Pontificalia, auderet excedere ultra facultates in proprio privilegio expressas, habitoque ex parte praefati Praepositi adversus hujusmodi inhibitionem ad S. R. C. recursu, Emus, et Rmus D. Cardinalis Lercari, ad tollenda dissidia, infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Praepositus Ecclesiae Cottonei possit ad libitum exercere Pontificalia more Episcoporum (abstinendo a benedictione privata, et septimo candelabro) et uti simplici baldachino, et sede uno gradu humiliore Episcopali in Ecclesia propria?

2. An in iisdem Pontificalibus uti possit in aliis Ecclesiis subjectis, et in Processionibus non egredientibus limites Parochiae?

3. An sit honorandus titulo Rmi in scripturis publicis, et privatis, et in synodis, iisque interesse valeat cum Pontificalibus more Abbatum in casu etc.?

Et S. eadem R. C., in scriptis, et in voce partibus informantibus auditis, visisque juribus tam ex parte dicti Praepositi, quam Promotoris Fiscalis deductis mature perpensis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative, et servetur Decretum Alexandri VII.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 28. *Augusti* 1734.

3877. CALLIEN.

Cum S. R. C. in controversia inter Episcopum Calliensem, et Canonicos illius Cathedralis exorta super infrascripto Dubio: An Canonici assistentes Episcopo sub throno possint tegere caput, quando caeteri Canonici, et Dignitates stant, capitibus detectis, ante thronum Episcopi circulum facientes, dicendi causa *Gloria in excelsis Deo etc. Credo etc.* et similia etc. sub die 28. Augusti proximi praeteriti rescribendum censuit: *Servetur caeremoniale Episcoporum*: Cumque hujusmodi resolutioni Canonici praedicti minime obtemperaverint, idem Episcopus ad ipsam S. C. iterum habuit recursum.

Et S.R.C., audito prius uno ex Magistris caeremoniarum SSmi D. N. Papae, respondit: *Obediant sub poena suspensionis*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Decembris* 1734.

3878. AQUILANA.

Habito ad S. R. C recursu ex parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Aquilanae super nonnullis Juribus a Capitulo illius Cathedralis praetensis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Belluga infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An liceat Capitulo eligere pro functionibus Canonicalibus, et ejus servitio Magistrum caeremoniarum distinctum ab altero Episcopi? Et quatenus affirmative,

2. An idem Magister caeremoniarum valeat suum munus exercere absque consensu, et approbatione Episcopi?

3. An idem ex permissione Capituli uti valeat in dictis functionibus veste violacea tam praesente, quam absente Episcopo?

4. An Archidiaconus, et Canonici in eorum Missis celebrandis tam intra, quam extra Cathedralem, ultra unum inservientem, qui Missae respondeat, uti valeant dicto Magistro caeremoniarum sive sine, sive cum veste violacea, vel alio ministro Sacerdote tam pro delatione Calicis ad Altare, et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missale, indicando Orationes, aperiendo, et cooperiendo Calicem, in illum infundendo vinum, et aquam, porrigendo Patenam, cum Hostia, itemque Calicem, eumdemque postea cum velo instruendo ad instar Episcoporum, sive potius debeant celebrare, ut quilibet alius simplex Sacerdos; omnes relatos ritus a semetipsis explendo absque ope Ministri?

5. An Archidiaconus, et Canonici teneatur Capitulariter in habitu Canonicali recipere Episcopum a suo cubiculo, et associare ad Ecclesiam Cathedralem, similique modo ad eumdem reducere, quando iste vult Pontificaliter celebrare, tam in solemnioribus a Pontificali Romano praescriptis, quam in aliis solemnitatibus ex consuetudine, vel devotione in Civitate introductis, vel occasione universalis Jubilaei, vel alia rationabili causa Episcopo benevisa?

6. Et an idem veniat servandum, quando Episcopus ad eamdem Ecclesiam accedit cum cappa, vel ut assistat Missae cantatae, vel Vesperis, aut Processioni, vel ut Concionem audiat, vel alia de causa in casu etc.?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Non posse exercere absque approbatione, et quoad consensum satis provisum in primo*.

Ad 3. *Affirmative tantum in functionibus Episcopalibus ex dispositione Caeremonialis, non vero ex dispositione Capituli*.

Ad 4. *Negative in omnibus quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Affirmative, juxta Caeremoniale*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 22. Januarii* 1735.

3879. THEATINA.

Super celebratione Missarum solemnium, occasione Processionum generalium tribus diebus Rogationum in Ecclesiis Regularium Ordinum S. Augustini, Minorum Conventualium, et S. Dominici Oppidi Vasti, Dioecesis Theatinae inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Majoris ex una, et ipsos Regulares partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Lercari infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An Missae cantari solitae in tribus diebus Rogationum, nempe Feria II. in Ecclesia PP. S. Augustini, Feria III. in Ecclesia PP. Min. Conventualium,

Feria IV. in Ecclesia Patrum Dominicanorum Civitatis Vasti cantari debent a Canonicis S. Mariae Majoris, seu potius a Regularibus respective dictarum Ecclesiarum?

Et S. eadem R. C., partibus hinc inde informantibus auditis, die 19. Januarii 1732., rescribendum duxit: *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*. Verum ad instantiam dictorum Regularium, vigore novae audientiae ab ipsis obtentae, reproposita hujusmodi controversia super Dubio: *An sit standum, vel recedendum a Decisis.?*: S. eadem C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, sub die 13. Septembris dicti anni, ex juribus a dictis Regularibus noviter deductis, rescripsit: *Praevio recessu a Decisis, Missas cantandas esse a Regularibus*: Adversus istam resolutionem petita, et obtenta etiam a Capitulo praefatae Collegiatae nova audientia, idem Emus Ponens sequens dubium declarandum proposuit: *An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis?*

Et S. eadem R.C., juribus hinc inde deductis mature examinatis, et utraque parte in scriptis, et in voce audita, rescribendum censuit: *Standum esse in secundo loco decisis, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 22. Januarii* 1735.

5880. NERITONEN.

Delatis ad S. R. C. controversiis super praeeminentiis, aliisque juribus praetensis tam a Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis Neritonen., quam ab ejusdem Capitulo, et Canonicis, super quibus Emus, et Rmus D. Card. Gotti infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An, solemniter celebrante una ex Dignitatibus, teneantur alii Canonici assistere in munere Diaconi, et Subdiaconi in casu etc.?

2. An, celebrante solemniter uno ex Canonicis, teneantur Dignitates ei assistere in munere Diaconi, et Subdiaconi? Et quatenus negative.

3. An, et a quibus sit praestandum munus Diaconi, et Subdiaconi in casu?

4. An Canonico turnario stolam gestanti debeatur praecedentia supra Dignitates in associatione cadaverum in casu etc.?

5. An Dignitates teneantur adimplere munus Turnarii, occasione funerum in casu etc.?

6. An, et quomodo sint dividenda emolumenta funerum inter Canonicos et Dignitates in casu etc.?

7. An, et ad quem spectet onus canendi Lectiones in Choro, absente, vel impedito Episcopo, in casu etc.?

8. An, et ad quem spectet jus deferendi Venerabile in die Octavae SSmi Corporis Christi, absente, vel impedito Episcopo, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. et 2. *Negative in casu, de quo agitur*.

Ad 3. *Servetur solitum*.

Ad 4. et 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Servetur solitum*.

Ad 7. *Spectare ad Mansionarios, exceptis solemnioribus*.

Ad 8. *Spectare ad Turnarium, et amplius in omnibus*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 12. *Martii* 1735.

3881. SURRENTINA.

Delatis ad S. R. C. a Capitulo, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae S. Michaelis Archangeli, loci, seu Plani Surrenti, controversiis super nonnullis juribus; et praeeminentiis a Capitulo Ecclesiae Metropolitanae jam excitatis, Emus, et Rmus D. Card Gotti infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An Collegiatae, et Parochiali Ecclesiae S. Michaelis Archangeli de Plano Surrenti competat titulus insignis in casu etc.?

2. An Canonicis ejusdem Collegiatae liceat uti cappis cum caputio subsutis serico rubri coloris, in casu etc.?

3. An dicti Canonici possint in Processionibus, aliisque solemnitatibus intervenire solutis cappis, vel potius illis ligatis, et recollectis, in casu etc.?

4. An Archiepiscopo Pontificalia celebranti in dicta Collegiata, vel filialibus, aliisque sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici ejusdem Collegiatae, seu potius eadem assistentia spectet ad Canonicos Metropolitanae, sive singulariter, sive capitulariter interveniant, in casu etc.?

5. An Canonici dictae Collegiatae assistentes Archiepiscopo in throno Pontificalia exercenti debeant esse induti vestibus choralibus, seu potius paramenti sacris, eidemque circulum componere in casu etc.?

6. An in dicta Collegiata possit retineri thronus inversus, et illum in rectum poni, Archiepiscopo interveniente, et Pontificalia exercente, in casu etc.?

7. An, et qui locus debeatur Canonicis Collegiatae ad Cathedralem accedentibus, occasione Synodi, aliarumque functionum in casu etc.?

8. An dictis Canonicis Collegiatae sint assignanda scamna nuda, vel potius humerariis, suppedaneo, et panno decoratis, in casu etc.?

Et S. R. C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, sub die 22. Januarii proximi praeteriti rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Negative ad primam*, *et Affirmative ad secundam Dubii partem*

Ad 4. *Affirmative ad primam*, *et Negative ad secundam Dubii partem*, *dummodo Canonici Metropolitanae non interveniant capitulariter*.

Ad 5. *Negative ad primam*, *et Affirmative ad secundam Dubii partem*, *et quoad circulum, servetur Caeremoniale Episcoporum*.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7., *Occasione Synodi*, *serventur notata per Gavantum in Praxi cap.* 13. *num.* 10. *tit. de Synod.*, *et in reliquis functionibus collocandos esse inter alios de Clero in loco digniori post Capitulum Cathedralis*.

Ad 8. *Negative ad primam , et Affirmative ad secundam .*

Verum adversus supradictas resolutiones instantibus modo Capitulo , et Canonicis Ecclesiae Cathedralis pro concessione novae audientiae , S. eadem R.C., ad relationem ipsius Emi Ponentis,rescripsit : *Nihil de nova audientia , et amplius* . Et ita decrevit , ac servari mandavit . *Die* 12. *Martii* 1735.

3882. VERCELLEN.

Cum ex parte Praepositi Ecclesiae Parochialis sub titulo S. Mariae Viveroni , et Ropoli , Dioecesis Vercellen. S. R. C. humiliter supplicatum fuerit pro assignatione diei Festi Consecrationis illius Ecclesiae , quia ob longum temporis lapsum , quamvis in parietibus dictae Ecclesiae plures adhuc existent Cruces ipsius Consecrationem indicantes , penitus ignoretur .

S. eadem R.C. , audita prius relatione Emi , et Rmi Episcopi , hujusmodi instantiae annuendo,*petitam assignationem pro die ab ipso Emo Episcopo semel designanda , et numquam in posterum mutanda,concedendam esse* censuit . *Die* 12. *Martii* 1735.

3883. GERUNDEN.

Aegre ferentibus Beneficiatis Ecclesiae Cathedralis Gerunden. quod Thomas Milans Magister Cappellae post ipsius jubilationem iisdem praerogativis, quibus ante jubilationem gavisus fuit , frui deberet ; Capitulum , et Canonici praefatae Cathedralis , promovendo etiam jura honorifica favore dicti Magistri Cappellae jam jubilati,causam in S. R. C. proponi , ac infrascripta Dubia inter ipsos Beneficiatos , et Canonicos concordata discuti curarunt , nempe .

1. An Magistro Cappellae Cathedralis Ecclesiae Gerundensis jubilato concedenda sit gratia fruendi iisdem insignibus , et praeeminentiis in choro , et aliis funcionibus , quibus ante jubilationem fruebatur in casu etc. ? Et quatenus affirmative .

2. An gaudere possit eadem praecedentia , et insignibus cum Beneficiatis ejusdem Ecclesiae Cathedralis,etiam in omnibus Ecclesiasticis functionibus , quae fiunt in Ecclesia S. Lucae in casu etc. ?

Et S. eadem R.C., ad relationem Emi , et Rmi D. Card. Zondadari , utraque parte in scriptis , et in voce informante audita , rescribendum censuit .

Ad 1. , et 2. *Affirmative , et amplius* . Et ita declaravit , ac servari mandavit . *Die* 14. *Maii* 1735.

3884. IMOLEN.

Inter Capitulum insignis Collegiatae Ecclesiae SS. Mariae, et Hilarii Terrae Lugi Dioecesis Imolen. ex una , et Patres Ordinis S. Dominici *del Molino* dictae Terrae partibus ex altera,occasione trium Processionum , quae in dicta Ecclesia S. Mariae *del Molino* cum interventu totius Cleri saecularis , et regularis , nec non omnium Confraternitatum infra annum fieri solent , circa modum ingrediendi dictam Ecclesiam , ibique assistendi , ac Missam solemnem celebrandi,ortis controversiis , illisque a S. C. Episcoporum , et Regu-

larium ad S.R.C. remissis, Emus, et Rmus D. Card S.Clementis infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An liceat Capitulo insignis Collegiatae SS. Mariae, et Hilarii in tribus Processionibus in singulis annis celebrandis, introire Ecclesiam S. Mariae *del Molino* cum Celebrante, et duobus assistentibus paratis pluviali, et dalmaticis, in casu etc. ?

2. An Missa solemnis, quae cantari solet in dicta Ecclesia S. Mariae *del Molino* post Processiones, quae fiunt diebus 27. Aprilis, et 15. Augusti cujuslibet anni, cantanda sit ab Archipresbytero, et Canonicis dictae Collegiatae, dissentientibus Religiosis, sive potius sit cantanda ab eisdem Religiosis? Et quatenus affirmative ad primam partem.

3. An liceat eidem Capitulo in dictis casibus assistere dictae Missae solemni in utroque latere Presbyterii, seu potius in alia parte ejusdem Ecclesiae in casu etc. ?

4. An Processio celebrata die 26. Aprilis anni praeteriti, quae absolvi non potuit a Capitulo propter impedimentum injuste praestitum a Religiosis in ingressu ejusdem Ecclesiae, sit iterum celebranda, prout etiam aliae Processiones, quae successive celebrari debebant, et non fuerunt celebratae, in casu etc, ?

Et S. eadem C., partibus in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundum, circumscripta resolutione Concilii die* 28 *Februarii* 1735.

Ad 3. *Affirmative, et Episcopus assignet locum*.

Ad 4. *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 14. *Maii* 1735.

3885. ANAGNINA.

Habito a Capitulo, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Anagninae ad S. R. C. recursu adversus Gubernatorem, et Magistratum illius Civitatis, qui, vigore assertae immemorabilis consuetudinis, dum pontificalibus functionibus, aliisque solemnibus festivitatibus assistunt, stantes recipere praetendunt pacem a Subdiacono parato per osculum, sive amplexum; et modo ad penitus evellendum hujusmodi abusum Capitulo, et Canonicis praedictis humillime supplicantibus, S. eadem R.C. ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Porzia, cum id Caeremoniali Episcoporum, Decretis ipsius S. C., aliisque Apostolicis Constitutionibus adversetur, audita quoque Episcopi informatione, rescribendum censuit: *dandum esse Decretum in Veliterna sub die* 10. *Septembris* 1718. (3765.). Et ita etiam in Civitate Anagnina servari mandavit. *Die* 25. *Junii* 1735.

3886. FOROLIVIEN.

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Forliviensis ex una, et Patrem Abbatem, et Monachos S. Mercurialis illius Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Domi-

nus Cardinalis Zondadari infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Episcopo visitanti Ecclesiam Parochialem Monasterii S. Mercurialis, teneatur ejusdem Abbas indutus cotta, stola, et pluviali, obviam ire cum aliquibus Monachis usque ad januam dictae Ecclesiae, ibique eum excipere, praebere aspersorium cum aqua benedicta, eumdemque thurificare? Et quatenus negative; an, et quomodo dictus Episcopus sit excipiendus in actu visitationis in dicta Ecclesia?

2. An Episcopo, et Canonicis, occasione Processionis peragi solitae in die festo S. Mercurialis cum delatione ejus Capitis ab Ecclesia SSmae Trinitatis, liceat Caput ejusdem Sancti deferre ad aliam Ecclesiam praeter illam S. Mercurialis?

3. An Abbas S. Mercurialis in die Festo ejusdem Sancti teneatur inter Missarum solemnia sive a throno, sive ab Altari descendere, et extra Presbyterium progredi ad recipiendum Caput ipsius Sancti, vel potius id pertineat ad Sacerdotem assistentem?

4. An liceat Monachis praedicti Monasterii S. Mercurialis erigere thronum ter in anno in eorum Ecclesia, sive Abbas nolit, vel non possit Pontificalia exercere, sive absit a Monasterio?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce audita, sub die 11. Decembris proximi praeteriti rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative quoad primam partem in casu etc.*

Ad 2. *Servetur solitum.*

Ad 3. *Negative quoad utramque partem, et Ordinario pro praefixione horae congruae peragendi solitam Processionem, et Abbas Missam inchoet postquam Sacram Reliquiam pontificaliter indutus receperit.*

Ad 4. *Negative.*

Verum, super duobus Dubiis, nempe 1. et 4., ut supra, resolutis, obtenta a praefatis Monachis nova audientia, illisque iterum examinatis, mediante discussione infrascripti Dubii:

An sit standum, vel recedendum a Decisis sub die 11. Decembris 1734. quoad 1. et 4. Dubium?

S. eadem C., ad relationem ipsius Emi, et Rmi D. Cardinalis Zondadari, utraque parte in voce, et in scriptis denuo informante audita, rescribendum censuit. *In Decisis, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 25. Junii* 1735.

3837. PLACENTINA IN HISPANIIS.

In oppido Truxilli Dioecesis Placentinae in Hispaniis, ubi adsunt quatuor Religiosorum Conventus, nempe PP. Ordinis Praedicatorum, Observantium S. Francisci, Discalceatorum strictioris Observantiae, et B.M.V. de Mercede, occasione associationis cujusdam cadaveris de anno 1728. inter Patres excalceatos strictioris Observantiae ex una, et Patres B. M. de Mercede partibus ex altera, super jure praecedendi controversiis exortis, illisque Tribunali Nunciaturae Hispaniarum discussis, ac favore Mercenariorum resolutis, postmodum ex parte Religiosorum excalceatorum strictioris obser-

vantiae Oppidi praedicti ad S.R.C. delatae fuerunt hujusmodi controversiae, super quibus Emus, et Rmus D. Cardinalis Georgius Spinola infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Fratribus discalceatis strictioris Observantiae S. Francisci Conventus S.Mariae Magdalenae Oppidi de Truxillo accedentibus ad Processiones, funeralia, et alias publicas functiones sive unitim, sive separatim a Fratribus Observantibus ejusdem S.Francisci, competat praecedentia supra Patres Conventuales B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum dicti Oppidi in casu etc.? et quatenus affirmative.

2. An, et quomodo sit regulanda praecedentia, concurrentibus ad dictas Processiones, funeralia, et alias publicas functiones cum supradictis Religiosis, et Patribus Dominicanis in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante prius audita, rescribendum censuit: Ad 1. *Competere praecedentiam Patribus discalceatis, dummodo incedant sub una Cruce, et faciant unum corpus cum Patribus Observantibus.*

Ad 2. *Servetur solitum.*

Supradicti vero Patres excalceati strictioris Observantiae existimantes vigore praefatae resolutionis primi Dubii per illa verba: *dummodo incedant sub una Cruce, et faciant unum Corpus cum Patribus Observantibus*, controversias penitus minime sublatas esse, dum non raro eveniunt casus, in quibus ad particulares Processiones, funeralia, aliasque sacras functiones Patres Observantes vel nolint, vel nequeant accedere, et hujusmodi actus explendi sint cum solo interventu Patrum excalceatorum, pro meliori declaratione dicti primi dubii in casibus supra enunciatis, S.R.C. humillime supplicarunt.

Et S. eadem C., Patribus Mercenariis quamvis pluries citatis, et intimatis nequaquam comparentibus, ad relationem Emi Ponentis, sub die 14. Maii proximi praeteriti, rescripsit: *Dilata.*

Tandem reproposita per Emum Ponentem hujusmodi instantia, S. eadem R. C., Procuratore Patrum excalceatorum strictioris Observantiae tantum in scriptis, et in voce informante audito, rescribendum censuit: *Praecedentiam competere Patribus discalceatis, sive soli de per se, et sub propria Cruce incedant, sive incedant sub Cruce, et cum Patribus de Observantia.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 25. Junii* 1735.

3888. IMOLEN.

Ex parte Canonici Praefecti caeremoniarum Ecclesiae SS. Mariae, et Hilarii Lugi Dioecesis Imolen. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. humillime supplicatum fuit.

1. An Dignitas, seu Canonicus hebdomadarius festivis diebus de praecepto solemnem, ferialibus vero Mansionarius conventualem Missam celebrare teneatur immediate post decantatam in Festivis, ut supra, ferialibus autem recitatam in Choro Tertiam juxta dispositionem Sacrorum Rituum Missalis Romani tit 15. num. 2. Quem ordinem in eadem Rubrica, sicut et aliis diebus praescriptum idem Capitulum servare teneatur, seu po-

tius liceat Capitulo ejusdem Collegiatae se uniformare usui in Ecclesia Cathedrali Imolen. contra eamdem Rubricam introducto, cantandi scilicet Missam tam diebus festivis, quam ferialibus modo, quo supra immediate post recitatam in Choro Nonam? Et quatenus affirmative ad secundam partem: An hoc sit servandum a Collegiata supradicta etiam in diebus solemnibus, ac festivis de praecepto?

2. An Capitulum, et Clerus Insignis Collegiatae SS. Mariae, et Hilarii Imolen. Dioecesis in publicis, privatisque sacris functionibus peragendis tam divini Officii, quam Missarum solemnium, et conventualium, Processionum, funeralium, et aliorum hujusmodi actuum, teneantur ea, quae, juxta S. Rubricae dispositionem, ab eodem Canonico Praefecto praescribuntur, omnimode observare, seu potius liceat unicuique ex eodem Capitulo, et Clero multoties easdem sacras functiones peragere praeter, seu contra easdem Rubricas?

S. eadem R. C. respondit juxta votum D. Abbatis Ghezzi sacrarum caeremoniarum Apostolicarum Magistri, nempe. Ad 1. *Servandam esse Rubricam Missalis Romani sub tit.* 15. *num.* 2.

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 6. *Augusti* 1735.

3889. HISPALEN.

Cum ex parte Rmi Archiepiscopi, et Capituli Ecclesiae Metropolitanae Hispalen. tam pro concessione, quam pro declaratione sequentium Dubiorum S. R. C. non minus enixe, quam humiliter supplicatum fuerit, nempe.

1. Pro elevatione Festi S. Josephi a ritu duplici secundae classis ad dup. primae classis pro illa Civitate, et Dioecesi.

2. Pro declaratione: utrum Festum Patrocinii S. Josephi, quod ex Indulto Apostolico celebratur 3. Dominica post Pascha sub ritu dup., sit transferendum ad aliam diem, si in eadem Dominica occurrat aliquod Festum ritus superioris?

3. Pro facultate assignandi diem fixam Sanctis, de quibus in illa Dioecesi diebus propriis perpetuo Officium celebrari nequit, sed sint transferendi.

5. Pro declaratione; utrum in Festo expectationis Partus Bmae Virginis, de quo ex concessione Apostolica fit Officium in universa Hispania die 18. Decembris, siut Hymni concludendi cum versu: *Jesu Tibi sit gloria*: vel potius: *Virtus*, *honor*, *laus*, *gloria*, et responsorium breve ad primam dicendum sit: *Qui natus es de Maria Virgine*: vel potius: *Qui venturus es in mundum*?

5. An Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari Officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno sint omittendi?

6. Pro declaratione: An si occurrat Dominica 4. Quadragesimae festum primae classis habens proprias Lectiones primi nocturni, Lectiones Exodi eidem Dominicae 4. assignatae, reassumendae sint intra illam hebdo-

madam in illo primo Festo occurrente, et non habente Lectiones proprias primi Nocturni, de quo, si fieret Officium post Quadragesimam, illae Lectiones essent de Scriptura occurrente desumendae?

7. Demum pro declaratione: utrum si Dominica infra octavam admittentem celebrationem semiduplicium, occurrat Festum semiduplex, sit istud transferendum ad feriam secundam vacantem, non obstante, quod supersit transferendum aliquod Officium duplex, itaut prius sit transferenda translatio dictae feriae secundae de semidup., quod occurrat in Dominica, quam de duplici?

S. eadem R.C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Belluga rescripsit.

Ad 1. et ultimum: *Dilata, et ad mentem.*

Ad 2. *De Translatione Festi Patrocinii S. Josephi censuit transferri posse, sed decrevit, ut pro die Festo Rmus Episcopus assignet certam aliquam diem, quae non sit Dominica fixa.*

Ad 3. *Sanctis, qui perpetuo sunt transferendi, sit assignanda dies fixa, et commisit eidem Archiepiscopo, ut pro unica vice deveniat ad hanc designationem dierum.*

Ad 4. *Declaravit in Festo expectationis Partus Bmae Virginis Hymnos esse concludendos cum versibus:* Virtus, honor, laus. gloria: *et breve responsorium ad Primam esse debere:* Qui venturus es in mundum.

Ad 5. *Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed, quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semiduplicibus cum nona lectione ad Matutinum, composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius.*

Ad 6. *Demum Lectiones primi Nocturni de Exodo Dominicae IV. Quadragesimae, quoties ista sit impedita aliquo Festo primae classis, reassumendas esse intra illam hebdomadam in festo occurrente carente lectionibus propriis primi Nocturni, quae desumerentur de Scriptura occurrente, si festum illud extra Quadragesimam incidisset.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 26. Novembris 1735.*

3890. ANAGNINA.

Super nonnullis juribus honorificis inter Joannem Baptistam Bassi Episcopum Anagninum, et Fr. Bartholomaeum Rubini illius Coadjutorem ex una, et Scipionem Ambrosii de Thomasiis Praepositum Cathedralis ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Belluga infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An Praeposito Ecclesiae Cathedralis Anagninae debeatur thurificatio triplici ductu, absente Episcopo? et quatenus affirmative.

2. An debeatur, praesente Vicario Generali?

3. An Praepositus in locis, ubi ob deficentiam sedium fixarum Chori, Canonici sedent in scamnis, sive in functionibus sacris, sive in congressibus canonicalibus, debeat, praesente, vel absente Episcopo, sedere in illis, serva-

ta praerogativa primi loci, sive potius sit pro eo ponenda sedes honoraria cum appodio ad humeros?

4. An, Praeposito in diebus solemnibus Sacrum faciente, possint in gradibus Abaci exponi pelvim, gutturnium, et manutergium in lance, quibus utatur, duobus Mansionariis, vel Clericis cum cotta ministrantibus, ad *Lavabo*, vel potius debeat Sacrum facere ad instar aliorum Canonicorum?

5. An Praeposito in Processionibus debeatur Candela majoris ponderis, et in distributione Palmarum distincta, et honorabilior, quam caeteris de Capitulo?

6. An assistentibus in Choro Vicario Generali, et Praeposito praecedere debeat Vicarius, vel potius Praepositus? Et quatenus Affirmative ad primam partem.

7. An eadem praecedentia debeatur Vicario, si Praepositus sit indutus sacris vestibus, aut si Vicarius sit simul Canonicus, et intersit in Choro cum habitu Canonicali?

8. An dum Praepositum exuitur vestibus usualibus in Sacrario, et induitur vestibus choralibus, et pro delatione Breviarii ad suum stallum tolerari possit, ut ei inserviat unus, aut alter ex Mansionariis?

9. An Praeposito debeantur in sacrario paramenta Sacra, et nobiliora in loco distincto a caeteris Canonicis?

10. An Praepositus teneatur per seipsum, quando non est legitime impeditus, servare hebdomadam in Choro, et canere Missas per turnum cum caeteris Canonicis?

11. An liceat Praeposito se eximere ab assistentia in Processionibus S. Marci, Rogationum, et aliis cum pluviali in casu etc?

S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Provisum in primo*.

Ad 3. *Affirmative quoad primam partem*; *Negative quoad secundam*.

Ad 4. *Negative*, *quoad prima partem*; *Affirmative quoad secundam*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Affirmative quoad primam partem*; *Negative quoad secundam*.

Ad 7. *Negative*.

Ad 8. et 9. *Negative*.

Ad 10. *Affirmative*.

Ad 11. *Servetur Caeremoniale*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Aprilis* 1736.

3391. HISPALEN.

Relatis in S. R. C. per Emum, et Rmum D. Cardinalem Belluga sub die 26. Novembris anni proximi praeteriti Rmi Archiepiscopi, et Capituli Metropolitanae Hispalen., enixis precibus, quibus supplicatum fuit pro elevatione Officii S. Josephi ad ritum duplicem primae classis; nec non pro declaratione: utrum Officio semiduplici occurrente Dominica infra octavam

non privilegiatam, die Lunae sequenti non impedito, fieri debeat ejus translatio in exclusionem alicujus duplicis praecedentis transferendi? Sac. eadem C. ad utrumque rescripsit: *Dilata*: Repropositis iterum hujusmodi instantiis per dictum Eñum Ponentem die 21. currentis Aprilis.

S. eadem C. Ad 1. rescripsit: *Pro gratia elevationis absque Octava*.

Ad 2. *Juxta votum praefati Eminentissimi Ponentis*; nempe, *quod in exclusionem duplicis praecedentis transferendi, debeat die Lunae non impedito fieri Officium de semiduplici, quod occurrerat Dominca infra Octavam non privilegiatam, quia eo casu est assignata pro dicto semiduplici dicta dies feriae secundae*. Et ita etc. *Die* 21. *Aprilis* 1736.

3892. MONTIS ALTI.

Inter Priorem, et Canonicos Ecclasiae Collegiatae S. Mariae Lauretanae Terrae Castignani Dioecesis Montis Alti ex una, et Praebendatos Ecclesiae Parochialis S. Petri dictae Terrae partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Eñus, et Rñus D. Cardinalis Georgius Spinola infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An Ecclesia S. Petri Apostoli Terrae Castignani sit Collegiata? et quatenus negative.

2. An Processiones generales, et aliae publicae pro tempore indicendae, inchoari debeant ab Ecclesia Collegiata S. Mariae Lauretanae, et in ea terminari, vel potius ab Ecclesia S. Petri?

3. An in iisdem Processionibus Prior, et Canonici dictae Collegiatae praecedere debeant Parochis, aliisque Presbyteris, et Praebendatis Ecclesiae S. Petri?

4. An, et cui spectet in dictis Processionibus, et signanter Rogationum benedicere campestria, et in Festo SSmi Corporis Christi deferre Sacramentum, et dare benedictionem populo?

5. An in dictis Processionibus sub quanam Cruce incedi debeat, an sub Cruce tantum Ecclesiae Collegiatae, an sub Cruce etiam S. Petri?

6. Et quatenus affirmative ad secundam partem: quaenam ex dictis Crucibus praecedere debeat?

7. In funeribus deferendis ad Ecclesiam S. Petri, in quibus intervenit invitatum ab haeredibus defuncti Capitulum Collegiatae, sub qua Cruce incedi debeat?

8. An in iisdem funeribus Capitulum ingredi possit Ecclesiam S. Petri, ibique assistere usque ad humationem cadaveris cum sua Cruce erecta etiam in absolutione funeris?

9. Et quatenus affirmative; cuinam competat praecinere Antiphonas?

10. An Capitulum in corpore possit invitatum ab haeredibus, sed renuentibus Priore, et Praebendatis Ecclesiae S. Petri, intervenire in exequiis funeralibus explendis in eadem Ecclesia S. Petri?

11. An etiam possit, renuentibus, vel non consentientibus Priore, et Praebendatis, intervenire in corpore in aliis sacris functionibus, et ad audiendas conciones in eadem Ecclesia S. Petri habendas?

12. Et quatenus affirmative: An, et qui locus sit ei in Choro, et in dicta Ecclesia assignandus?

13. An pulsatio Nolarum in Sabatho Sancto spectet prius ad Ecclesiam Collegiatam S. Mariae, vel potius ad Ecclesiam S. Petri?

14. An dictae Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Lauretanae competat Jus sepeliendi?

S. eadem C., Procuratore Capituli praefatae Ecclesiae Collegiatae in scriptis, et in voce tantum audito, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem*; *Negative quoad secundam.*

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Spectare ad Priorem Ecclesiae Collegiatae*, *seu alteri ejusdem Canonico*, *qui in casu impedimenti*, *illius vices suppleat*.

Ad 5. *Sub utraque Cruce*.

Ad 6. *Praecedentiam deberi Cruci Ecclesiae Collegiatae*.

Ad 7. *Sub Cruce Ecclesiae S. Petri tumulantis*.

Ad 8. *Negative*.

Ad 9. *Provisum in praecedenti*.

Ad 10. *Provisum in octavo*.

Ad 11. *Negative*.

Ad 12. *Provisum in praecedenti*.

Ad 13. *Spectare ad Collegiatam*.

Ad 14. *Affirmative*, *salvis juribus Parochi*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Aprilis* 1736.

3893. MAZARIEN.

Cum S. R. C. innotuerit in Oppido Drepani Dioecesis Mazarien. quemdam irrepsisse abusum, nempe collocandi cadavera Archipresbyterorum defunctorum, occasione funerum, induta pluviali in sede, secus vero in feretro, ut praescribit Rituale Romanum.

S. eadem C., audita relatione Episcopi, transcripsit: *Non licere*, *et servetur Rituale Romanum*. *Die* 21. *Aprilis* 1736.

3894. EINSIDLEN.

Dubia varia circa Breviarium Benedictinum, pro quorum resolutione, et declaratione S. R. C. humillime supplicatur.

AD TIT. VIII. RUBRIC. GENERALIS DE OCTAVIS.

Dub. unicum: An Commemoratio solemnis S. Patris Benedicti in mense Julii sit celebranda cum Octava?

℟. *Negative*, *nisi adsit concessio specialis*.

AD TIT. VIII. DE OFFICIO S. SCHOLASTICAE IN FER. 3. PRO SINGULIS MENSIBUS.

An lectiones ex Ven. Beda pro Januario in Officio cujuslibet mensis assignatae, quarum initium; quia B. Scholasticae commemorationem peragimus etc., si eo mense hoc officium impediatur, sint dicendae mense aliquo sequenti, quo primum fit Officium mensile de S. Scholastica?

℟. *Negative: scilicet Lectiones unius mensis, licet non fuerint recitatae, non sunt legendae mense sequenti.*

AD TIT. IX. DE COMMEMORATIONIBUS.

An in Desponsatione B. M. V. sit facienda Commemoratio S. Josephi?

℟. *Negative, nisi constet de speciali concessione.*

AD TIT. X. DE TRANSLATIONE FESTORUM.

Dub. 1. An die 21. Januarii, quia occurrit in multis locis Festum S.Meinradi M. cum S. Agnete V. et M., sit celebrandum Officium de S.Meinrado, Officio S. Agnetis stabiliter, et fixe translato ad diem 28. Januarii?

℟. *Faciendum est Officium de S. Meinrado, et transferendum est Officium S. Agnetis, cui assignari debet aliqua dies fixa, quae tamen non sit dies 28. Januarii: ne Festum SSmi Nominis Jesu, quod celebratur Dominica secunda post Epiphaniam, aliquando occurrens in eadem Dominica, quae sit Dominica Septuagesimae. Ideoque, ne illud Festum celebretur intra Quadragesimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Januarii, in quam id tunc erit transferendum. Quando autem agetur Festum S. Agnetis secundo, fiet de eo commemoratio tamquam de simplici, nullo habito respectu, quod festum ejusdem solemne prius non fuerit celebratum.*

Dubium 2. An 3. Martii, qua occurrunt S. Anselmus Abbas, et S.Cunegundes Virgo Imperatrix in Germania, S. Cunegundes sit celebranda, translato S. Anselmo?

℟. *Faciendum est Officium de S. Cunegunde; et assignanda fixa, et propria dies pro S. Anselmo.*

Dubium 3. An S. Barbara, ubi celebratur ritu duplici sine speciali solemnitate (nisi quod privatae personae pro felici morte Templum frequentant) sit celebranda die 4. Decembris, translato S. Petro Chrysologo?

℟. *Quando non constet de speciali Indulto, fiet Officium de S. Petro Chrysologo cum commemoratione S. Barbarae, tamquam de simplici; sin autem adsit concessio Officii de S. Barbara sub ritu duplici, fiat de illa Officium, assignando fixam, et perpetuam diem S. Petro Chrysologo.*

Dubium 4. An Festum Lanceae sit approbatum ex indulto in Germania; et an Breviario apponi possit, et an impediatur ejus celebratio Feria VI. post Dominicam in albis quocumque Festo duodecim Lectionum?

℟. *Affirmative ad utrumque. Impedita autem Feria VI. post Domicam in Albis Officio novem Lectionum, transferatur ad aliam feriam VI. infra tempus Paschale tantum.*

Dubium 5. Quid agendum sit Regularibus, quando in Dioecesi transfertur aliquod Festum ad aliquam diem in Choro, et Foro, in quo apud Regulares occurrit, vel saltem, ad quem transferendum esset Festum antiquius translatum, potissimum si sit majoris ritus, et dignitatis? V. G. si transferatur propter Dominicam Septuagesimae, et propter Dominicam Quinquagesimae Festum Purificationis B. Virginis, idque in Choro, et Foro, jam facile contingere, ut in Dioecesi jam celebratum sit Festum SSmi Nominis Jesu alia die vacua, non autem apud Regulares; celebrabunt ne hi

tertia Februarii cum Dioecesanis Festum Purificationis in Foro, ulterius translato Officio Purificationis in Choro tantum? In Choro autem dicent tertia Februarii Officium de SSmo Nomine Jesu? vel si videatur (quando simul transferenda sunt Festum SSmi Nominis Jesu, et Festum Purificationis) prius reponendum sit posterius tamquam solemnius, utpote Festum Fori, esto alterum sit dignius; adeoque tertia Februarii in Dioecesi ponatur Festum Purificationis, et se illi, ulterius translato Festo SSmi Nominis Jesu, conforment Regulares, qui tertia Februarii S. Blasium celebrant ritu simplici? Quid autem agent illi, apud quos S. Blasius celebratur ritu duplici, consequenter dies tertia Februarii non est dies vacua ad reponendum in ea Festum translatum Purificationis? Similis casus in Dioecesi Augustana contigit anno 1734.; ubi Festum S. Georgii in Foro, et Choro ab Ordinario loci est translatum, et repositum ad diem 15. Maii, ubi in multis Monasteriis aderant Festa antiquius translata, et in aliquo etiam Festum translationis sui Patroni, quod ritu secundae classis eo loci celebratur. Erat ne Regularibus illis agendum de S. Georgio, translato ulterius antiquius translato adhuc extante, aut Festo Regulari eo die cadente ejusdem, vel etiam majoris ritus; vel erat ne cum Dioecesanis S. Georgius tantum in Foro celebrandus, et in Choro ulterius transferendus?

℟. *Pro Festo SSmi Nominis Jesu satis provisum in supradicto tit.X. de Translatione Festorum. Officium Purificationis transferatur ad primam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani de Tranlatione Festorum. Pro Translatione Festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat Officium de prius descripto in Calendario, nullo habito respectu, quod Officium translatum sit Ecclesiae Universalis, Nationis, Dioecesis, Ordinis, et Ecclesiae particularis. Quando occurrit Festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad Forum, Regulares debent de eo Officium facere; nisi apud ipsos occurrat eadem die aliud Festum, quod sit ejusdem classis, ritus, et majoris dignitatis.*

AD TITUL. XX. DE HYMNIS.

Dubium unicum: An Hymnus proprius in primis Vesperis S. Hermenegildi Martyris impeditus sit ponendus in Matutino, et Hymnus Matutini in Laudibus?

℟. *Affirmative ad utrumque.*

AD TITUL. XXI. DE ANTIPHONIS.

Dubium 1. An feria VI. et Sabatho post octavam Ascensionis Antiphonae 1. et 2. Nocturni dicendae sint absolute, ut in feria VI. et Sabbato infra octavam Ascensionis, adeoque Antiphona: *Elevata est*: et: *Dominus in Templo etc.* sint habendae tamquam fixae, et propriae pro feria VI. post octavam Ascensionis, et Antiphonae: *A summo coelo*: et: *Exaltare*: pro Sabbato, seu Vigilia Pentecostes, non curando, an adhuc supersint aliae per octavam Ascensionis impeditae: An vero quoad hoc etiam illi duo dies sint reputandi pro diebus infra octavam Ascensionis, ita ut non debeant in his diebus ab initio repeti hae Antiphonae ex Festo Ascensionis, sed pro exigentia rei, aliae sint dicendae: V. G. si infra octavam

Ascensionis semel sit factum Officium de octava, de octava, et fuerint proinde dictae duae primae Antiphonae ex primo Nocturno Festi Ascensionis scilicet: *Elevata est*: et: *Dominus in Templo*: deinceps autem omnes dies sint dupliciter impediti, Feria VI. autem post octavam non cadat Festum, sed dicendum sit de feria VI. post octavam Ascensionis, tunc non sint rursus dicendae Antiphonae: *Elevata est*: et: *Dominus in Templo*: Sed Antiphona 3. et 4. scilicet: *A summo coelo*: et: *Exaltare*: sicut moris est in die 3. infra octavam?

℟. *Servetur omnino Rubrica ejusdem Breviarii Monastici apposita post octavam Ascensionis ante Officium Feriae VI., et recitentur illae Antiphonae, quae tali, vel tali die assignantur.*

Dubium 2. An in Festo S. Joannis de Deo 8. Martii dicenda sit Antiphona propria ad *Magnificat*: *Joannes de Deo*: et ad *Benedictus*: *Joannis Patris Pauperum*?

℟. *Negative.*

Item qualis Missa: An: *Os Justi etc.*: An: *Justus ut Palma etc.* cum Evangelio proprio?

℟. *Missa erit* Os Justi *cum Evangelio proprio.*

Item: An illud Evangelium ex Dominica VI. post Pentecosten. sit totum dicendum, vel tantum usque ad verba: *Lex pendet, et Prophetae*: cum reliqua, quae sequuntur, ad praesens Festum nil pertinere videantur?

℟. *Evangelium legatur integraliter, prout in Dominica VI. post Pentecosten.*

Dubium 3.: Qualis Antiphona sit dicenda loco ultimo in secundo Nocturno S. Joannis Baptistae?

℟. *Antiphona erit*: Ipse praeibit ante illum in spiritu, et virtute Eliae parare Domino plebem perfectam.

Dubium 4.: Quando festum S. Raphaelis celebratur Dominica tertia post Pascha, qualis sit dicenda Antiphona in primo, et secundo Nocturno?

℟. *Antiphona primi Nocturni erit*: Multa magnalia, *et in secundo Nocturno*; Archangele Raphael; *in tertio autem* Angelus Archangelus.

Dubium 5.: An in Festo Inventionis S. Stephani in tertio Nocturno sit dicenda Antiphona: *Jerusalem*: quamvis nullum Breviarium de hoc mentionem faciat, praeter Constansiense?

℟. *Negative.*

Dubium 6.: Quando Festum SSrum Philippi, et Jacobi celebratur extra tempus Paschale, quaenam omitti, vel retineri debeant *Alleluja*, et an tollendi sint Asterisci?

℟. *Extra tempus Paschale omittuntur omnia* Alleluja; *et Asterisci ne tollantur.*

AD. TITUL. XXIII. DE PSALMIS.

Dubium unicum: An in Festo S. Petri Chrysologi 4. Decembris pro quarto Psalmo dicendus sit: *Laudate Pueri Dominum*: vel: *Laudate Dominum omnes Gentes*?

℟. *Dicatur Psalmus*; Laudate Pueri Dominum.

AD TITUL. XXIV. DE VERSIBUS.

Dubium 1. Qualis post Capitulum in secundo Nocturno Feria VI. et Sabbato post Octavam Ascensionis sit dicendus versus?

℟. *In secundo Nocturno post Capitulum Feriae VI. dicetur versus*; Exaltare Domino; *In sabbato autem sequenti apponatur versus*; Ascendens Christus in altum.

Dubium 2.: Qualis in Festo S.Caroli Borromaei 4. Novembris in primis Vesperis pro commemoratione SSrum Vitalis, et Agricolae Martyrum, sit dicendus versus: An: *Laetamini in Domino*: vel specialis; *Exultent justi?*

℟. *In primis Vesperis Antiphona erit*; Istorum est enim; *cum versu*; Laetamini; *et ad Laudes substituetur versus*; Exultent Justi; *post Antiphonam*; Vestri Capilli etc.

Dubium 3.: An, quando Antiphonae, et versus in Vesperis variantur pro commemoratione alicujus simplicis facienda, prius accipiendus sit versus ex Vesperis, quam ex Laudibus, si diversi sunt; An vero recurrendum prius ad Antiphonam, et versum Laudum, quam ad Antiphonam, et versum secundarum Vesperarum?

℟. *Ad Vesperas. Primo accipienda est Antiphona cum versu Laudum: Si vero plures sint commemorationes simplicium, tunc secunda commemoratio sumatur ex secundis Vesperis cum versu secundi Nocturni, tertia vero commemoratio fiet desumendo Antiphonam primam ex tertio Nocturno cum versu ejusdem Nocturni: Ad Laudes prima commemoratio cum versu erit propria ex primis Vesperis; secunda commemoratio fiet cum Antiphona tertia, et versu assignatis jam in primis Vesperis; tertia autem commemoratio fiet desumendo Antiphonam, et versum dictos secundo loco in primis Vesperis, nempe Antiphonam secundarum Vesperarum, et versum secundi Nocturni.*

AD TITUL. XXV. DE BENEDICTIONIBUS, ET LECTIONIBUS.

Dubium 1.: An Benedictio XI. in Officio mensili S. Scholasticae, item Feria 3. de S. Benedicto, et de Immaculata Conceptione in Sabbatis sit: *Cujus commemorationem colimus?*

℟. *Negative, et dicatur semper*: cujus Festum colimus.

Dubium 2.: An in Festo S. Joannis Chrysostomi universaliter in primo Nocturno legendae sint Lectiones: *Sapientiam etc.* de Doctoribus extra Quadragesimam?

℟. *Servetur Rubrica Breviarii Romani, et extra Quadragesimam dicantur Lectiones de Scriptura occurrente. Intra Quadragesimam vero recitentur Lectiones de communi Doctorum.*

Quid etiam pro S. Joanne de Matha?

℟. *Pro S.Joanne de Matha idem servandum est, et in Quadragesima dicantur Lectiones de Com., scilicet*: Beatus vir etc.

Quid de S. Anselmo?

℟. *Quocumque tempore in Officio S. Anselmi Lect. primi Noct. dicantur de com. Doct. videlicet*; Sapientiam etc.

Quid autem, quando in Festo aliquo assignantur Lectiones: *Sapientiam*, de Doctoribus; vel *Beatus*, aut *Justus*, vel aliae de communi: An ita firmiter sint dicendae, ut tunc non possit eo die legi Scriptura occurrens; potissimum si sit initium cadens, vel alias jam impeditum, vel si alioquin in ea septimana initio Scripturae nullus esset locus, nisi omittantur tales Lectiones de communi assignatae?

℟. *Quando Lectiones assignantur legendae sive propriae, sive de communi, omittatur etiam initium Scripturae, quod reponendum est infra Hebdomadam in Officio ritus inferioris, minoris dignitatis, ac solemnitatis; etiamsi tale Festum habeat Lectiones proprias, aut sint de Scriptura.*

Quid pro Lectionibus primi Nocturni in Festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis? leguntur enim in aliquibus Monasteriis Lectiones: *In Lectulo meo etc.*; demum quid in Officio S. Alexii, in quo quaedam Brev. assignant pro Lectionibus primi Nocturni: *Beatus vir etc.*?

℟. *In utroque Officio nihil innovandum, et servetur Rubrica Breviarii Romani, dicendo Lectiones de Scriptura, nisi adsit concessio specialis pro recitatione aliarum Lectionum.*

Dubium 3. An in Octava Ascensionis Domini ponenda sit Epistola S. Pauli ad Ephesios; *Obsecro itaque vos etc.*; Feria autem sequenti tria Initia scilicet, Initium Epistolae secundae, et aliud Epistolae tertiae S. Joannis Apostoli, et tertio Initium Epistolae S. Judae.

℟. *Servetur omnino dispositio Breviarii Monastici Romani, et recitentur enunciatae Epistolae, nempe S. Pauli in die Octava, et SSrum̄ Joannis, et Judae in feria VI.*

Et quid si citata Initia nec feria VI., nec alia die antecedenti dici possint? Queritur: an in Dominica praecedenti loco lectionum 3. et 4. debeant poni, ut notat Breviarium styriae editum 1731.?

℟. *Omittantur, nec recitentur in Dominica praecedenti. Et quoad initium Epistolae S. Judae, si neque alia die legi potuerit, omittatur.*

Dubium 4.: An, quando October tantum habet quatuor Dominicas, Lectiones Dominicae 5. Octobris in aliqua die hebdomadae praecedentis Dominicae viciniori sint ponendae?

℟. *Servetur omnino dispositio Breviarii Romani, et in Feria V. et VI. et Sabbato Hebdomadae quartae Octobris legantur Lectiones de Dominica V. continentes historiam Martyrii SSrum̄ Machabeorum.*

Dubium 5.: An, postquam pro Octava S. Matris nostrae Scholasticae sunt approbatae Lectiones ex Venerabili Beda, Lectiones diei secundae etc., infra octavam impeditae, dicendae sint die sequenti, qua fit primo de Octava, vel in ipsa die octava?

℟. *Negative.*

Dubium 6.: In Festo S. Gregorii II. Papae 13. Februarii in Lectione octava ad finem ponitur obiisse die 11. Februarii, cum tamen in Martyrologio legatur 13. Februarii, quae est dies obitus. Quaeritur: an illa Lectio sit per errorem, et mendose sic posita, et an sit corrigenda?

℟. *Expungatur dies obitus S. Gregorii ab octava Lectione in Officio ejusdem, et tantum dicatur*: Coelum conscendisse mense Februario.

Dubium 7.: In Festo S. Georgii, cujus in Germania specialis est cultus, cum legantur tres Lectiones de communi, petitur concessio Lectionum propriarum. Celebratur enim Officium sub ritu duplici.

℟. *Pro gratia, et legantur in secundo Nocturno Lectiones de Sermone S. Laurentii Justiniani, quae propriae sunt de S. Georgio.*

Dubium 8. An recentiora Breviaria bene moneant die 5. Maii in Festo S. Pii V. addenda esse in fine Lectionis 8. sequentia verba: *Quibus rite probatis a Clemente XI. Pontifice Maximo Sanctorum numero adscriptus est*?

℟. *Affirmative.*

Item: an in Festo S. Margaritae Scotorum Reginae 10. Junii expungi debeant ultima verba Lectionis: *Cujus Festum ab eodem Pontifice concessum, Innocentius XI. ad octavam Idus Julii transferri jussit*?

℟. *Affirmative.*

Dubium 9. An in Festo S. Egidii Abbatis, quod est duplex de Indulto, sequendum sit exemplum Ecclesiae Campidonensis, et Viennensis ex lectione unica Breviarii faciendo tres, illam dividendo, et sequens Miraculum inserendo: *Alias rediens in Ecclesia, quemdam sibi obvium miserrima specie, qui nuper a serpente percussus tumente cute fatebatur se mortiferum virus recepisse, fusa Oratione curavit, simulque hortatus est, ut Deo gratias ageret, cujus clementia esset sanatus*?

℟. *Negative, et pro gratia concessionis Lectionum, quae leguntur in Basilica Vaticana.*

DUBIA CIRCA LECTIONES TERTII NOCTURNI.

Dubium 1. In tertio Nocturno pro Festo S.Joannis Nepomuceni allegant Homiliam in Evangelium: *Nihil est opertum etc.* Potiores autem de communi tam intra, quam extra tempus Paschale. Quaeritur; cui adhaerendum?

℟. *Semper dicatur Evangelium*: Nihil est opertum *cum sua Homilia.*

Dubium 2. Cum saepe contingat, ut in Dioecesi celebretur unum, et idem Festum, quod etiam fit a Religione Benedictina, et alii in tertio Nocturno unum assignant Evangelium, alii vero aliud. Quaeritur: an Religiosi sequi debeant ordinem proprii Breviarii, an Dioecesani?

℟. *Servetur ordo Breviarii proprii Monastici nationalis.*

Dubium 3. Dominica 3. post Pascha in festo S. Raphaelis Archangeli in tertio Nocturno aliqua Breviaria habent Homiliam ex S. Augustino: *Mirum non esse debet*; alia autem ex S. Joanne Chrysostomo, quae incipit; *Cum vellet Deus*; Quaeritur igitur; Quae Homilia sit dicenda?

℟. *Recitetur Homilia S.Joannis Chrysostomi, nempe*; Cum vellet Deus.

Dubium 4. Petitur, ut in Festo S. Egidii Abbatis Homilia S. Joannis Chrysostomi in calce horum Dubiorum describenda, et quae jam concessa est Scotis Viennae, apponi possit in Breviario.

℟. *Pro gratia.*

Dubium 5. Item petitur pro extensione concessionis Homiliae S. Petri Damiani pro Festo S. Leonardi, quae habetur etiam apud Scotos Viennae.

℟. *Pro gratia.*

Dubium 6. Denique, quando S. Petrus Martyr 29. Aprilis transfertur post tempus Paschale Breviarium Einsidlense assignat in tertio Nocturno Evangelium; *Nolite arbitrari etc.* cum sua Homilia. Alia autem Breviaria, quae hujus casus mentionem faciunt, allegant Evangelium cum sua Homilia; *Si quis venit*; Quaeritur, cui adhaerendum?

℟. *Legatur Evangelium cum Homilia*; Si quis venit ad me etc., *nisi constet de alia concessione.*

Dubium 7. An in Dominica in Albis Lectio XII. legatur de simplici Festo occurrente, ut hoc anno 1735. de S. Aniceto?

℟. *Affirmative.*

Dubium 8. An quando Vigilia omnium SSrum venit in Dominica, et consequenter anticipanda est in Sabbato, quod tunc erit 30. Octobris, de ea solum facienda est commemoratio, quia Festum Sacrarum Reliquiarum, quod 30. Octobris in nostro Ordine celebratur, et illa Vigilia habet idem Evangelium, et eamdem Homiliam, velut etiam fieri consuevit, si Festum Expectationis Partus B. V. venit in Feria IV. Temporum, de hoc ex ratione simili tantum fit commemoratio; An vero tali casu in Festo Sanctorum, quorum Reliquiae in nostris Ecclesiis asservantur, sit aliud Evangelium, et alia Homilia accipienda; et casu quo, quaenam? An; *Cum audieritis etc.* vel; *Sedente Jesu super Montem Oliveti etc?*

℟. *De Vigilia fiat commemoratio tantum*; *In Officio autem Sacrarum Reliquiarum recitetur Evangelium*; Descendens Jesus de monte; *cum Homilia S. Ambrosii dumtaxat.*

AD TITUL. XXVII. DE RESPONSORIIS PROLIXIS.

Dubium 1. An quando in Officio duodecim, vel trium Lectionum dicendum est de simplici Feria majori, vel Vigilia non habente Responsoria propria, pro eadem Lectione universaliter sit accipiendum Responsorium 1. ex primo Nocturno Dominicae, vel communis SSrum? An vero in hoc sit habenda ratio feriarum hebdomadae, ita ut feria secunda et quinta sumendum sit Responsorium 1. ex primò Nocturno Dominicae, vel communis Sanctorum. Feria 3. et 6. primum Responsorium ex secundo Nocturno Dominicae, vel communis Sanctorum, et Feria 4. et Sabatho Responsorium 1. ex tertiò Nocturno Dominicae, vel communis Sanctorum?

℟. *Servetur Rubrica Breviarii Monastici Romani titul.27. de Responsoriis prolixis num. 6., et Responsorium dicatur de simplici desumpto a communi, quod competit tali simplici, si Lectio sit de simplici, nempe a communi Confes., si Lectio sit de Confessore; a communi Mart., si Lectio sit de Mart.*

Dubium 2. An in Festo B. M. de Mercede illud Responsorium ultimum; *Beata Maria Dei Genitrix Patrona, et Auxiliatrix nostra etc.*, sit dicendum ab omnibus, ut fere praxis habet, an vero a solis Trinitariis?

℟. *Negative, et servetur Rubrica Breviarii Benedictini Romani pro dicto Officio.*

Dubium 3. An Lectio VI. in Festo Decollationis S. Joannis Baptistae

sit dividenda, faciendo duas ex una; et quale sit substituendum Responsorium loco Responsorii Festi simplicis, quando propter Festum SSrum Angelorum transfertur Decollatio in aliam diem carentem simplici?

℟. *Affirmative*, *et divisio Lectionis undecimae detur ab illis verbis*; Vincebat enim etc.; *Dicatur Responsorium*; Corona aurea etc.

Item in Festo S. Martini, si alicubi est Patronus, tunc Lectio XII. de S. Menna est omittenda; sed cum singula Responsoria illius Festi sint propria, cum sit tunc desumendum Responsorium a Communi: quaeritur: quale sit dicendum?

℟. *Dicatur Responsorium XII. desumptum a Communi Confessoris, et Pontificis*, *nempe*; Elegit Te Deus Sacerdotem.

Dubium 4. Quale sit dicendum Responsorium pro Lectione XII. de S. Thecla Virgine, et Abbatissa, et de S. Brunone Monacho Martyre Ruthenorum, quorum natalis dies agitur 15. Octobris, et una tantum recitatur Lectio. Nam alii legunt ℟. *Simile est etc.* de Communi Virginum; alii autem habent ℟. *Iste Sanctus etc.* de Communi unius Mart., et hoc proprium non videtur.

℟. *Dicatur Responsorium* 1. *desumptum a tertio Nocturno*, *nempe*: Propter Testamentum Domini, et Leges paternas etc. *cum* ℣. Ecce quam bonum etc. *In Laudibus autem de utrisque unica sit commemoratio*, *assumendo Antiphonam*: Fulgebunt Justi etc. *cum* ℣. Exultabunt Sancti in gloria etc. *In primis Vesperis vero dicatur Antiphona*: In caelestibus Regnis etc. *cum* ℣. Laetamini in Domino etc. *Oratio vero desumatur ab Officio S. Felicis Presbyteri et Martyris* 14. *Januarii in Breviario Romano*, *nempe*: Concede quaesumus Omnipotens Deus etc.

AD TITUL. XXVIII. DE RESPONSORIIS BREVIBUS.

Dubium unicum. Cum hactenus omnia Breviaria conformiter in primis Vesperis Dedicationis Ecclesiae posuerint ℟. breve: *Domum tuam Domine etc.*, donec novissime concordiam turbarent Breviaria Styriae, et Venetiis edita, quae assignant ℟. breve: *Locus iste Sanctus est*: ut in secundis Vesperis Dedicationis; Quaeritur: an sit dicendum in primis Vesperis Dedicationis; *Locus iste Sanctus est*: an ℟. breve: *Domum tuam etc.*?

℟. *In primis*, *et secundis Vesperis Dedicationis servetur ordo Breviarii Benedictini Romani dicendo* ℟. *breve*: Locus iste etc., *et in Laudibus* ℟. *sit*: Domum tuam etc.

AD TITUL. DE ORATIONIBUS.

Cum plures circumferantur Orationes, et istae rite ponantur in novo Breviario; petitur primo: quaenam dicenda sit in Festo S. Andreae Corsini 4. Februarii?

℟. *Oratio*: Deus qui in Ecclesia tua nova semper etc.

Quae sit dicenda in Festo S. Gertrudis Abbatissae?

℟. *Oratio*: Omnipotens Sempiterne Deus.

Quae pariter 16. Maii in Festo S. Ubaldi?

℟. *Oratio*: Auxilium tuum Domine.

Quae eodem die 16. Maii in Festo S. Joannis Nepomuceni ?

℟. *Oratio* : Deus , qui ob invictum etc.

Quae 26. Maii in Festo S. Augustini Ep. et Conf. ?

℟. *Oratio* de communi : Exaudi quaesumus Domine preces nostras etc.

Quae 12. Augusti in Festo S. Clarae Virg.

℟. *Apposita in Breviario Benedictino Romano* ; Exaudi nos Deus etc.

Quae 17. Octobris in Festo S. Heduvigis Viduae Reginae Poloniae .

℟. *Quae recitatur in Ecclesia universali nempe* : Deus , qui B.Heduvigem etc.

ALIA DUBIA.

Dubium 1. An Festum principalis Patroni alicujus Dioecesis a Regularibus sit celebrandum ritu primae classis , et Dedicatio Ecclesiae Cathedralis ritu secundae classis , licet Festum Patroni celebretur ritu duplici majori , Festum autem Dedicationis omnino non celebretur ?

℟. *Affirmative tum quoad primum , tum quoad secundum , sed sine Octavis : et degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis Officium.*

2. An postquam S. Canutus pro Ordine Benedictino fixe est repositus ad 20. Februarii , possit pridie hoc elogium legi in Martyrologio S. *Canuti Regis , et Martyris septimo Idus Januarii ?*

℟. *Affirmative non variata tamen dispositione Martyrologii Romani .*

3. An in festo S. Marci , ac in Feriis Rogationum , si in iis fiat de Festo duodecim Lectionum in iis locis , ubi una tantum Missa cantatur pro Populi majori commoditate , ut possit post Processionem vacare laboribus , an oporteat potius cantari Missam de Festo , quam de Rogationibus ?

℟. *Convenientius est Processionem facere post Nonam , inde cantare Missam Rogationum .*

4. An in Festo B. M. V. de Monte Carmelo non tantum Evangelium , sed etiam tota Missa (exceptis tribus Orationibus) sit de Festo S. Mariae ad Nives post concessionem hujus Officii factam a S. M. Benedicto PP. XIII.?

℟. *Dicatur Missa a Sede Apostolica approbata , quae incipit* ; Gaudeamus omnes .

5. An si per Dedicationem Ecclesiae , vel aliud Festum cadens in Dominica impediatur Initium Scripturae talis Dominicae ; et per Octavam non sit locus pro eo , quod omnes dies sint de die infra Octavam , praeter unam forte , quae tamen habeat Lectiones de Communi assignatas , tunc tale Initium sit omittendum , vel potius reponendum in illo Festo , omissis Lectionibus assignatis ? Et quod si illud Festum sit duplex majus ?

℟. *Initium Scripturae aut transferendum est ad diem liberam , etiamsi post Octavam hoc eveniat , aut anticipate legendum . Sed in Officio , pro quo assignatae sunt Lectiones de Communi , illae sunt legendae , quod faciendum est etiam in Duplici majori : Rubric. Breviar. de Lection.*

6. An in Octava Dedicationis ita omnia sint de die Dedicationis praeter Lectiones secundi , et tertii Nocturni , ut etiam Lectiones primi Nocturni sint desumendae ex die Dedicationis ; licet dies Octava occurrat in Dominica habente Initium Scipturae .

℟. *In die octava Dedicationis semper sunt repetendae Lectiones in primo Nocturno, quae iam lectae fuerunt in primo Nocturno Officii de ipsomet Festo Dedicationis.*

7. Si Festum SSrum Philippi, et Jacobi veniat infra hebdomadam quartam post Pascha, et in Dominica quarta veniat Festum duplex non habens Lectiones assignatas de communi, nec proprias, Scriptura talis Dominicae sit in tali Festo ponenda, non obstante quod eaedem Lectiones rursus infra illam septimanam occurrant in Festo SSrum Philippi, et Jacobi: vel an sufficiat, quod talis Scriptura ponatur in Festo horum Apostolorum; et an in Festo occurrente in Dominica possint poni Lectiones de communi?

℟. *In Dominica quarta legantur Lectiones.* Init. Epistolae B. Jacobi Apostoli. *In festo autem SSrum Apostolorum Philippi et Jacobi legendae erunt Lectiones ejusdem Epistolae, quae occurrunt dicendae in illa Feria.*

8. In Rubricis in primis Vesperis SSmi Corporis Christi dicitur, quod illi duo Psalmi: *Beati omnes*: et: *Lauda Jerusalem*: debeant alternari, quod etiam praescribitur de Antiphonis. Quaeritur: an omissi una die propter festum duplex occurrens, debeant postea reponi, et dici alia die, in qua fiat de Octava, an vero computandi sint dies illi, ac si in eis non fuissent positi tales Psalmi, et Antiphonae cum alternatione?

℟. *Negative.*

9. An quando dies octava Dedicationis impeditur per Festum majoris ritus, et in ea occurrat Dominica, vel concurrat in primis vel secundis Vesperis semiduplex, commemoratio Octavae sit facienda ante commemorationem Dominicae occurrentis, vel semiduplicis concurrentis?

℟. *Commemoratio diei Octavae facienda est ante commemorationem Dominicae occurrentis, et semiduplicis cujuscumque concurrentis.*

10. An Festa affixa Dominicis dicbus, ver. gr. Patrocinii, Raphaelis etc. possint celebrari in diebus octavis?

℟. *Non possunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quae sunt concessa pro locis, et Ecclesiis particularibus ad eorum instantiam. At quando Officia praedicta sunt de praecepto pro aliquo Statu, sicuti sunt Officia plura B. M. V. concessa a S. M. Benedicto XIII. pro Statu Ecclesiastico affixa certis diebus, transferuntur.*

11. Jam in omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini post Festum omnium Sanctorum 13. Novembris celebratur solemnis commemoratio omnium defunctorum confratrum dicti Ordinis. Quid si illa die 13. Novembris alicubi adsit festum duplex translatum, aut occurrens? Eritne hujusmodi duplex ulterius transferendum, vel occurrens simpliciter transferendum, vel duplex celebrandum, et tamen peragendum cum Officio defunctorum, et dicendae omnes Missae pro defunctis confratribus praeter unam de festo? vel eritne Officium alia die dicendum, et tunc non amplius in eo celebrando convenient Monasteria Ordinis Nostri?

℟. *Commemoratio omnium defunctorum non est transferenda, sed si*

die illa occurrat Festum dup. min. seu translatum fiet Officium de Festo duplici cum Missa solemni post Tertiam; Officium vero defuntorum recitandum erit post Laudes, et omnes Missae privatae dicentur pro defunctis in paramentis nigris.

12. An infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Dominica secunda, vel tertia Adventus etiam in Hymnis Dominicae; *Conditor alme Syderum*; sit dicenda clausula; *Gloria Tibi Domine, qui natus etc.*, vel in Hymnis Dominicae propriis retinenda sit clausula: *Laus, honor, virtus, gloria*; tamquam propria?

℟. *Omnes hymni terminentur cum versibus*; Gloria Tibi Domine, qui natus es de Virgine etc.

13. An ubi Festum SSmae Trinitatis est Titulus Ecclesiae, sive est in Patronum, sit dicendum Symbolum S. Athanasii per totam Octavam, sive Officium fiat de Octava, sive de alio Festò occurrente?

℟. *Negative, et Symbolum S. Athanasii recitetur solum in solemni Festo SSmae Trinitatis, et in die octava ejusdem.*

14. Cum modo plura Festa a die obitus translata sortita sint aliam diem fixam v. g. S. Petrus Urseolus, S. Canutus, S. Bonifacius IV. S. Pius V., S. Columbanus, S. Eusebius, S. Petrus Chrysologus etc. Quaeritur; an haec Festa sint annuntianda in Martyrologio diebus sui obitus, vel die antecedenti, quo eorum faciendum est Festum, et Officium, et sub quibus formulis?

℟. *Annuncianda sunt festa iisdem diebus, et verbis in Martyrologio Romano descriptis. Quod si eorum transferantur Officia, pridie quam celebrentur, potest nunciari Festum illius Sancti, de quo sequenti die agetur solemnis memoria.*

Propositis in S. R. C., ab Emo, et Rmo D. Card. Georgio Spinula Ponente, ad instantiam P. Abbatis Monasterii Einsidlensis Ordinis S. Benedicti Congregationis Elvetiae, Dubiis in adnexis foliis, super quibus ab eadem S. C. captae fuerunt resolutiones in eorum margine notatae etc. Et ita etc. *Die* 5. *Maii* 1736.

3895. EINSIDLEN.

Reliqua Dubia proposita ab Abbate Monasterii Einsidlensis Congregationis Elveticae Ordinis S. Benedicti super nova Breviarii impressione, pro quorum declaratione S. R. C. exoratur humillime.

1. An in occurrentia Festorum ejusdem ritus, et alias quomodocumque parium, sit eorum praelationis causa Religio, aut etiam Natio, v. g. si fuerit Ordinis nostri, aut si fuerit Germanus?

℟. *Primo loco habebit Officium Ecclesiae particularis*, 2. *Ordinis seu Religionis*, 3. *Dioecesis*, 4. *Nationis*, 5. *Ecclesiae universalis*.

2. An contra decretum de anno 1629. 23. Decembris adhuc sit in Oratione de S. Petro Nolasco retinendum ly; *Nolascum*, quod nonnulla Breviaria adhuc retinent?

℟. *Expungantur omnino in Orationibus tantum Cognomina, et Patriae Sanctorum.*

3. Quae Responsoria sint dicenda pro XII. Lectione de Sancto v. g. Si-

mone, ubi S. Helladii Festum, quod est de indulto, celebratur die 18. hujus. An scilicet ℟. primum primi Nocturni, vel in nocturno Feriae correspondente?

℟. *Dicatur*. ℟. *primum primi Nocturni desumptum a Communi unius Martyris, non vero Responsorium Nocturni, quod correspondet Feriae.*

4. An Octava S. Scholasticae impediat preces etc. specialiter autem si dies Cinerum cadat infra Octavam nominatam; an tunc illa die dicendae sint preces; quae alias omittuntur in omnibus Octavis?

℟. *Octava S. Scholasticae impedit preces, quando de illa fit Officium. Quod si Octava occurrat in Feria IV. Cinerum, dicantur preces, sed nihil fit de Octava, quae terminatur ad primas Vesperas Feriae IV. Cinerum exclusive.*

5. An conformiter ad Decretum Sacrae Rituum Congregationis de commemoratione Octavae Sanctae Scholasticae in die Cinerum omittenda, etiam in Dominica Passionis infra Octavam Sancti Benedicti cadente; et ejusdem Dominicae in primis Vesperis sit omittenda commemoratio Octavae?

℟. *In primis Vesperis facienda est commemoratio de die infra Octavam, quando Octava celebratur post Dominicam Passionis; secus autem si dies octava incidat in eamdem Dominicam Passionis: quia propter Dominicam privilegiatam cessat Octava.*

6. Cum frequens nimis sit Homilia in Evangelium: *Dixit Petrus ad Jesum*; S. Hieronymi, scilicet; *Grandis fiducia etc.*; legitur enim in Officio mensili S. Benedicti, item in ejus solemni Festo, et pro aliis Abbatibus; petitur facultas apponendi aliam in ejus solemni Festo, nempe Homiliam ex Ven. Beda, quae incipit; *Perfectus ille etc.* seu aliam ex iisdem Homiliis approbatis in communi Abbatum?

℟. *Pro gratia, et apponatur seu Homilia S. Bernardi Abbatis, seu alia S. Joannis Chrysostomi, quae est in Communi Abbatum in Breviario vetere Einsidlense; nisi Homilia, quae petitur, et inscribitur Ven. Bedae conveuientior sit, et accommodatior Festo, rebus gestis, ac virtutibus S. Benedicti, quo casu ista aliis praeferatur.*

7. Quale Responsorium sit dicendum post penultimam Lectionem in Officio SSrum̃ Philippi, et Jacobi, quando illud Festum in Dominica cadens amittit suam ultimam Lectionem, cujus loco legitur Homilia in Evangelium ejusdem Dominicae occurrentis?

℟. *Si festum SSrum̃ Apostolorum Philippi, et Jacobi occurrat in Dominica, Responsorium ultimum, quia est proprium, dicatur loco penultimi, quod est de Dominica, prout contigit anno* 1729.

8. An secundum communem modum transferri debeat Festum Inventionis, S. Crucis cadens in Dominicam, in qua celebratur Festum Dedicationis Ecclesiae; an tunc, inquam, hoc Festum S. Crucis, utpote secundae classis debeat expectare usque ad diem aliquam non impeditam, vel possit statim sequenti die fieri, licet Festo duplici impedita?

℟. *Transferatur Officium S. Crucis, et licet sit secundae clas. reponi debet prima die festo dup. vel semidup. non impedita.*

9. Quando Festum SSmi Corporis Christi occurrat in Festo S. Joannis Baptistae; quaeritur: quando recitandum erit Officium S. Joannis?

℟. *Si Festum S. Joannis Baptistae, sive aliud ex solemnioribus venerit in die Corporis Christi, Officium S. Joannis singulari privilegio transfertur in sequentem diem a quocumque Officio duodecim Lectionum etiam impeditam cum commemoratione Octavae; sed in secundis Vesperis Corporis Christi fit commemoratio tantum S. Joannis. Coetera vero Festa solemniora occurrentia in dicta die Corporis Christi transferuntur infra Octavam in primam diem non impeditam.*

10. An Festum S. Chiliani Martyris sit celebrandum cum Sociis de communi plurimorum Martyrum, vel sine sociis de communi unius Martyris?

℟. *Fiat Officium de communi unius Martyris.*

11. Item quae Oratio dicenda sit in Festo S. Chiliani Martyris?

℟. *Infirmitatem.*

12. Item quae Oratio, et Missa in Festo S. Uldarici 4. Julii.

℟. *Missa erit* Statuit etc.; *et Oratio*; Da quaesumus etc.

13. Cum Festum Sacrarum Reliquiarum, quae in aliquibus Ecclesiis Ordinis Nostri asservantur, celebretur sub ritu duplici secundae classis in die Dominica, quae tamen non est dies fixa, cum aliquando occurrat in Dominica Festum S. Lucae Evangelistae; Quaeritur: quale sit transferendum, et de quo celebrandum sit Officium?

℟. *Non est transferendum Officium S. Lucae.*

14. An omues teneantur celebrare Festum B. M. V. de Monte Carmelo die fixo 16. Julii?

℟. *Affirmative.*

15. An in secundis Vesperis S. Emiliani Abbatis, quod est dup. maj., et quae coincidunt cum Festo omnium SSrum Monachorum, facienda sit commmeoratio de S. Emiliano, utpote qui et ipse est unus ex iisdem Sanctis Monachis, quorum festus dies celebrari incipit in primis Vesperis?

℟. *Affirmative.*

16. Si ob Festum SSmi Nominis Jesu contingat transferri Festum, S. Mauri Abbatis, quod est Festum secundae classis; quaeritur: quando celebrabitur Officium S. Mauri, et an expectanda sit dies non impedita?

℟. *Officium S. Mauri fiat prima die non impedita.*

17. An Festum B. M. V. de Monte Carmelo, ejusdemque Festum (*forte Officium*) celebrandum sit ab omnibus de praecepto?

℟. *Affirmative, et servetur Decretum 24. Sept.* 1726.

18. An Festum SSmi Nominis Mariae celebrandum sit Dominica infra Octavam Nativitatis, vel in ipsa die octava?

℟. *Affirmative ad utrumque, et ex praecepto; et quando ipsa dies octava Nativitatis incidat in Dominica, nulla fiat commemoratio octavae.*

19. An Festum Sacrarum Reliquiarum, quae asservantur in Ecclesiis Ordinis nostri, celebrandum sit, et qua die mense Octobri?

℟. *Affirmative, et die 30. Octobris.*

20. Cum plerumque Officium Monasticum careat in primo Nocturno

Lectionibus Sacrae Scripturae; quaeritur: an in Festo S. Mariae Magdalenae de Pazzis legendae sint Lectiones de com., vel de Canticis, ut in festo S. Mariae Magdalenae poenitentis?

℟. *Dicantur omnino Lectiones de communi.*

21. Quaeritur: quae lectiones primi nocturni sint legendae in Festo S. Alexii?

℟. *Omnino de communi, et quae positae sunt primo loco, nisi aliae sint in eodem communi, quae magis sint accommodatae virtutibus, et rebus gestis Sanctorum, de quibus ea die fit Officium.*

22. Quando contigit fieri Officium infra octavam Dedicationis v. g. feria 2., et 4. quaeritur: quae Responsoria sint dicenda? Item: quae Absolutiones, et Benedictiones in praedictis Officiis?

℟. *Responsoria tunc dicantur, juxta ordinem distributum in dandis Benedictionibus: Absolutiones autem, et Benedictiones varientur per hebdomadam, juxta ordinem praescriptum in feriis, et qui reperitur impressus in Breviario Einsidlensi ante Psalterium.*

23. Quaeritur: An, quando in Officiis Sanctorum adsunt Hymni proprii, et particulares, Responsoria, Antiphonae etc., ista omnia dicenda sint de praecepto, itaut minime liceat ea desumere a communi?

℟. *Propria omnia dicenda sunt, et ex praecepto.*

24. Cum in festo S. Marci, et in Feriis Rogationum, ex nupero S. R. C. Decreto, debeat, et convenientius sit, post Nonam facere Processionem, inde cantare Missam Rogationum, petitur facultas cantandi Missam Rogationum ante Officium diei, ut populus, qui frequentissimus adesse solet tempore Matutino in Ecclesiis, possit vacare laboribus.

℟. *Pro gratia, et poterit cantari Missa Rogationum ante Processionem pro populi commoditate.*

25. An in Officio S. Mariae in Sabbato facienda sit commemoratio S. Benedicti, et S. Scholasticae?

℟. *Affirmative quoad primum, et Negative quoad secundum.*

26. An in Officio de S. Benedicto, quod celebrari solet in singulas hebdomadas, facienda sit commemoratio S. Scholasticae?

℟. *Negative.*

27. An in Officio SS̃mi Sacramenti, quod recitatur singulis Feriis V. in Germania, et in Officio Immaculatae Conceptionis, quod ex indulto S.R.C. recitatur in Germania sub ritu duplici in Sabbato, facienda sit commemoratio S. Benedicti?

℟. *Servetur Rubrica de commemorationibus, et commemoratio de S. Benedicto fiat in semidup., simplici, et Feriis; et quoad Officia S. Benedicti, S. Scholasticae, SS̃mi Sacramenti, et Immaculatae Conceptionis, servetur Decretum die 20. Martii 1706., (3592.), quo prohibentur hujusmodi Officia celebrari intra Quadragesimam, Adventum, quatuor Tempora, Ferias Rogationum, et Vigilias omnes sive cum Jejunio, sive sine jejunio.*

28. An in Officio votivo Immaculatae Conceptionis in Antiphona, quae

dicit: *Post Partum inviolata permansisti*, dici possit *Immaculata*?

℟. *Negative*.

29. An in Officio defunctorum in Vesperis, et in Laudibus dicendi semper sint Psalmi appositi: *De profundis*: et, *Lauda Anima mea Dominum*: an aliquando sint relinquendi?

℟. *Servetur Rubrica Breviarii Romani, et Ritualis itidem Romani, et post Vesperas, et Laudes in Officio defunctorum omittantur psalmi*: De Profundis: *et* Lauda Anima mea Dominum: *tantum in die omnium Fidelium defunctorum, et in die depositionis defuncti*.

30. Cum septimum Responsorium in commune Virginum sit: *Afferentur Regi Virgines*: Octavum vero sit; *Prudentes Virgines etc.*; cum suo versu: *Media autem nocte clamor factus est etc.* Quaeritur: An in nova Breviarii impressione ita servandum sit, seu potius Responsorium septimum ponendum sit loco octavi, et octavum Responsorium recitandum sit loco septimi?

℟. *Septimum Responsorium erit*: Prudentes Virgines, *octavum vero erit*: Afferentur Regi Virgines etc.

31. An infra octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V., vel S. Benedicti, et aliorum Sanctorum, occurrente aliqua Feria, Missae debeant dici de Feria, vel de die infra octavam, prout contigit 24. Martii 1736., et quatenus Missae dicantur de Feria, quaenam Orationes in Missis apponi debeant?

Item quaeritur; quae Praefatio dicenda sit?

℟. *Quando occurrit Vigilia, aut Feria quatuor Temporum infra octavam Conceptionis B. M. V. debet recitari Officium de die infra octavam Conceptionis. Missae autem sive una cantetur, sive legantur, dicantur de Feria quatuor Temporum cum secunda Oratione de Octava, tertia vero de Spiritu Sancto, quae semper dicitur infra Octavas Festorum B. M. V., juxta tit. 9. de Orationibus num. 7., et 9. Nam Oratio, quae ibi praescribitur dicenda secundo loco, ponitur in 3. loco. At si Feria quatuor Temporum occurrat in die octava Conceptionis, omnes Missae privatae dicantur de Octava Conceptionis cum commemoratione Feriae. Missa autem solemnis, quae dicitur post Tertiam erit de ipsa die octava Conceptionis sine commemoratione Feriae, cum de ea cantari debeat alia Missa post Nonam sine commemoratione Conceptionis, de qua nulla hic est habenda ratio. Dicendae autem sunt Orationes assignatae in ipsa Feria, nempe*; Deus, qui de B. M. V. utero; *et tertia* Ecclesiae, *vel* pro Papa; *cum Praefatione communi, ut videre est in Rubrica Missalis Romani. Idem servandum est in Missa, et Officiis S. Benedicti, nec non aliorum SSrum ex speciali privilegio Octavam in Quadragesima habentibus; quod si Officium recitetur extra tempus Passionis, Missae omnes dici debent de Feria cum commemoratione Octavae, et tertia Oratione* Concede; *non vero*; A cunctis. *Tempore autem Passionis, quando contingat fieri Officium de infra Octavam, unica cantari debet Missa de Feria cum commemoratione diei infra Octavam, et Praefatione de Octava*,

si habeatur propria, ut dictum est superius de Octava Conceptionis.

32. Quaeritur: an in Missa feriali, quae substituitur Missae de Octava, sit genuflectendum in Choro?

℟. *Affirmative in omnibus Missis ferialibus etiam infra Octavas.*

33. Quaeritur tandem: quae orationes dicendae sint in Missa votiva, quae celebrari aliquando potest infra Octavam?

℟. *Si infra Octavam dicatur aliquando Missa votiva, tunc prima Oratio erit propria de Missa, secunda de Octava, tertia autem de Feria; et non recitetur Evangelium Feriae; sed Initium S. Joannis, nempe:* In principio.

Die Sabbati 23. Junii 1736. Propositis a me in S. R. C. ad instantiam, et supplicationem P. Abbatis Monasterii Einsidlensis Dubiis, de quibus in adnexis foliis, fuerunt super illis captae resolutiones in eorum margine notatae: *Georgius Card. Spinula Ponens.*

Einsidlen. Propositis in S.R.C. ab Emo, et Rmo D. Card. Georgio Spinula ad instantiam P. Abbatis Monasterii Einsidlensis Ordinis S. Benedicti Congregationis Helveticae suprascriptis Dubiis, illisque mature perpensis, atque examinatis.

S. eadem C. resolutiones in eorum margine adnotatas approbavit, et imprimi posse concessit. *Die* 23. *Julii* 1736.

4896. SENOGALLIEN.

Inter moderaum Priorem, et Clerum Parochialis Ecclesiae S. Severi Terrae Montis Novi Dioecesis Senogallien. ex una, et Societatem SSmi Sacramenti ejusdem Terrae partibus ex altera, super jure praecedendi in Processionibus, aliisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D.Card. Guadagni infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An liceat confratribus Ven. Societatis SSmi Sacramenti Terrae Montis Novi incedere cum intortitiis post Clerum hinc inde, et ante baldachinum in solemnitate SSmi Corporis Christi, sive potius teneantur incedere a latere ejusdem baldachini, in casu etc?

2. An idipsum liceat in Processione, quae fieri solet Feria VI. majoris hebdomadae cum Statua defuncti Salvatoris, seu potius teneantur etiam incedere a latere Statuae in casu etc.?

S. eadem C., partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative ad primam partem*; *Affirmative quoad secundam*.

Ad 2. *Provisum in primo, et amplius*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 5. *Maii* 1736.

3897. ARIMINEN.

Delatis ad S.R.C. controversiis verten. inter Mansionarios Ecclesiae Cathedralis Ariminen. ex una, et Martinum Ugolinum Vicarium Curatum dictae Ecclesiae ex altera partibus, super jure praecedendi in associatione cadaverum, eo quod praetendant illi collegialiter accedentes, non interveniendibus tamen capitulariter Canonicis, praecedentiam sibi deberi praelative ad Vicarium Curatum in absolutione, et associatione cadaverum de Pa-

rochia Ecclesiae Cathedralis tumulandorum in dicta Ecclesia, vel in alia; super quibus Emus, et Rmus D. Card. Gotti infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An, Canonicis capitulariter non intervenientibus, gestatio stolae, et praecedentia in associatione, et in absolutione cadaverum de Parochia Ecclesiae Cathedralis Ariminen. tumulandorum in dicta, vel in alia Ecclesia, debeatur alicui ex Mansionariis collegialiter accedentibus, vel potius Vicario Curato amovibili ejusdem Cathedralis in casu etc?

Et S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, rescribendum censuit: *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam Dubii partem*; *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 5. *Maii* 1736.

3898. FIRMANA.

Praetendente Alexandro Fabritii Canonico Praebendato Ecclesiae Cathedralis Firmanae in ejus hebdomada, quando exercet officium diaconale in Missa solemni, assistente Rmo Archiepiscopo, committere tale officium suo Coadjutori, et insuper per seipsum exercere diversum officium libri, coram eodem Rmo Archiepiscopo, quod ad Nicolaum Torrenti alterum Canonicum Praebendatum spectaret, ortis inter ipsos controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D.Card. Georgius Spinula infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An Alexander Fabritii in ejus hebdomada, seu turno adstrictus exercere officium diaconalem in Missa solemni, assistente Archiepiscopo, possit tale officium committere suo Coadjutori, et insimul exercere per se ipsum alterum diversum officium libri coram supradicto Archiepiscopo in praejudicium Praebendati immediate sequentis?

Et S. eadem R. C., audito in scriptis, et in voce Procuratore tantum praefati Alexandri Fabritii, ad relationem ipsius Emi Ponentis rescribendum censuit: *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 23.*Junii* 1736.

3899. RHEGIEN.

Cum Octava S. Annae Tituli Ecclesiae Patrum Capuccinorum Oppidi Novellarae Dioecesis Rhegien. incidat in diem 2. Augusti, in qua celebratur in tota Religione Minoritana sub ritu dup. maj. Festum Dedicationis S. Mariae Angelorum cum Indulgentia de Portiuncula; et quia, juxta Rubricas minime transferri valeat: P. Procurator Generalis ejusdem Ordinis pro facultate, ut in posterum in praefata Ecclesia die 2. Augusti peragi possit in Officio, et Missa dictae Dedicationis commemoratio Octavae S. Annae, S.R.C. humillime supplicavit.

Et S. eadem C., *petitam gratiam, ratione Indulgentiarum, et Populi concursus, concedendam, esse* censuit. *Die* 23. *Junii* 1736.

3900. BRUGEN.

Rmus Episcopus, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Brugen. a S. R. C. infrascripta Dubia declarari demisse supplicarunt.

1. An Festa Dioecesana occurrentia eodem die cum Festis Romanis praeponenda sint Festis Romanis ejusdem ritus, et solemnitatis ex. gr. die

4. Decembris Festum Dioecesanum S. Barbarae occurrit cum Festo duplici Romano S. Petri Chrysologi, dubitatur, et quaeritur, quod Festum prius sit celebrandum?

2. Cum semiduplex incidit in Festum habens octavam, vel in Dominicam infra octavam, et dies immediate sequens non est impedita, sed restat celebrandum duplex: quaeritur: an die immediate sequenti debeat celebrari duplex, juxta Rubricas de translatione Festorum num. 7.: an semiduplex, juxta easdem num. 5. ex. gr. anno 1736. Festum Ascensionis Domini incidit in 10. Maii, seu in Festum semiduplex S. Antonini, sed restat celebrandum Festum S. Petri Martyris; quaeritur, an 11. Maii sit celebrandum Festum S. Petri, an S. Antonini?

3. An die 23. Januarii in Festo Desponsationis B. M. V. sit facienda commemoratio Sponsi ejus S. Ioseph tam in Officio, quam in Missa?

4. Cum Festum S. Gregorii VII. ex mandato Benedicti PP. XIII. sit celebrandum 25. Maii, quo die antea celebrabatur Festum semiduplex S. Mariae Magdalenae de Pazzis: quaeritur: an hoc Festum habeat diem fixum, an vero sit transferendum in primam diem non impeditam?

5. An Festum Nominis B. M. V. in Dioecesibus Imperatori subjectis sit duplex majus, prout in Breviario ponitur, an vero duplex secundae classis ob Indulgentias Plenarias ab Innocentio PP. XIII. anno 1722. concessas, prout in Dioecesi Viennensi? Nisi enim sit duplex secundae classis saepius differendum erit ob diem octavam SSrum Angelorum Custodum, vel Festum Exaltationis Sanctae Crucis.

6. An in Festo S. Luciae 13. Decembris in Officio possit legi nona lectio propria de S. Judoco Festo hujus Dioecesis, de quo eo die fit commemoratio?

7. An 18. Decembris in Festo Expectationis Partus B. M. V. finis Hymnorum sit: *Jesu tibi sit gloria*, sicut in aliis Festis B. M. V. an non?

8. An, dum Missa cantatur coram Venerabili Sacramento in Altari exposito, debeat fieri commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes, an post omnes orationes de praecepto dicendas? Item: an eadem commemoratio possit, vel debeat fieri in festis primae, vel secundae classis?

9. An Sequentia in Missa de SSmo Nomine Jesu dicenda, vel omittenda sit in ipso Festo?

10. An, dum in Choro, praeter Missam conventualem, cantatur Missa votiva ex fundatione, in hac Missa debeat fieri commemoratio Festi, de quo cantatur Missa conventualis?

Et S. eadem R. C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Zondadari Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Detur Decretum sub die* 12. *Julii* 1704. (3551.)

Ad 2. *Dentur Decreta sub diebus* 3. *Septembris* 1679. *et* 16. *Septembris* 1702. (2754. 3485.)

Ad 3. *Servetur Rubrica, quae habetur in Officio Desponsationis.*

Ad 4. *Esse assignandam primam diem non impeditam.*

Ad 5. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 6. *Affirmative.*

Ad 7. *Servetur Rubrica*.

Ad 8. *Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes Orationes de praecepto, et in Missis solemnibus celebrandis in Festis primae, et secundae classis esse eamdem commemorationem faciendam sub unica conclusione*.

Ad 9. *Sequentiam esse omittendam*.

Ad 10. *Negative*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Junii* 1736.

3901. PLACENTINA.

Ex parte Magistri caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Placentinae S.R.C. pro declaratione infrascripti Dubii demisse supplicatum fuit.

An in Feria VI. Parasceve, expleta hujus diei officiatura, solemnes exequiae supra cadaver cujusdam Monialis expositum in Ecclesia interiori libere celebrari possint a Sacerdotibus in Ecclesia exteriori, ut moris est, decantantibus mortuale Officium cum intortitiis accensis?

Et S. eadem R. C., audita prius informatione Episcopi, ad relationem Emi, et Rmi D.Card.Zondadari, respondendum censuit: *Negative per totum triduum, et Officium, et Preces recitentur privatim*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Augusti* 1736.

3902. BRIXIEN.

Canonicis, et Clero insignis Collegiatae Ecclesiae S. Laurentii Terrae Virolae Brixien. Dioecesis demisse S. R. C. supplicantibus pro resolutione infrascriptorum Dubiorum.

1. An quando post aliquam sacrae Crucis expositionem, vel Processionem reponitur, benedicendus sit populus cum ipsa, ut nonnulli in hac Provincia practicant, licet hujusmodi benedictio saltem relate ad Processionem, teste Tonellio Sacr. Rit. etc. lib.3. cap. 2. §.4. num. 6., nullibi praescribatur?

2. An quando incensatur, incensanda sit a Celebrante genuflexo, ut pariter aliquibus hujus Provinciae visum est, vel stante, ut tenet Tonellius lib. citato, cap. 3. num. 22., et Michael Bauldry de thurificatione: artic. 2. num. 5. docentes cultum incensandi genibus flexis soli Augustissimo Sacramento competere?

3. An Capitulo, et Clero processionaliter transeuntibus ante Altare, in quo recondita est, genuflectendum sit illi, et a quibus, videlicet, an ab omnibus indiscriminatim, ut nonnulli ajunt, et praestant alicubi, an vero caeteris de Clero genuflectentibus, Canonicis, aliisque a Caeremoniali Episcopali Lib. 1. cap. 18. exceptis, ubi agitur de cultu simplicis Crucis, se illi profunde inclinare, tantummodo sufficiat, ut ex superioribus auctoritatibus inferri videtur?

S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Zondadari Ponentis respondit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. et 3. *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1736.

3903. EUGUBINA.

Inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Eugubii Alexandrum Piccini anteriorem in Ordine Sacerdotali, et Nicolaum Marioni posteriorem in Ordine,

et anteriorem in possessione Canonicatus, exortis super jure praecedendi in Choro controversiis, illisque ab Emo, et Rmo. D. Card. Pro-Auditore SSmi ad S. R. C. remissis, Emus, et Rmus D. Card. Georgius Spinula in relatorem deputatus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Alexander Piccini Canonicus Sacerdos Ecclesiae Cathedralis Eugubii praecedere debeat tam in Choro, quam in omnibus aliis ecclesiasticis functionibus Nicolaum Marioni Canonicum Clericum ejusdem Cathedralis anteriorem habentem possessionem sui Canonicatus? Et quatenus affirmative.

2. An dictus Canonicus Marioni, promotus postea ad Sacerdotium, praecedere debeat dictum Canonicum Piccini in Ordine Sacerdotali anteriorem in casu etc.?

Et S. eadem R. C., tam in scriptis, quam in voce utraque parte audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1736.

3904. PERUSINA.

Auctor ordinis Divini Officii Ecclesiae Perusinae exposuit, quod cum in executionem Decreti generalis S. R. C. editi sub die 7. Decembris 1706. (Decretum non est generale, sed in una Ordinis, Capuccinorum Provinciae Leodien. num. 3600.: licet autem particulare sit, habetur tamen pro regula generali, et generale evasit per praesentem declarationem) assignavit de Ordinarii loci consensu pluribus Officiis universalis Ecclesiae impeditis ex pluribus peculiaribus Officiis altioris ritus, seu dignitatis diem fixam, videlicet primam proxime non impeditam Officio alicujus Sancti duplici, vel semiduplici; cum modo nonnulli saeculares Praesbyteri contendant observationi enunciati Decreti obstare alia posteriora, et recentiora, nempe anni 1721., et 1722., quibus praetendunt, revocatum extitisse dictum antecedens Decretum anni 1706.; propterea pro declaratione S. R. C. humillime supplicavit: An dictum Decretum anni 1706. esset generale, et in sua viridi observantia, ac per consequens omnino exequendum?

Et S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Zondadari Ponentis, rescripsit: *Servetur Decretum generale anni* 1706. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1736.

3905. RUBRICARUM.

Ex parte compositoris Calendarii Romani S. R. C. humillime supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, nempe.

1. An in Missis ferialibus a Dominica Passionis usque ad Feriam V. in Coena Dñi, occurrente Festo simplici, adhuc dicenda sit tertia Oratio: *Ecclesiae*: vel: *pro Papa*: et an eadem tertia Oratio recitanda quoque sit infra octavas Paschatis, et Pentecostes?

2. Officia B. M. V., nempe Desponsationis, Patrocinii, Translationis almae Domus Lauretanae, et Expectationis Partus a S. M. Benedicto XIII. die 23. Augusti 1725. pro toto Statu ecclesiastico concessa, sub quo ritu recitari debeant?

S. eadem R. C., ad primum, inhaerendo resolutionibus alias in simili Du-

bio editis, et signanter in una Rubricarum die 22. Novembris 1659., (1866.) in Cesaraugustana 13. Septembris 1692., (3142) et in Pistorien. 4. Maii 1709. (3659.) ad relationem Emi, et Rmi D.Card.de Gentilibus Ponentis, respondit: Ad 1. *Nihil esse innovandum, nempe, non esse dicendam tertiam Orationem.*

Ad 2. *Sub ritu duplici majori*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1736.

3906. TOLETANA.

Ex parte Ignatii Cocchi Magistri caeremoniarum regalis Monasterii nuncupat. *delle Scalze*, Oppidi Matriti Dioecesis Toletanae humillime supplicatum fuit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum.

1. Occurrente Festo duplici saecundae classis octavam habente cum Dominica Septuagesimae, si (sequentibus feriis occupatis) transferatur ad sequens Sabbatum; secundae Vesperae erunt ut in primis, aut ut in secundis Festi cum commemoratione Dominicae in Sexagesima, aut erunt de Psalterio a Capitulo de Dominica cum commemoratione diei octavi, ut in primis Festi; et quid si dies octava habeat Orationem propriam?

2. Si Festum Purificationis B. M. V. occurrerit in supradictis Dominicis: an in Ecclesiis dicatis sub titulo Annunciationis, vel Assumptionis etc., poterit dici Missa de Purificatione; et si in Ecclesiis praecipuis erunt cantandae duae Missae de Dominica, et de Purificatione; ac ubi tantum cantatur una Missa, an fiat sine alterius commemoratione?

3. In Processione Feriae VI. in Parasceve cappae, seu pluvialia deferentium hastas baldachini, utrum debeant conformari in colore cum indumentis nigris Celebrantis, aut cum albo baldachini?

4. Item in adoratione Crucis dictae Feriae, an debeant Celebrans, et Ministri deponere etiam manipulum?

5. Translato Festo semiduplici ad Vigiliam alicujus Apostoli, in Missa Festi tertia Oratio erit: *A cunctis*: vel: *Concede*?

6. Si secunda Oratio est de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia, sive ultima debet concludi = *ejusdem Spiritus Sancti Deus* = nec ne?

7. Stantibus Decretis de non addendo, mutando, vel detrahendo in Breviario Romano, nec non Decretis Officiorum noviter apponendorum in corpore, in quibus praecipitur his verbis = *debeant*, *teneantur*, *agant*; in Officiis vero provincialibus concluditur sic = *valeant*, *possint*, *recitari posse censuit*, *concessit*, *annuit* etc. Si autem in aliqua praesertim Regularium, sint tot Festa, quod non possint nonnulla semiduplicia translata, adhuc recurrente anno, reponi semel in biennio: in hoc ergo casu licebit omittere, quae sunt de Breviario, ut fiat de particularibus dicto modo concessis?

8. An possit tolerari conversio super humerum sinistrum, communicando Moniales habentes fenestellam in parte Evangelii?

Et S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Zondadari Ponentis, respondendum censuit. Ad 1. *Secundas Vesperas Festi fieri debere cum commemoratione Dominicae in Sexagesima, et in die octava esse recitandam Orationem propriam ejusdem Octavae.*

Ad 2. *Esse cantandam Missam Dominicae tantum*, *nec faciendam esse commemorationem*.

Ad 3. *Non esse adhibenda pluvialia*, *sed solum cottas a gestantibus hastas Baldachini*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Esse recitandam Orationem* = A cunctis =.

Ad 6. *Negative*.

Ad 7. *Detur Decretum Hispalen*. 26. *Novembris* 1735. (3889.)

Ad 8. *Debere descendere*, *et reverti per gradus anteriores*, *et non laterales Altaris*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1736.

3907. MECHLINIEN.

Cum ex parte Emi, et Rmi Domini Cardinalis Thomae de Alsatia Archiepiscopi Mechlinien. S. R. C. enixe supplicatum fuerit, quatenus Decreta jam pro Ecclesia Cathedrali Brugen. sub die 23. Junii 1736. ab eadem S. C. edita ad Metropolitanam Mechlinien. extendere dignaretur, prout resolutum fuit ad infrascripta Dubia, videlicet.

1. An Festa Dioecesana occurrentia eodem die cum Festis Romanis praeponenda sint cum Festis Romanis ejusdem ritus, et solemnitatis ex. gr. Die 4. Decembris Festum Dioecesanum S. Barbarae occurrit cum Festo duplici Romano S. Petri Chrysologi, dubitatur, et quaeritur; quod Festum prius sit celebrandum?

2. Dum semiduplex incidit in Festum habens Octavam, vel in Dominicam infra Octavam, et dies immediate sequens non est impedita, sed restat celebrandum duplex; quaeritur: an die immediate sequenti celebrari debeat duplex, juxta Rubricas de translat. num. 7., an semiduplex, juxta easdem num. 5. ex. gr. Anno 1737. Festum Ascensionis Domini incidit 10. Maii, seu in Festum semiduplex S. Antonini, sed restat celebrandum Festum S. Petri Martyris: quaeritur: an 11. Maii sit celebrandum Festum S. Petri, an S. Antonini?

3. An die 23. Januarii in Festo Desponsationis B. M. V. sit facienda commemoratio Sponsi ejus S. Josephi tam in Officio, quam in Missa?

4. Cum Festum S. Gregorii VII. ex mandato Benedicti PP. XIII. sit celebrandum 25. Maii, quo die ante celebrabatur Festum semiduplex S. Mariae Magdalenae de Pazzis: quaeritur: An hoc Festum habeat diem fixam, an vero sit transferendum in primam diem non impeditam?

5. An Festum Nominis B. M. V. in Dioecesibus Imperatori subjectis sit duplex majus, prout in Breviario ponitur; an vero duplex secundae classis ob Indulgentias plenarias ab Innocentio XIII. anno 1722. concessas, prout in Dioecesi Viennensi? Nisi enim sit duplex secundae classis, saepius differendum erit ob diem Octavam SSrum Angelorum Custodum, vel Festum Exaltationis S. Crucis.

6. An in Festo S. Luciae 13. Decembris in Officio possit legi nona Lectio propria de S. Judoco Festo hujus Dioecesis, de quo eo die fit commemoratio.

7. An 18. Decembris in Festo Expectationis Partus B. M. V. finis Hymnorum sit *Jesu tibi sit gloria*, sicut in aliis Festis B. M. V., an non?

8. An, dum Missa cantatur coram Ven. Sacramento in Altari exposito, debeat fieri commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes, an post omnes Orationes de praecepto dicendas? Item: an eadem commemoratio possit, vel fieri debeat in Festis primae, vel secundae classis?

9. An Sequentia in Missa de SSmo Nomine Jesu dicenda, vel omittenda sit in ipso Festo?

10. An dum in Choro, praeter Missam conventualem, cantatur Missa votiva ex fundatione, in hac Missa debeat fieri commemoratio Festi, de quo cantatur Missa conventualis?

Et S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi Domini Cardinalis Zondadari Ponentis, respondendum censuit. Ad 1. *Detur Decretum sub die* 12. *Julii* 1704. (3551.).

Ad 2. *Dentur Decreta sub diebus* 30. *Septembris* 1679., *et* 16. *Septembris* 1702. (2754. 3485.)

Ad 3. *Servetur Rubrica, quae habetur in Officio Desponsationis*.

Ad 4. *Esse assignandam primam diem non impeditam*.

Ad 5. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam*.

Ad 6. *Affirmative*.

Ad 7. *Servetur Rubrica*.

Ad 8. *Esse faciendam commemorationem de Sacramento post alias omnes Orationes de praecepto; et in Missis solemnibus celebrandis in Festis primae, et secundae classis, esse eamdem commemorationem faciendam sub unica conclusione*.

Ad 9. *Sequentiam esse omittendam*.

Ad 10. *Negative*. Et ita etiam in Ecclesia Mechliniensi servari mandavit, *excepto tamen quinto Dubio, in quo jussit, ut detur decretum sub die* 10. *Junii* 1690. Hac die 16. *Februarii* 1737.

3908. CONSENTINA PRAETENSORUM JURIUM PAROCHIALIUM, ET CENSURARUM.

Vertente controversia inter Patres Carmelitas Terrae Carule orum Consentinae Dioecesis ex una, et Parochos ejusdem Terrae, ac Promotorem Fiscalem illius Curiae Archiepiscopalis partibus ex altera, super nonnullis functionibus, et Processionibus per eosdem Patres infra annum fieri solitis tam intra eorum Ecclesiam, quam extra ambitum ejusdem cum sola licentia ejusdem Curiae, et absque consensu dictorum Parochorum, et signanter super celebratione Novenae Nativitatis Domini, circa quam iidem Patres anno praeterito obtinuerunt a S.R.C., sive Emo, et Rmo D.Card.Georgeo Spinula Ponente Decretum provisionale illam celebrandi, juxta solitum, sine tamen praejudicio jurium ambarum partium. In cujus sequelam cum Patres praedicti expleverint celebrationem praefatae Novenae, et Curia Archiepiscopalis, non obstante dicto Decreto provisionali, devenerit ad publicationem Cedulonum, et fulminationem Censurarum contra P. Priorem Conventus praedictae Terrae, ejusque Ecclesiam Interdicto supposuerit, et deinde authu-

maverit, Patres incidisse in irregularitatem, attenta celebratione Missarum per ipsos facta, et commixtione in Divinis post praelatum Interdictum; ideo proposita Causa per eumdem Emum Ponentem in S. R. C. sub infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An liceat Patribus Carmelitis Terrae Caruleorum explere functiones in eorum Ecclesia, et per Terram loci, cum licentia tantum Curiae Archiepiscopalis, seu potius cum licentia Parochorum in casu etc.?

2. An Censurae, et Interdictum sustineantur in casu etc.? Et quatenus negative.

3. An P. Prior, et Religiosi inciderint in Irregularitatem in casu etc.?

4. An petita per Patres Carmelitas licentia explendi solitas functiones in eorum Ecclesia, et ea denegata ab Ordinario, liceat iisdem illas celebrare sine ulla licentia in casu etc?

S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 2. et 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*, *et ad mentem*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 6. *Aprilis* 1737.

3909. FIRMANA.

Orta controversia inter Praetorem, et publicos Residentes Oppidi Pennae S. Joannis, et Sacerdotem Dominicum Antonium Lutii Plebanum ejusdem Oppidi Dioecesis Firmanae, super nonnullis praetensis salutationibus tam ante, quam post Missam solemnem, detecto capite faciendis, illaque ad S. R. C. delata, infrascriptum Dubium coram Emo, et Rmo D. Card. Lercario Ponente concordatum, decidendum propositum fuit, nempe.

An Praetori, et Magistratui praesentibus in sacris functionibus debeatur tam in accessu, quam in recessu per Ecclesiam, sive in plano Altaris reverentia per Celebrantes, capite detecto, seu potius cooperto, in casu etc.?

Et S. eadem C., visis juribus Praetoris, et publicorum Residentium praefati Oppidi, cum adversa pars minime comparuerit, ac proinde illorum Procuratore tantum in scriptis, et in voce audito, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Lercari Ponentis, rescribendum censuit = *Negative ad primam partem*; *Affirmative ad secundam*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 6. *Aprilis* 1737.

3910. CAPUANA.

Controversiarum inter Capitulum Ecclesiae Metropolitanae Civitatis Capuae ex una, et Hebdomarios ejusdem Ecclesiae partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Belluga infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Laudibus, et Vesperis, quae solemniter celebrantur per Canonicos, vel Dignitates, assistere debeant cum pluvialibus hebdomadarii Presbyteri, vel potius novi Mansionarii Diaconi? et quatenus affirmative quoad hebdomadarios Presbyteros.

2. An eadem assistentia praestanda sit Canonicis, et Dignitatibus celebrantibus extra Cathedralem solemniter Missam, Vesperas, et Laudes, mercede soluta?

3. An, celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in throno cum pluvialibus duo ex duodecim hebdomadariis Presbyteris cum duobus Mansionariis Diaconis, vel potius quatuor ex octo Mansionariis Diaconis?

4. An Hebdomadario celebranti sine pluviali competat primum stallum inter Hebdomadarios; et Legile nudum, dissentiente Capitulo?

5. An Hebdomadarius faciens Officium Presbyteri assistentis sit thurificandus ante Canonicos?

6. An, celebrante Archiepiscopo, teneantur Canonici deferre Crucem, et in die Epiphaniae annunciare populo Festa mobilia, vel potius utrumque teneantur facere Hebdomadarii, arbitrio Archiepiscopi?

7. An celebrante Canonico, teneatur alter ex Canonicis Psalmos intonare tam in Choro, quam in Processionibus, vel potius intonare teneantur Hebdomadarii?

8. An, in functionibus, in quibus Canonici non utuntur Mitra, teneantur ipsi Canonici canere in Choro ex proprio stallo una cum Hebdomadariis in cantu Gregoriano, vel potius onus canendi spectet etiam tunc ad solos Hebdomadarios, et Mansionarios?

9. An, translato ad diem non impeditam Festo, in quo celebrare Canonicus teneatur, adhuc Canonicus celebrare debeat in die translationis, vel potius onus celebrandi in Hebdomadarios possit refundi, mercede soluta?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Servetur Decretum Archiepiscopi*.

Ad 2. *Affirmative, Canonicis capitulariter accedentibus*.

Ad 3. *Hebdomadarios non teneri*.

Ad 4. *Affirmative*.

Ad 5. *Negative*.

Ad 6. *Affirmative quoad primam partem, deposita Mitra*; (sed Canonicis Metropolitanae instantibus, fuit concessa nova audientia;) *quoad secundam, servetur solitum, nempe, quod Canonici teneantur annunciare Festa Mobilia*.

Ad 7. *Quoad primam partem Negative, et quoad secundam Affirmative*.

Ad 8. *Affirmative quoad primam partem, Negative quoad secundam*.

Ad 9. *Canonicos non teneri, nisi dies translationum habeantur pro Festivis in Metropolitana*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 3. Augusti 1737*.

3911. AESINA PRAECEDENTIAE.

Cum nomine Nobilitatis Aesinae S. R. C. expositum fuerit, nonnullas ortas fuisse contentiones inter famulos Episcopi, aliosque famulos Nobilitatis praedictae in associatione SSmae Eucharistiae infirmis, et in aliis Processionibus fieri solitis, praetendentibus illis quandoque praecedere etiam Confraternitates, et Religiones.

S. eadem R. C., audita praecedenti relatione Episcopi, censuit rescribendum: *Competere famulis Episcopi primum locum inter alios famulos*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 3. *Augusti* 1737.

3912. RIPANA PRAEEMINENTIARUM.

Super juribus praeeminentialibus, quae variis temporibus inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae majoris, ac Priores terrae Montis Brandoni Dioecesis Ripanae ex una, et Patres Minores Observantes Conventus S. Mariae Gratiarum ejusdem Terrae partibus ex altera, exorta fuerunt, occasione Processionis, quae fieri solet tam in Festivitatibus S. Jacobi de Marchia, quam in alia Festivitate SSmae Conceptionis B. M. V., aliarumque functionum ecclesiasticarum, delatis ad S.R.C. hujusmodi controversiis, pro quibus penitus evellendis, Emus, et Rmus D. Card. Zondadarius infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Canonicis, et Clero liceat in Ecclesia Patrum Minorum Observantium, in quacumque ex consuetis Festivitatibus, occupare Chorum eorumdem Patrum, et canere Antiphonas in casu etc?

2. An ipsi Canonici in eadem Ecclesia, et occasione debeant thurificari ante omnes alios Religiosos paratos, excepto Celebrante?

3. An Priores Communitatis thurificandi sint immediate post Canonicos, et ante omnes Religiosos, etiam paratos in casu etc?

4. An Patres praedicti Minores Observantes teneantur ultima die Rogationum tradere pluviale Praeposito Canonicorum, occasione accessus ad Ecclesiam eorumdem Patrum?

5. An in binis Festivitatibus S. Jacobi de Marchia, et respective in Processionibus fieri solitis in illis diebus, Religiosi parati debeant incedere unitim cum Celebrante, seu potius Canonici praecedere debeant eisdem Religiosis paratis?

6. An iisdem Canonicis liceat in principio Processionis intonare Hymnum: *Iste Confessor*: seu potius spectet ad Celebrantem in casu etc?

7. An constet de attentatis, et quando sint purganda in casu etc?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Servetur solitum*.

Ad 2. *Servetur Caeremoniale*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Negative*.

Ad 5. *Affirmative ad primam partem*, *Negative ad secundam*.

Ad 6. *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam*.

Ad 7. *Provisum*, *et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 3. *Augusti* 1737.

3913. URBEVETANA PRAEEMINENTIARUM SUPER DUBIIS.

Proposita sub die 13. Julii proximi praeteriti per Emum, et Rmum D. Card. Zondadarium Ponentem in S. R. C. causa verten. inter Episcopum Urbevetanum ex una, et Capitulum, Dignitates, Canonicos, Beneficia-

tos, et Cappellanos ejusdem Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, illaque ad dictum Emum Ponentem pro concordia cum facultatibus ipsius S. C. remissa; cumque praedicta concordia minime sequuta fuerit, iterum sub die 3. Augusti proximi praeteriti per eumdem Emum Ponentem in S. R. C. reproposita fuit super declaratione infrascriptorum Dubiorum, nempe.

1. An, et quo habitu, et quo in loco Episcopus teneatur assistere celebrationi Missae cantatae, et recitationi Divini Officii?

2. An eidem Episcopo assistenti in Throno cum cappa recitationi Horarum Canonicarum, liceat habere Presbyteros chorales illi assistentes, superpelliceo indutos, hinc inde adstantes in casu etc.?

3. An Episcopus de se possit praescribere horas, in quibus celebrari debeant Missae lectae in Ecclesia Cathedrali, seu potius cum consensu Capituli in casu etc.?

4. An, et a quibus celebrari debeant eaedem Missae, juxta horas praescribendas, in casu etc.?

5. An liceat Vicario generali assistenti in Choro, tam praesente Episcopo, quam eo absente, habere praeter pulvinar etiam stratum, et an pulvinar debeat esse sericum, sive laneum in casu etc.?

6. An thurificatio post Evangelium debeatur Celebranti, seu potius Episcopo cum cappa assistenti in casu etc.?

7. An liceat Episcopo habere Thronum cum quinque gradibus in casu etc.?

8. An in associatione Episcopi Pontificália celebraturi tam in accessu, quam in recessu ab Ecclesia praeire debeant familiares Episcopi, deinde ipse Episcopus, et postea processionaliter Canonici; vel potius praeire debeant processionaliter Clerus, et Canonici, postea familiares Episcopi, et postea ipse Episcopus?

9. An Canonicus Cathedralis concionator teneatur Episcopo genuflectere in actu recipiendae benedictionis, seu potius tantum caput inclinare in casu etc.?

10. An tempore quadragesimali liceat Capitulo Cathedralis recitare Matutinum pro die sequenti de sero immediate post completorium in casu etc?

11. An quoties ex praescripto Rubricae celebrandae, et cantandae sunt in Ecclesia Cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare in casu etc?

12. An Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis liceat retinere in tabella Sacrarii ad publicam lecturam titulum Illmi, et Rmi in casu etc?

13. An tempore, quo Episcopus cappa indutus in ejus accessu ad Ecclesiam Venerabile in genuflexorio adorat, liceat Canonicis pergere ad sedes chorales, vel alibi, ibique genuflectere, vel stare, seu potius teneantur genuflectere circa genuflexorium Episcopi in casu etc.?

14. An Archidiacono Missam celebranti possint a Clerico folia Missalis verti, et Orationes indicari, nec non tam ipsi, quam caeteris Dignitatibus, et Canonicis possit etiam a Clerico Calix detegi, et respective tegi in casu etc.?

15. An eaedem praerogativae competant Vicario generali in casu etc.?

S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis mature perpensis, et partibus tam in scriptis, quam in voce informantibus auditis, rescribendum censuit. Ad 1. *Assistentiam choralem praestandam esse ab Episcopo cum cappa in altera ex duabus sedibus existentibus in Choro, quae congrue aptetur, ac prope Episcopum sedeant Dignitates, et Canonici, juxta ordinem.*

Ad 2. *Servetur Caeremoniale lib. 2. cap. 5.*.

Ad 3. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam*,

Ad 4. *Missas esse celebrandas tam ab his, qui tenentur ex obligatione, quam ab aliis etiam de Capitulo, si recipiant eleemosynam.*

Ad 5. *Nec pulvinar, nec stratum deberi Vicario, sed sedeat primus inter Dignitates, et Canonicos.*

Ad 6. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 7. *Negative, et servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 13.*

Ad 8. *Servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 15.*

Ad 9. *Servetur Caeremoniale lib. 1. cap. 22.*

Ad 10. *Negative.*

Ad 11. *Negative.*

Ad 12. *Negative.*

Ad 13. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad 14 *et 15. Negative, et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 3. Augusti* 1737.

3914. URBEVETANA PRAEEMINENTIARUM SUPER DECRETIS.

Panditis ad instantiam Episcopi Urbevetani, ejus Cathedralis Capitulo non audito, a Judicibus querelarum perlectis in Concilio Romano publicato sub praesidentia San. Mem. Benedicti XIII, occasione illius convocationis nonnullis Decretis circa regimen Ecclesiae Cathedralis, et Dioecesis, adverssus quatuor ex eis in parte reclamarunt Capitulum, Dignitates, Canonici, Beneficiati, et Cappellani supradictae Cathedralis, vix sequnto obitu dictae S.M. Benedicti XIII., assumptoque ad Summi Apostolatus apicem Clemente XII. feliciter regnante, supplicem libellum eidem porrexerunt, ad obtinendam revocationem, seu moderationem dictorum quatuor Decratorum in parte, quae ab eis impugnabatur; Sanctitas Sua remisit instantiam ad S. C. R. In ea itaque, propositis rationibus hinc inde deductis, tam scilicet pro parte Episcopi, quam Capituli, aliorumque de Clero Cathedralis Urbevetanae per Emum, et Rmum D. Cardinalem Zondadarium Ponentem, sub die 13. Julii 1737. discussa, et examinata fuit causa super dictis Decretis, nempe.

1. Quod Canonici, Beneficiati, Cappellani, ac caeteri assistentes in Choro abstineant in posterum a confabulationibus in Choro, nec non a praepropera Divini Officii recitatione, et a repetito discessu a Choro sine aliqua causa, et sine licentia Episcopi ibidem praesentis, et in casu absentiae illius Vicarii Generalis, quatenus interveniat, sin minus Praefecti Chori,

et in casu contraventionis punctentur, et, crescente contumacia, augeantur punctaturae, arbitrio Episcopi.

2. Quod Canonici tempore Adventus, et Quadragesimae teneantur interesse sacris Concionibus, neque in hoc tempore, et in alio Octavarum Nativitatis, et Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi gaudeant alternativa, et iis temporibus, quibus ea fruuntur, interveniant diebus Dominicis, et festivis in Choro, et assistant non solum Missae cantatae, et Vesperis, sed etiam Matutinis, et aliis horis Canonicis, et in reliquis serventur omnino Rubricae generales, et particulares quoad servitium Chori, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, et quatenus contraveniant, punctentur, et crescente contumacia augeantur punctaturae, et demum suspendantur etiam a Divinis, arbitrio Episcopi.

3. Accedente autem Episcopo cum cappa ad Ecclesiam Cathedralem tam in diebus solemnioribus, quam minus solemnibus, vel ut Divinis assistat, vel pontificaliter celebret, vel Conciones audiat, vel alia de causa, teneantur Dignitates, et Canonici capitulariter una cum Beneficiatis, et Cappellanis illum excipere in Aula, ubi se induit dicta cappa, juxta Caeremoniale Episcoporum, et associare, similique modo ad eamdem Aulam reducere, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, sub poena, arbitrio Episcopi.

4. Prohibeat expresse, ne Canonici Cathedralis recipiant tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis Ecclesiis Civitatis, et Dioecesis pulvinaria, iisque utantur tam praesente, quam absente Episcopo, occasione quarumcumque ecclesiasticarum functionum, neque in posterum sacris vestibus induant in Altari, sed in Sacrario sub poena suspensionis a Divinis, ipso facto incurrendae, non obstante quocumque usu, vel consuetudine in contrarium, etiam immemorabili.

S. eadem R. C., ad relationem dicti Emi Ponentis, respondit.

Licentiam discedendi a Choro, absente Episcopo, esse exquirendam a Praefecto ejusdem Chori.

Quoad interessentiam sacris Concionibus, et servitium per alternativam ad Sac. Cong. Concilii.

Associationem esse praestandam Episcopo a Canonicis diebus solemnioribus, et quandocumque est pontificaliter celebraturus, etiamsi ingrediatur Ecclesiam per Januam privatam, et in reliquis serventur Decreta.

Iterum pro parte Episcopi Urbevetani cum fuerit in Congregatione 3. Augusti ejusdem anni 1737, petita declaratio Rescripti super diebus solemnioribus, in quibus, ad formam supradictae Resolutionis, facienda est associatio ab Aula.

S. eadem C., ad relationem praefati Emi Ponentis rescripsit: *Dentur Decreta alias edita, et praesertim in Calaguritana sub die 17. Novembris 1607.* (217.) Et ita declaravit, et etiam in Ecclesia Cathedrali Urbevetana servari mandavit. *Die 3. Augusti 1737.*

3915. BITUNTINA CONTROVERSIARUM

Inter Dignitates Ecclesiae Cathedralis Bituntinae ex una, et Canonicos ejusdem Cathedralis partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C.

delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Gotti infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An diebus Festis, quibus celebrant Canonici, scamnum ornari debeat eodem panno serico, quo utuntur Dignitates? Et quatenus negative: Quomodo ornari debeat?

2. An Dignitatibus solemniter celebrantibus liceat retinere Abacum? Et quatenus affirmative; An idipsum, vel cum aliqua distinctione retineri valeat pro Canonicis?

3. An idem fanalium, seu intortitiorum numerus in elevatione Venerabilis adhibitus pro Dignitatibus, adhibendus sit pro Canonicis solemniter celebraturis? Et quid servari debeat in Hymno: *Te Deum*: Et in Cantico *Benedictus*?

4. An, deficiente ultima ex sex Dignitatibus, celebratio Missarum, ac Divinorum Officiorum, quae ei obtigisset, suppleri valeat, et debeat per Canonicum Presbyterum antiquiorem, seu potius per alteram ex iisdem Dignitatibus?

5. An in Capitulo generali diei 6. Augusti in aula Episcopi celebrari solito, Canonicis debeantur sedilia aequalia, et ad instar Dignitatum?

6. An Candelae, quae in Festo Purificationis B. M. V. distribuuntur Dignitatibus, debeant esse ejusdem ponderis, ac structurae?

7. An funerum emolumenta, quae per Haeredes defunctorum Capitulo solvi solent, inter Canonicos, et Dignitates aequaliter dividi debeant?

8. An Campana magna eodem modo pulsari debeat, sive celebrent Dignitates, sive Canonici?

9. An Canonici Sacrum facientes tam diebus festis, quam ferialibus, uti valeant iisdem vestibus, et ornamentis sacris, quibus Dignitates utuntur, sive potius eisdem Dignitatibus debeantur pretiosiora?

10. An pro Canonicis celebrantibus D vina Officia, Invitatorium cantandum sit a Mensionariis, seu potius a Clericis? Et quatenus Affirmative ad primam partem: An idem numerus Mansionariorum tam pro Dignitatibus celebrantibus, quam pro Canonicis adhiberi debeat in casu etc?

S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, sub die 6. Aprilis proximi praeteriti rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Affirmative ad utramque Dubii partem sine distinctione.*

Ad 3. *Affirmative.*

Ad 4. *Dilata.*

Ad 5. 6. 7. *et* 8. *Affirmative.*

Ad 9. *Affirmative ad primam, et Negative ad secundam Dubii partem.*

Ad 10. *Quoad primam partem servetur solitum, et quoad secundam Affirmative.*

Adversus hujusmodi resolutiones a S. R. C. emanatas, petita a Dignitatibus supradictae Cathedralis nova audientia, illaque ab Emo, et Rmo Domino Cardinali Gotti Ponente concessa, idem Emus Ponens in S. R. C. iterum supradicta Dubia cum aliis sequentibus proposuit, videlicet.

11. An Canonici, qui in Officio solemni cantant Lectiones, debeant esse

in eodem numero, sive illud celebretur a Dignitatibus, sive a Canonicis?

12. An Primicerius, et Cantor in Missis, et Officiis solemnibus teneantur prope Legile canere per se ipsos, vel possint alios ad canendum substituere?

13. An idem Primicerius, et Cantor teneantur per se Antiphonas Canonicis intonandas exhibere, eosque invitare ad canendum Responsoria, et insimul prosequi?

14. An Episcopo accedenti ad Ecclesiam Cathedralem aspersorium tradi debeat ab aliqua ex Dignitatibus, seu potius a Canonico seniore?

15. An in Processionibus, in quibus Episcopus exercet Pontificalia, et Canonici sacris vestibus sunt ornati, Praefectus caeremoniarum deferre valeat intortitium, licet sit in habitu chorali?

16. An idem caeremoniarum Praefectus, Episcopo Pontificalia exercente, teneatur stare, vel potius sedere debeat in scabello?

17. An in defectu superiorum Dignitatum idem Praefectus caeremoniarum possit assistere Throno Episcopali, et an tunc valeat pro directione caerimoniarum alium substituere?

18. An in confectione notulae Capitularium, qui tenentur assistere Episcopo Pontificalia exercenti, Dignitates designari valeant diverso titulo, ac designantur Canonici?

19. An Canonicis solemniter celebrantibus debeatur assistentia per eumdem caeremoniarum Praefectum, sive potius ea praestanda sit per chori Magistros?

20. An dictus caeremoniarum Praefectus valeat sibi appropriare balsamum, quod superest in consecratione Olei Sancti, candelas trianguli, et particulas thuris, quae in Sabbato Sancto cereo affiguntur.

S. eadem C.tam in scriptis, quam in voce partibus informantibus auditis, ac juribus noviter deductis mature perpensis, rescribendum censuit. Ad 1. et 2. *In decisis*.

Ad 3. *In Decisis, habita tamen ratione Festorum, et non personarum*,

Ad 4. *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam Dubii partem*.

Ad 5. 6. *et* 7. *In Decisis*.

Ad 8. *et* 9. *In Decisis, habita tamen ratione Festorum majoris, vel minoris solemnitatis*.

Ad 10. *In Decisis, et amplius in omnibus*.

Ad 11. *Affirmative*.

Ad 12. *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam Dubii partem*.

Ad 13. *Negative*.

Ad 14. *Affirmative ad primam, et Negative ad secundam Dubii partem*.

Ad 15. *Negative*.

Ad 16. *Servetur solitum, extra tamen solium*.

Ad 17. *Affirmative ad utramque Dubii partem*.

Ad 18. *Negative*.

Ad 19. *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam Dubii partem*.

Ad 20. *Servetur solitum, et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1737.

3916. BRIXINEN. PONTIFICALIUM.

Cum a S. R. C., in causa juris benedicendi, et consecrandi inter Rmum Episcopum Brixinen. ex una, et P. Abbatem Monasterii S. Joannis Baptistae in Stambs Ordinis Cisterciensis ex altera partibus; vertente super Dubio.

An liceat Abbati Monasterii Stambsensis supellectiles sacras benedicere, in quibus sacra unctio non adhibeatur, sed etiam Altaria consecrare, et alia vasa sacra, in quibus adhibetur sacrum Chrysma, idque non tantum ad usum propriae Ecclesiae Monasterialis, sed etiam ad usum aliarum Ecclesiarum in casu etc.?

Referente Emo, et Rmo Dno Card. Georgio Spinula sub die 22. Januarii 1735. responsum fuerit: *Negative, et serventur Decreta anni* 1659. Verum, ad instantiam praedicti Abbatis, obtenta ab eodem Emo, et Rmo D. Card. Spinula Ponente nova audientia, et ab eodem iterum in S.R.C. proposito infrascripto Dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.?

S. eadem C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde noviter deductis, rescribendum censuit, *in Decisis et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1737.

3917. CAPUANA.

Cum Rmus Archiepiscopus Capuanus usque ab initio suae assumptionis ad illam Ecclesiam Archiepiscopalem incoeperit cogere Capitulum S.M.M. dictae Civitatis, ut quolibet anno feria V. in Coena Dni transmittere deberet ab oppido S. Mariae sex ex suis Canonicis, ut ipsi eidem Rmo Archiepiscopo inservirent in confectione Olei Sancti; per aliquot annos sub spe promissae liberationis ab Archiepiscopo, et ob reverentialem metum, emissis semper solemnibus protestationibus, paruerat idem Capitulum, modo transmittendo Canonicos, modo simplices Presbyteros. Verum cum nuper anno 1736. praefatum Capitulum renuerit amplius transmittere velle nec Canonicos, nec Presbyteros, et e contra Rmus Archiepiscopus cogere ipsum Capitulum praetenderit: propterea, delata ad S. R. C. hujusmodi causa, Emus, et Rmus D. Card. Lercarius, loco Emi Guadagni, infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An Capitulum, et Canonici Ecclesiae Collegiatae S. M. M. Capuae teneantur accedere, et interesse, arbitrio Archiepiscopi, benedictioni Olei Sancti in Ecclesia Cathedrali sub poenis ab eodem Archiepiscopo infligendis in casu etc.?

2. An constet de attentatis, et quomodo sint purganda in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Non posse cogi*.

Ad 2. *Nihil de Attentatis*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1737.

3918. VERULANA PRAECEDENTIAE.

Cum inter Canonicos Ecclesiae Cathedralis Verulanae Bernardum Mariam Capobassi Clericum anteriorem in possessione sui Canonicatus, et Caesarem Crescentium de Angelis anteriorem in Ordine Presbyterali, et posteriorem in possessione, orta fuerit quaestio super reintegratione juris praecedendi in Choro propter promotionem dicti Bernardi Mariae Capobassi ad sacrum Presbyteratus Ordinem: cumque hujusmodi controversia ad S.R.C. delata fuerit, ab Emo, et Rmo D. Card. Georgio Spinula infrascriptum Dubium inter partes concordatum propositum fuit, nempe.

An Canonicus Capobassi antea receptus, attenta promotione ad Ordines Sacros, debeat praecedere Canonico de Angelis Sacerdoti postea recepto in casu etc.?

S. eadem C., tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Praecedentiam deberi Canonico Capobassi, et amplius*. Et ita decrevit; et servari mandavit. *Die* 31. *Augusti* 1737.

3919. CASTRI MARIS.

Cum Magistratus Castri Maris in functionibus ecclesiasticis solemniter peragendis in Ecclesia Cathedrali ejusdem Civitatis, quibus interesse solet, minime thurificetur a Diacono sacris vestibus induto, ut moris est in aliis Ecclesiis, et Civitatibus, et usque ad annum 1710., etiam in praedicta Ecclesia Cathedrali peractum fuit, et ab inde circa praetermissum; propterea se abstinuit interesse similibus functionibus, et recursum habuit ad S. R. C. pro reintegratione dictae antiquae observantiae, et prout praescribit Caeremoniale Episcoporum.

Et S. eadem C., audita etiam informatione Episcopi, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Lercari Ponentis, rescribendum censuit: *Servetur Caeremoniale Episcoporum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 7. *Decembris* 1737.

3920. TIBURTINA.

Super jure retinendi clavem capsulae, in qua feria V. in Coena Dñi servatur SSmum Eucharistiae Sacramentum in Ecclesia Cathedrali S. Laurentii Tiburis, verten. inter illius Capitulum, et Confraternitatem SSmi Salvatoris ejusdem Civitatis ex altera parte, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Georgius Spinula infrascriptum Dubium declarandum proposuit.

An clavis capsulae, in qua SSmum Corpus Christi Feria V. in Coena Dñi servatur, tradenda sit Confraternitati laicali, seu potius Sacerdoti in crastinum celebraturo, in casu etc.?

Et S. eadem C., Procuratore supradicti Capituli in scriptis, et in voce tantum audito, ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 7. *Decembris* 1737.

3921. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Ex parte Fr. Josephi a Verato Ordinis Minorum Capuccinorum S.R.C. pro declaratione infrascripti Dubii supplicatum fuit.

An Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari Officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem, vel potius eo anno omittendi?

S. eadem C., inhaerendo alteri resolutioni in similibus editae ad instantiam Rmi Archiepiscopi Hispalen. sub die 26. Novembris 1735. (3889.) rescribendum censuit: *Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos, sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo eorum commemorationem, ut fit in semiduplicibus cum nona lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum lectionibus propriis secundi nocturni ad modum unius.* Et ita declaravit. *Die* 8. *Martii* 1738.

3922. ORD. MIN. S. FRANCISCI DISCALCEATORUM PROVINCIAE S. DIDACI IN REGNO PERUANO.

Decretum simile praecedenti.

3923. ULIXBONEN. OCCIDENTALIS.

Ex parte Confraternitatis Clericorum Sacerdotum canonice erectae in Ecclesia Regii Nocosmii publici sub titulo omnium Sanctorum Civitatis Ulixbonen. Occidentalis S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humillime supplicatum fuit, nempe.

1. An in Feria secunda post Festum SSmae Trinitatis, in qua, tamquam in sede perpetua, et propria quotannis celebratur solemnitas SSmi Misterii, uti Titularis, debeat cantari Missa solemnis de SSma Trinitate cum *Gloria* et *Credo* ratione rei gravis ob concursum Fidelium, licet ipsa feria secunda impedita sit Festo duplici de praecepto classico?

2. An in Feria secunda post Dominicam infra octavam omnium SSrum Festo classico non occupata, in qua pro Animabus confratrum cantatur Officium defunctorum cum solemnitate supramemorata, cantari debeat Missa de Requiem?

3. An Officia pro Animabus confratrum extra diem obitus, seu depositionis, tertium, septimum, et trigesimum cum castro doloris, et concursu Sacerdotum officiata, habere debeant ritum duplex, vel semiduplex cum Psalmo, et tribus Orationibus?

4. An in diebus infra Octavam Corporis Christi duplicia non excludentibus cantari possit Missa de Requiem de die obitus tertio, septimo, et trigesimo, ac anniversario in dicto octavario incidentibus?

5. An ad verba Invitatorii: *Venite adoremus, et procidamus ante Deum etc.*: ad verba symboli Credo: *et incarnatus est*: et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a cantoribus ad ambonem, aut Chorum regentibus, dum ei proferuntur actualiter, et alii genuflectunt, vel post finitum versum, qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc actu non cantantium levationem?

Et S. eadem R. C., exquisito prius voto caeremoniarum Magistri, respondendum censuit.

Ad 1. *Pro gratia*.

Ad 2. *Pro gratia, quando Anniversarium fiat in Festo duplic. min., quod si Anniversarium contingat in Festo altioris ritus, debet illud praecedenti die celebrari*.

Ad 3. *Serventur Rubricae Ritualis Romani, et duplicatio Antiphonarum, praeter diem commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et diem depositionis defuncti fiat in diebus tertio, septimo, trigesimo, et Anniversario tantum*.

Ad 4. *Negative, et serventur Decreta vulgata in Nuscana* 12. *Septembris* 1671. (2409.), *et in Callien*. 5. *Julii* 1698. (3328.).

Ad 5. *Serventur Rubricae Missalis, Breviarii, et Caeremonialis Episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, haec fiat dum verba, quae cantantur genuflexionem exquirant. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum*. Et ità declaravit, ac servari mandavit. *Die* 8. *Martii* 1738.

3924 SIGNINA PRAEEMINENTIARUM.

Inter Archipresbyterum, aliosque Presbyteros Parochialis Ecclesiae S. Mariae Laetitiarum Terrae Montis Fortini ex una, et Parochum Ecclesiae S. Stephani ejusdem Terrae Dioecesis Signinae partibus ex altera, tam super praetensa collegialitate Ecclesiae S. Mariae Laetitiarum, quam super praeeminentiis in Processionibus, aliisque functionibus ecclesiasticis, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Gotti infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An constet de collegialitate Ecclesiae S. Mariae Laetitiarum Montis Fortini in casu etc.? Et quatenus affirmative.

2. An Parocho Ecclesiae Parochialis S. Stephani ejusdem loci in Processionibus generalibus, aliisque functionibus, in quibus intervenit Capitulum dictae Ecclesiae Collegiatae, liceat incedere in tertio loco, nempe ad laevam Archipresbyteri, incedente ad dexteram Canonico Curato in casu etc.? Et quatenus negative.

3. An, et in quo loco incedere debeat in casu etc.?

4. An in Processionibus particularibus, quae fiunt a Parocho S. Stephani, in quibus intervenit dictum Capitulum, praecedentia, et usus stolae debeatur eidem Parocho, sive potius Capitulo dictae Collegiatae in casu etc.?

5. An in Processionibus funerum de Parochia S. Stephani, in quibus intervenit dictum Capitulum, incedendum sit sub Cruce Parochiae, sive potius Collegiatae, et cui debeatur praecedentia in casu etc.?

6. An liceat Canonicis dictae Collegiatae deferre signum, quod actu deferunt in casu etc.?

S. eadem C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, sub die 3. Augusti anni proximi praeteriti rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative*.
Ad 2. *Affirmative*.
Ad 3. *Provisum in secundo*.
Ad 4. *Affirmative ad primam, et Negative ad secundam partem*.
Ad 5. *Sub Cruce Parochiae, et praecedentiam deberi Parocho*.
Ad 6. *Negative*.

Adversus hujusmodi resolutiones petita a praefato Archipresbytero, et Presbyteris S. M. Laetitiarum in S. R. C. nova audientia: Eadem S.C., visis juribus ab utraque parte noviter deductis mature perpensis, ad relationem ejusdem Emi Ponentis rescribendum censuit: *Nihil de nova audientia*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 27. *Aprilis* 1738.

3925. ULIXBONEN. ORIENTALIS.

Emi, e Rmi Signori „ Rappresenta umilmente il Capitolo, e Canonici „ della Cattedrale di Lisbona Orientale, qualmente per uso antichissimo, „ e senza memoria d'uomini, quando il Paroco di detta Cattedrale porta il „ SSmo Sacramento per viatico agl' Infermi, e dà la benedizione al popolo „ con il SSmo accluso nella Piside, l' incensa uno, o due Canonici, o „ Sacerdoti, che sono obbligati, ed ordinariamente sono due Canonici, che „ accompagnano il SSmo per li Statuti di detta Cattedrale approvati dalla „ Santa Sede Apostolica, e costituzioni dell' Arcivescovato in modo tale, „ che tanto li Sacerdoti, quanto li Canonici, che il Presidente del Coro „ manda ad accompagnare il SSmo Viatico, sono contati nel Coro, quando „ in esso cantano il Matutino, ed altre ore dell' Uffizio Divino; ma perchè, „ Emi Signori, è stata riprovata dal Maestro di ceremonie di detta Cattedrale quella d'incensare il Santissimo recluso nella Piside, quando il Paroco da la benedizione al popolo, e non ostante detta riprovazione ha „ ordinato il Capitolo Oratore si osservasse la detta cerimonia d'incensare „ il Santissimo nel suddetto atto, per rendergli maggior culto; pertanto supplicano umilissimamente l'EE. VV. a degnarsi graziarli, con dichiarare „ se devono, o non osservare detta cerimonia, che lasciando di farla seguirà scandalo al Popolo etc. et Deus.

S. R. C., ad instantiam Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Ulixbonen. Orientalis, audito prius voto Apostolicarum caeremoniarum Magistri, declaravit: *Servari debere dictam caeremoniam thurificandi Sanctissimum Sacramentum inclusum in Pixide, cum defertur pro Viatico Infirmis, et cum ipso benedicendum esse populum*. Et ita servari mandavit *die* 21. *Junii* 1738.

3926. BITUNTINA.

Cum inter partes concordata fuerint coram Emo, et Rmo D. Card. Gotti Ponente triginta Dubia in causa Bituntina praetensarum praeeminentiarum verten. inter dignitates illius Cathedralis ex una, et Canonicos ejusdem ex altera, quorum viginti a S. R. C., ad relationem ipsius Dñi Ponentis, in duobus propositionibus sequutis sub die 6. Aprilis, et 31. Augusti 1737. resoluta fuerunt, (3915.) modo ex parte Canonicorum praefatae Cathedralis institum fuit pro resolutione reliquorum Dubiorum, prout infra.

21. An aliqua ex dictis Dignitatibus in Sacro Subdiaconatus Ordine non constituta in Processionibus, aliisque solemnitatibus sacras vestes deferre, atque Canonicis Praesbyteris praecedere?

22. An Canonicus nondum in sacris constitutus, vel non habens aetatem pro Sacris Ordinibus possit habere vocem in Capitulo, et quid si fuerit dispensatus super defectu aetatis?

23. An Capituli convocatio pertineat ad Archidiaconum, eoque deficiente, ad digniorem in Ordine, sive potius ad Canonicos Syndicos, seu Ordinatos, etiam sine licentia Archidiaconi, seu alterius, qui sequitur in ordine? Et quatenus affirmative quoad secundam partem.

24. An ante affixionem schedulae convocatoriae iidem Canonici Syndici teneantur designare Archidiacono, vel alteri, qui sequitur in ordine, materias Capitulo proponendas? et quatenus affirmative.

25. An, facta materiarum designatione, liceat praefatis Canonicis Syndicis, petita, et non obtenta licentia, Capitulum indicere per affixionem dictae schedulae?

26. An Dignitates, quae in Officio majoris hebdomadae intonant Antiphonas, teneantur etiam canere Lamentationes?

27. An Canonici, qui sacris vestibus induti assistunt Episcopo exercenti Pontificalia, sedere debeant super scabellis panno coopertis.

28. An resolutio Capitularis diei 30. Maii 1733. substineatur?

29. An laceratio schedulae convocatoriae Capituli ejusdem diei fuerit attentata, et injuriosa? quatenus affirmative, quomodo attentata sint purganda?

30. An electio Advocati laici facta per Capitulum die 30. Augusti 1734. substineatur ita, ut remotio D. Canonici Satio fuerit attentata, et quomodo sit purganda in casu etc.?

S. eadem R. C. in scriptis, et in voce Procuratore praedictorum Canonicorum tantum audito, ad relationem memorati Emi Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 21. *Affirmative*.

Ad 22. *Negative ad utramque partem*.

Ad 23 *Servetur Synodus Episcopi Galli*.

Ad 24. *Affirmative solum in genere*.

Ad 25. *Affirmative*.

Ad 26. *Servetur Caeremoniale Romanum*.

Ad 27. *Negative*.

Ad 28. *Negative in casu, de quo agitur*.

Ad 29. *Affirmative pro prima parte, et pro secunda Negative*.

Ad 30. *Negative in casu etc.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 19. *Julii* 1738.

3927. URITANA SEDILIS.

Super praetenso jure retinendi sedem coraminis cum appodio absque ullo suppedaneo, et amovibili tam in Ecclesiis Saecularium, quam Regula-

rium a Gubernatore Terrae Casalis Novi Dioecesis Uritanae, occasione Concionum, aliarumque sacrarum functionum, quae fiunt in iisdem Ecclesiis, inter Episcopum Uritanum, et praedictum Gubernatorem, partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus Dominus Cardinalis Guadagni, infrascripta Dubia inter partes concordata, declaranda proposuit.

1. An Episcopus Uritanus prohibere valeat, ne Gubernator Terrae Casalnovi sedeat in sede coraminis cum appodio absque ullo suppedaneo, et amovibili in Ecclesiis saecularibus ejusdem Terrae, occasione Concionum, vel aliarum sacrarum functionum, quae fiunt in eisdem Ecclesiis?

2. An idem Episcopus prohibere valeat Regularibus ejusdem Terrae Casalnovi sub poena interdicti, vel suspensionis, ne concedant hujusmodi sedem antedicto Gubernatori, occasione earumdem Concionum, aliarumque sacrarum functionum, quae celebrantur in eorum Ecclesiis in casu etc.?

Et S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, ac utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative jure delegato*, *et amplius*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 19. *Julii* 1738.

3928. ORDINIS MINORUM REFORMATORUM S. FRANCISCI.

„ Fra Michel Angelo Gallipoli Procurator Generale de Minori Osservanti Riformati di S. Francesco Oratore Umo dell' EE. VV. riverentemente le avanza un Dubio toccante il rito nella recita del mattutino, il quale nè viene prescritto dal Ceremoniale dell' Ordine, nè universalmente osservato in tutte le Provincie della Riforma, per averne la risoluzione, quando sia affermativa, per farla pratticare da per tutto, ed in caso contrario per levarlo ove si è introdotto. Il Dubio è il seguente = Se alla benedizione, che dall' Ebdomadario si dà nella seconda lezione del terzo Notturno nelle Feste de Santi, al *cujus Festum*, vel nel *quorum Festum colimus*, debbasi, o nò inginocchiare, stantechè nelle altre sette benedizioni, in alcuna delle quali si nomina il Divin Padre, il Figliuolo, e lo Spirito Santo, non si costuma tale genuflessione, che della grazia etc.

Cum ex parte P. Fr. Michaelis Angeli a Gallipoli, Procuratoris generalis Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, pro declaratione suprascripti Dubii S. R. C. humillime supplicatum fuerit.

S. eadem C. respondendum censuit: *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 6 *Septembris* 1738.

3929. ORD. MIN. OBSERV. REFORM. S. FRANCISCI.

Emi Dni = Fr. Michael Angelus a Gallipoli Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum, Orator humillimus EE. VV. suppliciter exponit, quatenus recenter a S. R. C. concessa sunt quaedam Sanctorum Officia, alia Urbis, et Orbis, alia aliquibus Regnis, Ditionibus Sta-

tibusque peculiaribus recitanda tum a saecularibus, tum a regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, quae concessiones exprimuntur his verbis = *recitari posse* = *fieri posse* : et cum ex Rubricis nostri novi Breviarii Franciscani approbatis a S. M. Innocentio PP. XII. per Bullam, quae incipit = *Exponi nobis etc.* = statuatur, ut quotiescumque fit haec expressio = *recitari posse*, *fieri posse* : nihil aliud intelligantur nisi Officia ad libitum; hinc humiliter petit ab EE. VV., ut dignentur declarare = an praedicta Officia cum tali expressione expressa, si occurrant in die impedita ab aliis Officiis de praecepto Breviarii praedicti, non obstantibus Decretis S. R. C. de non transferendis Officiis SSrum ad libitum, a nobis possint transferri ad aliam diem, vel debeant omitti? Quam gratiam etc.

S. R. C. ad preces P. Fr. Michaelis Angeli a Gallipoli, Procuratoris generalis Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, audito prius voto Apostolicarum caeremoniarum Magistri, declaravit: *Praedicta Officia acceptata si occurrant in diebus impeditis, non reputari debere tamquam mera Officia ad libitum, sed de praecepto, adeoque esse omnino transferenda. Die 6. Septembris* 1738.

3930. PISANA.

Cum Praepositus, et Canonici insignis Collegiatae Liburni Dioecesis Pisanae exposuerint, Praepositum praedictum indulto utendi Mitra, et Baculo, aliisque Insignibus Pontificalibus auctoritate Apostolica potiri, et gaudere: hinc ex parte eorumdem S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus pro Divini cultus incremento, ac ejusdem Ecclesiae decore benigne impertiri dignaretur, ut ipsi in posterum, inter Missarum solemnia, uno Canonico assistenti pluviali induto uti possint.

Et S. eadem R. C., audito prius voto Apostolicarum caeremoniarum Magistri, *facultatem petitam Oratoribus, dummodo accedat expressus consensus Rmi Archiepiscopi, posse concedi* censuit *ita tamen, ut eorum Praeposito pontificalibus ornamentis insignito Canonicus cum pluviali ministret, Canonicis autem non alter Canonicus, sed unus ex Ecclesiae Ministris cum pluviali pariter inserviat, si SSmo Dno nostro visum fuerit. Die* 20. *Septembris* 1738.

Factaque deinde per me Secretarium de praedictis SSmo Dno Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. *Die* 3. *Octobris ejusdem anni* 1738.

3931. CARTHAGENEN.

Ad instantiam Capituli Ecclesiae Cathedralis Carthagenen. in Hispania sub die 20. Septembris proximi praeteriti proposita fuerunt ab Emo, et Rmo D. Card. Belluga Ponente in S. R. C. infrascripta Dubia, super quibus rescriptum fuit: ad Rmum D. Gambaruccium Apostolicarum caeremoniarum Praefectum pro voto; quo per eumdem dato, ejusque relatione iterum in eadem S. C. ab ipso Emo Ponente facta, prout infra videlicet.

1. An si transferantur ad tempus Paschale Festa SSrum Martyrum, in quorum Missa Introitus sit = *Gaudeamus omnes in Dno etc.* debeat idem Introitus dici tempore quoque Paschali, vel potius alter ejusdem temporis incipien. *Protexisti me Deus*?

2. An, si Festum alicujus S. Martyris habens in Missa proprium Evangelium transferatur ad tempus Paschale, dici debeat idem proprium Evangelium, vel potius unum ex assignatis pro tempore Paschali?

3. An in Officio trasverberationis S. Theresiae debeat ad Matutinum recitari hymnus = *Haec dies, qua candidae* = vel potius de communi Virginum?

4. In commemorationibus communibus, sive suffragiis SSrum̃, dum fit de aliquo Sancto Principali, cujus Antiphonae habeant in fine alleluja: utrum debeant recitari cum Alleluja in dictis commemorationibus?

5. An, dum incensatur Altare, in quo est expositum publicae adorationi Venerabile, utrum post illud incensatum, debeat quoque Crux incensari?

6. Utrum in Festo Expectationis Partus B. V., hymni debeant terminari cum versibus = *Jesu tibi sit gloria* = vel potius = *Virtus, honor, laus, gloria*?

S. eadem R. C. rescribendum censuit. Ad 1. = *Si Officium Missae SSrum̃ Martyrum, ultra Introitum:* Gaudeamus etc., *habeat etiam proprium vel Evangelium, vel Epistolam, tunc debeat recitari idem Introitus; secus si nihil aliud proprii haberet.*

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam.*

Ad 3. *Debere recitari Hymnos proprios, qui recitantur in Festo S. Theresiae, sed loco* = Haec est dies, qua candidae = *dicatur in Festo Transverbationis* = Felix dies, qua candidae.

Ad 4. *Affirmative etiam in suffragiis, seu commemorationibus per annum, quoties hujusmodi Antiphonae contineant verba, quae exprimant gaudium, victoriam, et similia, alias Negative.*

Ad 5. *Negative.*

Ad 6. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.* Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 29. *Novembris* 1738.

3932. SUESSANA.

Propositis in S. R. C. per Emum, et Rmum D. Card. Belluga infrascriptis Dubiis in causa Suessana inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis, et Magistratum dictae Civitatis tenoris sequentis, videlicet.

1. An Processio Corporis Christi fieri debeat, juxta formam a S. Caeremoniali Episcoporum praescriptam lib. 2. cap. 33. praecipue de hastis ferendis a dignioribus Beneficiatis, seu Mansionariis usque ad Portam Ecclesiae, et in illis gestandis sit servandus ordo praescriptus ab eodem Caeremoniali lib. 1. cap. 14., qui incipit: *ordo*?

2. An Processio S. Leonis Papae, Protectoris Civitatis Suessae, aliaeque, quae fiant causa laetitiae, debeant celebrari ad exemplum dictae Processionis Corporis Christi, juxta praescriptum dicti S. Caeremonialis lib. 2. cap. 33. §. 9.

3. An prohibitio facta ab Episcopo, quod Processiones, quas Suessani facere volunt in hebdomada Sancta de nocte, non ingrediantur in Ecclesias Monialium, debeat sustineri?

4. An resolutiones Pontificiae Benedicti XIII., et Clementis XII. feliciter regnantis contra Civitatem Suessae emanatae, quod Episcopi non tractent d. Civitatem titulo Illmi, quod non dent eidem dexteram, quod nec Concionator salutet illam titulo Illmi, nec ante Capitulum, debeant sustineri?

5. An Civitas Suessana, ob non datum sibi titulum Illmi, possit denegare Concionatori solitam eleemosynam?

6. An Episcopus possit tolerare, ut Agens Ducalis status Suessae, praetextu capiendae possessionis Agentiae, excipiatur in Ecclesia a Superiore ejusdem cum pluviali, et aspersorio in manu, et cum genuflexorio, stratu, et pulvinaribus sub, et supra, et cum cantu: *Te Deum*, prout ita voluit excipi, inscio Episcopo, modernus Agens Leonardus Guemez?

7. An, et ad quas poenas procedere possit Episcopus adversus contraventores, etiam Regulares?

S. eadem C., ad relationem ipsius Emi Ponentis, rescripsit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Servetur Caeremoniale lib. 2. cap. 33., et lib. 1. cap. 14. eodem ordine, quo in eodem cap. 14. praescribitur*.

Ad 3. *Affirmative*.

Ad 4. *Reformetur Dubium*.

Ad 5. *Dilata, et interim servetur solitum*.

Ad 6. *Negative quoad omnes Ecclesias, etiam Regulares*.

Ad 7. *Quoad Saeculares procedat ad poenas, prout de jure: quoad Regulares certioret S. C.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 29. Novembris* 1738.

3933. ALEXANEN. FUNERUM.

Inter Patres Minores Conventuales Conventus Civitatis Alexani ex una, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis partibus ex altera, exortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Gotti Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. An Capitulum, et Clerus Ecclesiae Cathedralis Civitatis Alexani, accedentes cum Canonico Curato ejusdem Ecclesiae ad associanda cadavera sepelienda in Ecclesiis Minorum Conventualium, et Capuccinorum Ordinis S. Francisci ejusdem Civitatis, possint ingredi dictas Ecclesias cum Cruce elevata, et sine stola in casu etc? et quatenus affirmative.

2. An ad praefatum Canonicum Curatum spectet in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium S. Francisci Officium funeris explere, et Missam de Requiem canere, vel potius tam in dicta Ecclesia, quam in illa Patrum Capuccinorum ipse, et Capitulum possint funeri tantum assistere in casu etc.?

3. An ad Parochum spectent omnes cerae, quae deferuntur in associatione cadaveris, et circa illud exponuntur in funere in dicta Ecclesia Patrum Conventualium, vel potius sola quarta funeralis dictae cerae in casu etc?

4. An sit relaxandum Ecclesiasticum Interdictum contra Ecclesiam S. Francisci, sive potius: an, et quomodo puniendus sit Fr. Franciscus Castellana in casu etc?

Et S. eadem C., visis Juribus hinc inde deductis, et tam in voce, quam in scriptis partibus informantibus auditis, rescribendum censuit, Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. et 3. Negative ad primam, et Affirmative ad secundam partem.

Ad 4. *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam partem, juxta mentem, quae est, quod Fr. Franciscus Castellana removeatur per suum Superiorem Regularem a conventu Alexani*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Martii* 1739.

4834. VIGILIEN. PRAEEMINENTIARVM.

Inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Vigilien. ex una, et Abbates Ecclesiarum Collegiatarum SSrum Audoeni, Nicolai, et Matthaei ejusdem Civitatis, partibus ex altera, ortis controversiis circa praecedentiam in sedendo, et subscribendo in ordinibus concernentibus canonicam administrationem Seminarii Dioecesis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Lercarius infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An praecedentia in sedendo, et subscribendo spectet ad Deputatos electos de gremio Capituli Ecclesiae Cathedralis, seu potius ad electos de corpore Cleri? et quatenus affirmative ad primam partem.

2. An idem sit servandum inter Canonicos Cathedralis electos de gremio Capituli, et Abbates Collegiatarum electos de corpore Cleri?

3. An inter ipsos Deputatos de Corpore Capituli, et inter ipsos Deputatos de corpore Cleri sint praeferendi illi, qui primo loco sunt electi?

Et S. eadem C., visis Juribus hinc inde deductis, et tam in scriptis, quam in voce utraque parte informante audita, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative ad primam partem*; *Negative ad secundam*.

Ad 2. *Servetur solitum*.

Ad 3. *Negative*. Et ita declaravit, et servari mandavit, *Die* 21. *Martii* 1739.

3935. MONTIS POLITIANI.

Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Montis Politiani exponit, in illa Cathedrali vigere consuetudinem quandocumque cantentur Vesperae feriales diebus Quadragesimae, Adventus, et Jejuniorum, canendi etiam preces, quae flexis genibus persolvuntur alta voce cum desinentia ad unumquemque versiculum, prout in festo simplici in commemorationibus communibus, et ad Antiphonas B. M. V., scilicet à *Fà* ad *Rè*, excepta Oratione Dominica, quae non canitur, sed alta voce recitatur usque ad Vers.: *et ne nos inducas etc.*, qui pariter canitur cum supradicta desinentia. Ita psalmus *Miserere* non cantatur, sed recitatur alta voce, et in eodem tono, sicut caeteri versiculi; humillime quaerit: An ista consuetudo servanda sit? et quatenus, quo modo, et forma dicendae sint?

S. R. C. supradictae Instantiae Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Montis Politiani, audito prius voto apostolicarum caeremoniarum Magistri, respondit: *Non esse attendendam assertam consuetudinem concinendi preces feriales ad Vesperas, et ad Laudes in diebus Jejuniorum per*

depressiones vocis a Fà *ad* Rè , *sed utendum tono , ac voce uniformi per simplicem* Fà : Et ita declaravit etc. *Die* 9. *Maii* 1739.

3936. ORDINIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

R. D. Oddo Procurator Generalis Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humillime supplicavit, nempe.

Cum S.R.C. pluries responderit, in Officio defunctorum semper dicendum esse post Vesperas Psalmum, *Lauda Anima mea*, et post Laudes Psalmum *De profundis*, exceptis diebus Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et depositionis defuncti, juxta Rubricas Breviarii, et Ritualis Romani.

1. Quaeritur : An hoc observandum sit etiam in illis Ecclesiis, ubi ex vi regulae, seu ob adimplendas pias defunctorum voluntates, totum Officium defunctorum ritu duplici recitare teneatur, ut fit diebus supra expressis ? et in casu affirmativo.

2. Quaeritur : An in dictis casibus omittendum sit Invitatorium, cum Rubrica Breviarii innuat, quod hoc dicatur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ?

S. eadem C., audito prius voto apostolicarum caeremoniarum Magistri, respondendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative, nempe, quod in Officio defunctorum, quando recitatur integrum, numquam omittendum sit Invitatorium*. Et ita declaravit. *Die* 9. *Maii* 1739.

3937. POLENA.

Ex parte moderni Episcopi Polensis S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii supplicatum fuit, nempe.

Dignitates, Canonici, et Capitulum Cathedralis Polensis, obtentu consuetudinis, terminatis omnibus Horis canonicis, etiam diebus festivis, in quibus nec horam tertiam umquam canunt, nisi Pontificalia exercente Episcopo, recitatis anticipate hoc casu Sexta, Nona, Missam conventualem decantant. Itemque Missas pro defunctis a Testatoribus legatas ante Matutinum, quoties contingunt, cum cantu celebrant. Cumque hae consuetudines resistant Rubricis Missalis tit. de hora celebrandi Missam, nec non cuidam Decreto S. R. C. in una Cathacen Die 18. Junii 1689, quaeritur : An, attenta consuetudine, tolerari queant hujusmodi respectivae anticipationes, et posticipationes Horarum, et solemnium Missarum contra supramemorata etc.?

S. eadem R. C., audito prius voto apostolicarum caeremoniarum Magistri, rescribendum censuit : *Serventur omnino Rubricae Missalis Romani sub tit.* 15. Et ita declaravit. *Die* 9. *Maii* 1739.

3938. PLACENTINA PROCESSIONIS.

Propositis in C. S. R., ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Civitatis Placentiae, nec non Capituli, et Canonicorum Ecclesiae Cathedralis dictae Civitatis duobus sequentibus Dubiis, videlicet.

1. An Monachi Cassinenses Monasterii S. Sixti Civitatis Placentinae accedere teneantur ad Processionem SSmi Sacramenti, quae fieri solet ab Ecclesia Cathedrali dictae Civitatis in Octava Corporis Christi? Et quatenus affirmative.

2. An Episcopus illos compellere possit per censuras?

Eadem S. C., ad relationem Emi D. Card. Gentili Ponentis, utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, ac visis Juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *Non teneri, et amplius*: *Die* 9. *Maii* 1739.

3939. BONONIEN.

Cum de anno 1699. exortae fuerint nonnullae controversiae circa praecedentiam in associatione cadaverum inter Parochos Civitatis Bononiae, et Consortiales, ac Mansionarios tam Metropolitanae, quam Collegiatae Ecclesiae S. Petronii ejusdem Civitatis, praetendentes isti erigere non minus propriam Crucem, quam etiam praecedere Cruci Parochi tumulantis; S. R. C., utraque parte informante audita, ad relationem cl. mem. Card. Colleredi, sub die 14. Aprilis dicti Anni rescripsit; *Consortialibus, dummodo incedant sub unica Cruce Parochi, deberi praecedentiam respectu Cappellanorum conductitiorum* (3364.). Huic resolutioni acquiescentes tam Consortiales, quam Monsionarii diuturno temporidecursu cadavera associarunt sub Cruce Parochi praecedentes Cappellanos conductitios. Verum hodierni Parochi praetentionem excitarunt, neutiquam teneri vigore praefatae resolutionis admittere sub eorumdem Cruce Consortiales, et Mansionarios, sed quidem admissionem hujusmodi ab eorum arbitrio, et beneplacito dependere; et sub dicta Cruce recipere recusarunt, praetendentes, quod intervenire deberent associationi habitu chorali induti, et collegialiter sub propria ipsorum Cruce ante Crucem Parochi tumulantis. Hujusmodi praetensioni renuentes Consortiales, et Mansionarii praedicti, iterum recursum habuerunt ad S. R. C. pro executione supradictae resolutionis.

Et ipsa, S.R.C., audita informatione Emi Archiepiscopi, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Fini Ponentis, rescribendum censuit: *Emo Archiepiscopo pro omnimoda executione Resolutionis S.R.C. sub die 4. Aprilis* 1699. et in sequelam ejusdem Resolutionis declaravit: *Parochos teneri admittere sub eorum Cruce Consortiales, aut Mansionarios illius Ecclesiae Metropolitanae, et Collegiatarum Bononiae a defunctis, aut ab illorum haeredibus vocatos ad funera, ac proinde idem Emus Archiepiscopus procedat prout de jure, tam contra Parochos renuentes illos admittere sub eorum Cruce, quam in casu, quo ausi fuerint evertere sive per se, sive per alios, sive mediate, sive immediate Fidelium voluntates a vocatione Consortalium, sive Mansionariorum in associationibus ad funera*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 9. *Maii* 1739.

3940. BARCHINONEN.

Ex parte Episcopi Barchinonen. expositum fuit, quod Abbates Regulares Ordinis Claustralium Ordinis S. Benedicti Congregationis Tarraconen., qui

à S. Sede Apostolica facultatem habent utendi Pontificalibus in suis tantum Ecclesiis, aut sibi pleno jure subjectis, praetenduut, quod Episcopus concedat eisdem licentiam utendi Pontificalibus in aliis Ecclesiis Dioecesis sive Saecularibus, sive Regularibus: propterea praefatus Episcopus S. R. C. enixe supplicavit pro resolutione infrascripti Dubii, videlicet.

An Episcopus possit concedere licentiam Abbatibus Claustralibus Ordinis S. Benedicti Congregationis Tarraconensis exercendi Pontificalia in Ecclesiis Saecularibus, aut Regularibus Dioecesis dictis Abbatibus non subjectis?

Et S. eadem R. C., audito prius voto apostolicarum caeremoniarum Magistri, respondit: *Nequit Episcopus Abbatibus, aliisque Praelatis inferioribus, exercitium Pontificalium restrictive habentibus, in suis tantum Ecclesiis facultatem, seu licentiam impertiri exercendi illa in Ecclesiis ipsis non subjectis, sive Saeculares fuerint, sive Regulares suae Dioecesis*. Et ita decrevit, et declaravit. *Die* 11. *Julii* 1739.

3941. HISPANIARUM.

Cum sub die 17. Septembris 1735 ad pias Serenissimi Regis Catholici preces concessum fuisset Indultum recitandi in cunctis ejusdem Serenisimi Regnis, et Dominiis Dominica tertia Septembris Officium Septem Dolorum Bmae Virginis; dubitatum fuit ab aliquibus: Utrum tertia Dominica sit illa, quae talis dicitur in Breviario, primam nuncupando eam, quae proximior est Calendis Septembris, vel potius ea sit tertia, quae, incipiendo numerum dierum a prima die mensis, tertia reperitur: similiter cum talis concessio Officii sit facta sub ritu duplici: utrum intelligatur sub ritu duplicis minoris, vel potius majoris? Quibus dubiis ab Emo, et Rmo D. Card. Belluga in S. R. C. relatis, S. eadem C. respondendum censuit.

Ad 1. *Indultum esse concessum pro Dominica, quae est tertia Mensis, et sic quae habuit ante se duas in eodem Mense*.

Ad 2. *Indultum esse concessum sub ritu Duplici Majori*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Julii* 1739.

3942. NERITONEN.

Porrectis S. R. C. nomine Sacerdotis Donati Antonii Campilonghi Magistri caeremoniar. Cathed. Eccl. Neritonen. (precibus) pro declaratione infrascriptorum Dubiorum demisse supplicantis, nempe.

1. An Festum translationis S. Januarii Episcopi, et Martyris, quod in Civitate, et Dioecesi Neapolitana ex antiqua consuetudine hujus quoque S. C. Decreto de anno 1664. die 16. Septembris roborata, celebratur sub ritu Dup. Majori cum Oct. Dom. prima Maii, vel secunda, si prima fuerit Dominica in Albis, translatis de caetero a primo dicta Dominica, si forte in illam inciderint, festivitatibus SSrum Apostolorum Philippi, et Jacobi, ac Inventionis SSmae Crucis ad aliam diem non impeditam: An, inquam, fruatur praerogativis in toto Regno? Et quatenus negative; quo die, et ritu colendum sit in hujusmodi occurrentiis?

2. An Canonici Collegiatae teneantur genuflectere Episcopo ad distintionem Canonicorum Cathedralis, qui, sola capitis inclinatione, illum regulariter salutant?

Quaenam Missa dicenda sit ab Episcopo in collatione generali Ordinum, quaudo in Sabbatis quatuor Temporum occurrat aliquod Festum duplex, vel semiduplex, ver. gr. S. Mathiae tempore verno, S. Thomae tempore hyemali: An scilicet de Feria, an vero de Festo?

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondit. Ad 1. *Officium translationis S. Januarii occurrens cum Festo altioris ritus, vel majoris dignitatis, transferendum est a prima Dominica Maii, ipsi tamquam propria die assignata, in primam diem non impeditum: quoad octavam vero serventur Rubricae.*

Ad 2. *Canonici Collegiatae, seclusa consuetudine in contrarium, uti personae graduatae, et in quasi Dignitate constitutae, non genuflectunt, sed caput, et humeros profunde inclinant Episcopo, et Altari.*

Ad 3. *In Sabbatis quatuor Temporum, vel aliis ad Ordines conferendos a Jure praestitutis, Episcopus Ordinationes faciens, Missam de Feria, non autem de Sancto, qui forte diebus illis occurreret, celebrare debet.* Et ita declaravit. *Die* 11. *Julii* 1739.

3943. NERITONEN.

Cum S. R. C. in causa Neritonen. praestationis obedientiae Episcopo in Festo SSmae Assumptionis B. M. V. inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Neritonen. ex una, et Capitulum, et Clerum Terrae Galatonae ex altera vertente, ad infrascripta Dubia ab Emo, et Rmo D. Card. Gotto Ponente sub die 26. Aprilis anni proxime elapsi proposita, nempe.

1. An, et quomodo sit praestanda obedientia in casu etc?

2. An sit concedenda exemptio Capitulo, et Clero Terrae Galatonae, pendente lite, a Jurisdictione Rmi Ordinarii, seu potius: an, et quomodo sit providendum in casu?

Rescripserit. Ad 1. *Ad Emum Ponentem pro concordia ex Officio.* Ad 2. *Negative in omnibus, et amplius.*

Cumque adversus hujusmodi resolutiones reproposita fuerit per eumdem Emum Ponentem, ad instantiam praefati Capituli, et Cleri, praedicta causa super nova audientia, S. eadem C., utraque parte tam in scriptis, quam in voce iterum informante audita, rescribendum censuit: *Nihil de nova audientia, et omnino servetur Decretum Emi Ponentis; et amplius.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 11. *Julii* 1739.

3944. SENOGALLIEN.

Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Senogallien. ad dirimendas controversias saepe saepius excitatas a Magistratu dictae Civitatis tam circa praetensam expectationem adventus ejusdem ad solemnitates ecclesiasticas, quam circa caeremonias in salutando, ea, qua decet, submissione humillime S. R. C. supplicarunt, pro resolutione infrascriptorum Dubiorum, nempe.

1. An pro inchoandis Divinis Officiis, quibus intervenire assolet Magistratus multoties ad deferendas consuetas oblationes, Capitulum teneatur dictum Magistratum expectare ultra horam condictam?

2. An Capitulum, et Canonici celebrantes tam in Cathedrali, quam ex-

tra, postquam ingressi sunt Presbyterium pro Missis, vel Vesperis celebrandis, induti pluvialibus, sicuti quoties procedunt ad sedendum, et redeunt ad Altare sese inclinant Cruci, Episcopo, et Canonicis existentibus in Presbyterio, ita quoque debeant sese vertere a Presbyterio ad extra, et salutare Magistratum?

S. eadem C., audito prius voto Apostolicarum caeremoniarum Magistri, et inhaerendo aliis resolutionibus in similibus pluries editis, rescribendum censuit?

Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita declaravit *Die* 11. *Julii* 1739.

3945. SURRENTINA.

Super nonnullis juribus praeeminentialibus, occasione functionum ecclesiasticarum inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Metropolitanae Surrenti ex una, et Capitulum, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae Carrotti Plani ejusdem Civitatis ex altera partibus, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Gotti Ponens infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An Collegiatae Parochiali Ecclesiae S. Michaelis Archangeli Plani Surrenti competat titulus Insignis in casu etc?

2. An Canonicis ejusdem Collegiatae liceat uti cappis cum caputio subsutis serico coloris rubri in casu etc?

3. An dicti Canonici possint in Processionibus, aliisque solemnitatibus intervenire solutis cappis, vel potius illis ligatis, et recollectis, in casu etc?

4. An Archiepiscopo Pontificalia celebranti in dicta Collegiata, vel in filialibus, aliisque sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici ejusdem Collegiatae, seu potius eadem assistentia spectet ad Canonicos Metropolitanae sive singulariter, sive capitulariter interveniant, in casu etc?

5. An Canonici dictae Collegiatae assistentes Archiepiscopo in throno Pontificalia exercenti, debeant esse induti vestibus choralibus, seu potius paramentis sacris, eidemque circulum componere in casu etc?

6. An in dicta Collegiata possit retineri thronus inversus, et illum in rectum poni, Archiepiscopo tantum interveniente, et Pontificalia exercente, in casu etc.?

7. An, et qui locus debeatur Canonicis Collegiatae ad Cathedralem accedentibus, occasione Synodi, aliarumque functionum in casu etc.?

8. An dictis Canonicis Collegiatae sint assignanda scamna nuda, vel potius humerariis, suppedaneo, et panno decorata in casu etc.?

Et S. eadem C., juribus hinc inde deductis mature consideratis, et tam in scriptis, quam in voce utriusque partis Procuratoribus informantibus auditis, sub die 12. Martii 1735. rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam Dubii partem*.

Ad 4. *Affirmative ad primam, et Negative ad secundam Dubii partem, dummodo Canonici Metropolitanae non interveniant capitulariter*.

Ad 5. *Negative ad primam, et Affirmative ad secundam Dubii partem, et quoad circulum servetur Caeremoniale Episcoporum.*

Ad 6. *Negative.*

Ad 7. *Occasione Synodi serventur notata per Gavantum in Praxi cap. 13. num. 10. tit. de Synodo, et in reliquis functionibus collocandos esse inter alios de Clero in loco digniori post Capitulum Cathedralis.*

Ad 8. *Negative ad primam Dubii partem, et Affirmative ad secundam.*

Capitulo, et Canonicis vero Ecclesiae Cathedralis hujusmodi resolutionibus minime aquiescentibus, petita fuit ab eisdem nova audientia: et S. eadem C., sub die 12. Martii ejusdem anni rescripsit: *Nihil de nova audientia, et amplius*: Ad effectum igitur evitandi ulteriores expensas, ac dirimendi jurgia, et lites devenerunt inter partes ad mutuam concordiam perpetuo, et inviolabiliter servandam, ac proinde pro illius confirmatione, et approbatione S. R. C. humillime supplicarunt.

Et S. eadem C., ad relationem ejusdem Emi Ponentis, *praefatam concordiam benigne approbavit. Die 11. Julii 1739.*

3946. TROPIEN.

Super Infrascriptis Dubiis, nomine Capituli Ecclesiae Cathedralis Tropien idiomate vulgari S. R. C. porrectis, videlicet.

1. „ Se la notizia d' un nuovo Officio d'un Santo giungesse (come „ seguì in quella Cattedrale) dopo la giornata propria assegnata, debba o „ nò farsi in quell' anno?

2. „ Essendo ivi la giornata propria di S. Giovanni della Croce asse„ gnata a S. Felice di Valois sotto rito doppio, transferito per altro, debba „ questi rimuoversi, e assegnarsi altro giorno, o pure nò?

S. eadem R. C., audito prius voto apostolicarum caeremoniarum Magistri, respondit.

Ad 1. *Affirmative, quatenus evenire posset Officii recitatio tempore congruo, nempe quod a die pro Officii recitatione a S. R. C. praescripto nondum labuerint dies feriati, seu vacantes, vel a Festo inferioris ritus impediti, in quibus juxta Rubricarum regulas, hujusmodi Officium recitari potuerit, et minime fuerit recitatum; quod si secus, pro praesenti anno omittetur.*

Ad 2. *Esse transferendum Officium S. Joannis a Cruce, et recitandum S. Felicis de Valois cum hujusmodi festum S. Felicis non debeat considerari ut translatum, sed immutatum in aliam diem similiter sibi propriam perpetuo a S. R. C. assignatam, et sit ritus majoris S. Joannis a Cruce, cui ex vi Rubricarum* de Occurrent. *competit translatio*. Et ita declaravit. *Die 11. Julii 1739.*

3947. VOLATERANA.

Ex parte Cappellanorum Priorlae S. Petri in Silice Civitatis Volateranae S. R. C. demisse supplicatum fuit pro declaratione infrascripti Dubii nempe.

An liceat Sacerdotibus Priorlae S. Petri in Silice Civitatis Volateranae

deferre cadavera Monialium ex Monasterio ad Ecclesiam supradictae Priorlae?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Negative juxta mentem, et normam praescriptam in Rituali Romano*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Julii* 1739.

3948. LICIEN.

Declarationis Dubii super Officio translationis S. Januarii occurrente cum altero Octavae Dedicationis Ecclesiae, pro Capitulo, et Clero Terrae Campiarum Dioecesis Licien., referente Emo Guadagni. *Officium translationis, si occurat cum die Octava Dedicationis Ecclesiae, trasferendum esse in primam diem non impeditam, omissa Octava*. *Die* 28. *Novembris* 1739.

3949. LUCANA PRAEEMINENTIARUM.

Inter Capitulum, et Canonicos insignis Collegiatae Ecclesiae SSrum Joannis, Reparatae, et Pantaleonis ex una, et Amadeum Saminiati Priorem ejusdem Collegiatae Civitatis Lucanae partibus ex altera, super juribus honorificis, et praeeminentiis, occasione functionum ecclesiasticarum in ipsa Collegiata peragendarum per ipsum Amadeum, tamquam ipsius Collegiatae Priorem, sub praetextu immemorabilis centenariae, et consuetudinis, praetensis controversiis exortis, et contra ipsum expedito a Capitulo coram A. C. de Gentilibus Monitorio jactationis jactationum, Emus, exinde Domini Nostri Papae Pro Auditor, praevia avocatione Causae ab A. C., hujusmodi controversiam ad S. R. C. remisit, et infrascripta septem Dubia coram Emo, et Rmo Domino Card. Corradino in Ponentem assignato, inter partes concordata, declaranda proposita fuerunt.

1. An sit servandum Decretum capitulare emanatum 27. Julii 1620., in casu etc.?

2. An Prior in accessu, et recessu Ecclesiae associari debeat a Canonicis, usque ad aedes priorales in casu etc.?

3. An Canonicus major teneatur in ingressu Ecclesiae, tradere Priori aspersorium pro aspergenda Aqua benedicta Canonicis, Cappellanis, Clericis, aliisque adstantibus in casu etc?

4. An Pacem, atque Thurificationem teneatur dare Priori Canonicus major in casu etc?

5. An Priori solemniter celebranti ultra Diaconum, et Subdiaconum teneatur assistere tertius Canonicus pluviali indutus, in casu etc?

6. An in Processionibus liceat Priori incedere post Celebrantem in casu etc?

7. An constet de nullitate congressus capitularis ab aliquibus Canonicis habiti die 24. Martii 1719. in casu etc?

S. eadem C. ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Corradini praedicti, utraque parte tam in scriptis, quam in voce informante audita, sub die 25. Martii 1721. (3974.) rescribendum censuit: *Negative in omnibus*.

Hujusmodi vero resolutionibus praefatus Prior minime acquiescens novam petiit audientiam sub praetextu compulsandi assertas scripturas, eaque

ab Emo Ponente denegata, expiscavit ab ipsa S. C. concessionem Literarum compulsorialium, defuncto postmodum dicto Priore Saminiati, successit Prior Paulinus Nieri, qui tentavit obtinere a praedictis Canonicis eadem tractamenta, quae concupiverunt Praedecessores, illisque reluctantibus, iterum delata fuit S. R. C. controversia super infrascripto Dubio.

An sit standum, vel recedendum a decisis?

Eadem C., ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Lercari, utraque parte in scriptis, et in voce denuo informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *In decisis, deleta protestatione Prioris, et ad Rmum Archiepiscopum pro omnimoda executione*. Et ita etc. *Die 28. Novembris 1739.*

3950. MESSANEN.

Super infrascripto Dubio expresso in adnexo supplici Libello, nomine Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Messanen., vulgari idiomate S.R.C. porrecto, videlicet „ Li Canonici della Cattedrale Chiesa di Messina, che per „ indulto Apostolico hanno l' uso della Mitra in congiuntura di funzioni col „ Venerabile, quando Monsig. Arcivescovo dà la benedizione col Venerabile, li due Canonici assistenti, che fanno da Diacono, e Subdiacono „ costumano ab immemorabili di restare in piedi a latere dell' Arcivescovo „ senza genuflettersi: ma siccome alcuni di essi Canonici credono, che ciò „ sia contro la Rubrica, e Ceremoniale Ecclesiastico, non ostante, che „ alcuni di essi Canonici in difesa adducessero l' esempio di pratticarsi in „ simil forma in altre Cattedrali, come è quella di Napoli, Salerno, ed „ altre: perciò li zelanti Canonici di detta Cattedrale supplicano l' EE. „ VV. a volersi degnare per serenità della loro coscienza, e per togliere anche qualche scandalo, e mormorazione sopra questa causa, inter fratres „ ejusdem Ecclesiae, dichiarare; se possono, senza offesa, e pregiudizio del „ Ceremoniale, e Rubrica Romana, continuare in detta immemorabile osservanza di restare in piedi in tempo della benedizione, oppure, se ciò „ disconvenga alla prattica comune della Chiesa, proibire con Decreto „ formale detto abuso immemorabile, poichè in tal caso promettono prestare tutta l' obbedienza alle risoluzioni di questa S. C., che etc.?

S. eadem R. C., audito prius voto Apostolicarum caeremoniarum Magistri, respondit: *Servandum esse Caeremoniale Romanum, nempe Canonicos pro Diacono, et Subdiacono assistentes debere genuflectere dum Archiepiscopus actu Sacramento benedicit*. Et ita declaravit. *Die 28. Novembris 1739.*

3951. LAUDEN.

„ Emi, e Rmi Signori: Il Preposito della Chiesa Collegiata, e Parrochiale di Codogno Diocesi in Lodi, Oratore Umo ossequiosamente le „ rappresenta, aver egli la cura del governo di detto Regio Borgo, numerosa „ di più di dieci mila Anime, e dilatata in più parti sino a trè, o quattro miglia, di modo che non solo gli si rende malagevole di portare il SSmo „ Viatico a moribondi in si lontani casinaggi, massime in tempo di pioggia, nevi, e pessime strade, ma ancora moltissime volte, a causa de cat-

,, tivi tempi sudetti, perdendosi del tempo nel congregare il popolo, e
,, nell'andare per dette strade impraticabili, restano privi li Parochiani delli
,, SSmi Sacramenti; che perciò supplica umilmente l' EE. VV. a degnarsi di concedergli la licenza in simili circostanze di portare il SSmo
,, Viatico privatamente a cavallo col pedone colla lanterna, come si prattica
,, in altre parti per li stessi motivi; che etc.?

Relatis in S. R. C. humillimis precibus Praepositi Ecclesiae Collegiatae, et Parochialis loci nuncupati *di Codogno* Lauden. Dioecesis, S. eadem R. C., *attentis circumstantiis in supplici libello expressis, gratiam juxta petita, arbitrio, et prudentia Ordinarii, concedendam esse censuit. Die* 23. *Januarii* 1740.

3952. MELIAPURIEN.

Ex parte moderni Episcopi Meliapuriensis S. R. C. pro declaratione infrarcriptorum Dubiorum enixe supplicatum fuit, nempe.

1. An B. Rita de Cascia possit eligi in Titularem Ecclesiae publicae erectae in Hospitio Meliapuriensi Patrum Eremitarum S. Augustini, quia cum de Titulari cujusvis Ecclesiae debeant fieri suffragia in Laudibus, et Vesperis, quod est prohibitum quoad Beatos nondum Canonizatos: Item de Titulari fit Officium cum octava, de Beatis vero non fit cum octava, absque speciali Privilegio?

2. Casu, quo dicta Beata sit electa in Titularem contradicente Ordinario: an debeat supprimi talis titulus, et eligi in Titularem alius Sanctus jam Canonizatus?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Non licere Patribus Eremitarum S. Augustini Pontificio indulto nequaquam munitis, assumere in Titularem propriae Ecclesiae B. Ritam de Cascia.*

Ad 2. *Titulum sic assumptum debere supprimi, et alium pro eo de Sancto jam Canonizato substitui*. Et ita declaravit. *Die* 23. *Januarii* 1740.

3953. NOLANA.

Ex parte Lauri de Amelio Canonici Cathedralis Ecclesiae Nolanae S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humillime supplicatum fuit.

1. Stante concessione hujus S. C. recitandi Officium Patrocinii B.M.V. Dominica Novembris ab Ordinario loci assignanda: quaeritur, si per totum praefatum mensem a duplicibus primae classis cum Octavis Dominicae sint impeditae, Officium Patrocinii in hoc casu omittendum, recitandumne in octava, an vero transferendum?

2 Cum in die 22. Novembris occurrat octava S. Felicis Episcopi, et Martyris, ideo transferendum Festum S. Ceciliae sub ritu duplici, quia Festa, quae amittunt diem propriam, et sunt perpetuo translata, facienda sunt in primam diem non impeditam a Festo novem lectionum, tamquam dies propria, juxta Decretum hujus S. C. sub die 7. Decembris 1706., et per hoc assignata fuit dies 24. At quia eadem dies videtur novis-

sime ab eadem S. C. assignata Festo S. Joannis a Cruce; quaeritur: quale Officium transferendum, S. Ceciliae potius, an S. Joannis?

3. Stantibus sequentibus Decretis pro Officio Corporis Christi, nempe omnibus Feriis quintis per annum (praeterquam in Adventu, Quadragesima, et Vigiliis) Officio novem lectionum, etiam translato, non impeditis fit sub ritu semiduplici Officium etc. Sac. Rit. Cong. 20. Martii 1706. (3592.). Item si occurrat semiduplex ad libitum poterit de illo fieri, si semel saltem in mense recitatum sit de hac commemoratione, alias Officium fiat de commemoratione, relicto prorsus Officio ad libitum. Eadem S. R. C. 24 Januarii 1682. (2827.) Quaeritur igitur: si in aliquo mense omnes feriae quintae impeditae fuerint a Sanctis novem lectionum (dummodo non essent ad libitum) Commemoratio Corporis Christi in hoc casu relinquenda erit secundum supradictum Decretum, sed si occurrat etiam Officium translatum sive duplex, sive semiduplex, eritne faciendum de dicta commemoratione, vel potius, hac omissa, recitandum Officium de Sancto translato?

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit. Ad 1. *Pro gratia transferendi Officium Patrocinii B. M. V., servatis Rubricis Breviarii Romani de Translatione Festorum*.

Ad 2. *Firmo Officio S. Caeciliae in die 24. Novembris, erit assignanda Officio S. Joannis a Cruce dies alia, tamquam dies fixa, et perpetua ab Officio novem lectionum non impedita*.

Ad 3. *In Feria 5., occurrente quocumque Officio novem lectionum, etiam translato, omissa recitatione Officii SSmi Sacramenti, faciendum sit Officium ea die occurrens, etiamsi dies sit infra Octavam*. Et ita declaravit. *Die 1. Octobris 1740*.

3954. MELPHITEN. PRAEEMINENTIARUM.

Inter Rmum Episcopum Melphiten. ex una, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis nonnullis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Picus infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit; nempe.

1. An Canonici teneantur in solemnioribus tantum praescriptis in Caeremoniali excipere in Aula Episcopum accedentem ad Ecclesiam Cathedralem Pontificaliter celebraturum, vel ut Divinis inibi assistat, vel etiam in aliis diebus minus solemnibus, et toties quoties ipsi placuerit cum cappa pontificali accedere ad Ecclesiam pro assistendo Choro, et Divinis Officiis?

2. An in diebus solemnioribus teneantur eum reducere ad eamdem Aulam, sive potius usque ad fores Ecclesiae in casu etc?

3. An Canonicus Magister caeremoniarum teneatur requirere Episcopum, utrum, et quando velit accedere ad Ecclesiam, pro assistendo divinis Officiis, sive potius ipse Episcopus teneatur notificare Capitulo suum accessum ad Ecclesiam?

4. An Episcopus teneatur reperiri in Ecclesia hora congrua pro assi-

stendo Missae conventuali, sive potius Celebrans expectare debeat ultra dictam horam?

5. An, celebrante Episcopo in Pontificalibus die Festo S. Benedicti in Ecclesia Monialium Ordinis ejusdem Sancti, teneantur Dignitates, et Canonici in corpore praestare assistentiam eidem Episcopo, seu potius assistere tantum ei debeant duo ex Canonicis? Et quatenus negative ad primam, et affirmative ad secundam partem.

6. An Episcopus teneatur istos duos Canonicos assumere, et deferre in suo curru in casu etc?

7. An liceat Vicario generali assistere Divinis in sua sede ad partes extra scamna canonicalia, et ante eam habere genuflexorium cum tapete, et pulvinari, vel potius sedere debeat in Choro sine istis ornamentis, sicut caeterae Dignitates, et Canonici, praeter Celebrantem habentem sedem ornatam?

8. An liceat Episcopo retinere suam sedem Episcopalem, seu thronum sex gradibus elevatum, seu potius ipse teneatur hanc sedem reducere, et dimittere ad tres tantum gradus, juxta legem Caeremonialis lib. 1. cap. 13.

9. An, celebrante Episcopo Missam privatam in Cathedrali, vel in alia Ecclesia, cogi possint duo ex Canonicis una cum altero Canonico Magistro caeremoniarum ad assistendum eidem Episcopo in casu?

Et S. eadem R. C., visis juribus hinc inde deductis, et utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Teneri semper, ac Episcopus accedat cum cappa magna, etiam in Dominicis, et Festis minus solemnibus.*

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam in casu etc.*

Ad 3. *Affirmative juxta modum.* Modus est, *ut teneatur in diebus, in quibus Episcopus solet assistere, in reliquis Negative.*

Ad 4. *Quoad primam partem Episcopum debere opportune accedere ad Ecclesiam hora constituta, quoad secundam satis provisum in prima.*

Ad 5. *Negative quoad primam partem, et ad secundam Affirmative cum Canonicis necessariis pro celebratione in Pontificalibus.*

Ad 6. *Arbitrio Episcopi.*

Ad 7. *Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam partem.*

Ad 8. *Ad mentem, quae est, quod thronus Episcopi superemineat supra stallo Canonicorum.*

Ad 9. *Negative*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 10. Decembris* 1740.

3955. SALISBURGEN.

Cum exortum fuerit Dubium circa recitationem Officii SSmi Sacramenti extra tempus Paschale Civitati, et Dioecesi Salisburgen, ac omnibus Dominiis, ac Statibus haereditariis Augustissimae Domus Austriae, ex indulto Apostolico concessi pro qualibet Feria V. non impedita, et ad omnes dispu-

tationes tollendas ex parte Consistorii Salisburgensis, S.R.C. humillime supplicatum fuerit, quatenus declarare dignaretur: An in Officio votivo SSmi Sacramenti, quod recitatur ex indulto Apostolico in Dioecesi Salisburgensi in Responsoriis ad Matutinum, Responsoriis brevibus horarum, Versiculis *ad Magnificat*, et *Laudes* recitari debeant *Alleluja*, prout dicitur in Officio Festivo diei solemnitatis Corporis Christi?

Eadem S. C., exquisito prius voto unius ex caeremoniarum Magistris SSmi Dni Nostri, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Belluga, rescribendum Censuit: *Negative*. Et ita decrevit. *Die* 10. *Decembris* 1740.

3956. CALAGURITANA.

Ex parte Rectoris Ecclesiae S. Jacobi Civitatis Calaguritanae, expositum fuit, quod in quibusdam Ecclesiis Dioecesis Calaguritanae, et Calceaten., et praesertim in Parochialibus SSrum Apost. Jacobi, et Andreae dictae Civitatis Calaguritanae sit consuetudo in Oratione: *Non intres in judicium cum Servo tuo Domine*: in humatione foeminae dicere: *cum Famula tua*, vel, *Ancilla tua*: exortum fuit Dubium ab aliquibus Beneficiatis dictarum Ecclesiarum asserentibus, non licere mutare verbum aliquod ex contentis in praedicta Oratione, nisi de illo expressa mentio fiat, et licet, mota lite, inter ipsosmet Beneficiatos sic fuit decisum ab Ordinario Dioecesano, attamen aliqui insistunt pro mutatione; et pro sedanda quaestione Rector praefatae Ecclesiae S. Jacobi, S. R. C. humillime supplicavit, quatenus declarare dignaretur: Quomodo servandum esset?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondit: *Servetur Decretum editum in Fanensi* 31. *Augusti* 1697. (3292.) *nempe in depositione defunctorum in verbis illis*: Non intres in judicium cum Servo tuo Domine, quia nullus apud Te justificabitur homo: *quando est mulier*, *aut plures sunt defuncti*, *non possunt verba*: Servo tuo: *permutari in* Serva tua, *vel* Servis tuis. Et ita declaravit. *Die* 21. *Januarii* 1741.

3957. MELEVITANA.

In causa Melevitana verten. inter Rmum Episcopum ex una, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Pauli Civitatis Vallettae ejusdem insulae partibus ex altera, super genuflexione facienda a praefatis Canonicis eidem Rmo Episcopo, occasione functionum Ecclesiasticarum, orta controversia, eaque ad S. R. C. delata, Emus, et Rmus D. Card. Lercarius infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An Dignitates, et Canonici insignis Collegiatae Divi Pauli in functionibus Ecclesiasticis, quoties transierint ante Episcopum, debeant eidem Episcopo genuflectere, vel tantum caput, et humeros profunde inclinare in casu etc.?

S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem ipsius Emi D. Cardinalis Lercarii, rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem*, *et Negative ad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Januarii* 1741.

3958. MUTINEN.

Delatis ad S. R. C. controversiis super praecedentia in associatione cadaverum a Parochis Civitatis Mutinen. excitatis contra Mansionarios Capituli Illius Ecclesiae Cathedralis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Lercarius infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An Parocho defuncti, et respective Parocho Ecclesiae tumulantis debeatur in associatione cadaverum praecedentia supra Mansionarios Capituli Cathedralis in casu etc.?

S. eadem C., utraque parte informante audita, ac visis juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit; *Negative, quatenus interveniat Capitulum Cathedralis*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 21. *Januarii* 1741.

3959. MELEVITANA.

Inter Dignitates, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Melevitanae ex una, et Capitulum Eccl. Colleg. S. Pauli Civit. Vallettae partibus ex altera, super nonnullis praeeminentis exortis controversiis, illisque ad S. R. C. deductis, Emus, et Rmus D. Card. Lercarius infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Civitatis Notabilis non invitatis competat jus interveniendi in Ecclesia Collegiata S. Pauli Civitatis Vallettae in Festo Naufragii dicti Sancti ad solemnizandam ejus Festivitatem, invitis Archipresbytero, et Canonicis Collegiatae?

2. An hoc idem jus competat etiam, Sede Episcopali vacante?

3. An eisdem invitatis ab Episcopo tantum, competat dictum jus, invitis praedictis Archipresbytero, et Canonicis Collegiatoe? et quatenus affirmative.

4. An Episcopo Pontificaliter celebranti in eadem Ecclesia Collegiata in die Festivitatis praedictae debeatur assistentia a Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis, vel potius a Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Collegiatae?

5. Quomodo sint assignanda stalla, seu disponendae sedes Canonicorum Cathedralis, et Collegiatae respective in casu praedicto?

6. Quomodo sit providendum circa receptionem Episcopi, et ejus associationem, occasione accessus ad Oratorium S. Pauli?

7. Quomodo, et quo ordine intervenire, et accedere debeant in Processione?

8. An Canonici tam Cathedralis, quam Collegiatae sint thurificandi duplici ductu?

S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis mature perpensis, ac utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1., et 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative quoad assistentiam tantum, reservato jure peragendi functiones Festivitatis Canonicis Collegiatae, dummodo Ecclesia Cathedralis non defraudetur suo servitio*.

Ad 4. *Assistentiam deberi a Canonicis Ecclesiae Cathedralis.*

Ad 5. *Esse assignanda stalla tam Canonicis Cathedralis cum aliquo ornatu pro illis tantum, quam Collegiatae, dummodo primi praecedant secundis.*

Ad 6., et 7. *Tam in associatione Episcopi, quam in Processione deberi praecedentiam, et locum digniorem prope Episcopum Canonicis Cathedralis; receptionem vero spectare ad Canonicos Collegiatae.*

Ad 8. *Affirmative in omnibus.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 21. Januarii* 1741.

3960. BONONIEN.

Super Jure praecedendi in associatione cadaverum inter Parochos Civitatis Bononiae, et Consortiales, ac Mansionarios tam Metropolitanae, quam Collegiatarum Ecclesiarum ejusdem Civitatis, ortis controversiis, praetendentes isti erigere non minus propriam Crucem, quam etiam praecedere Crucis Parochialis; iisque ad S. R. C. delatis,

S. eadem C., Procuratore tantum praedictorum Consortialium, ac Mansionariorum audito, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Fini Ponentis sub die 9. Maii 1739. (3939.) rescripsit: Emo Archiepiscopo pro omnimoda executione resolutionis S. R. C. editae sub die 4. Aprilis 1699. (3364.) et in sequelam ejusdem resolutionis eadem S.C. declaravit: Parochos Bononienses teneri admittere sub eorum Cruce Consortiales, seu Mansionarios Ecclesiae Metropolitanae, et Collegiatarum Bononiae a defunctis, aut ab illorum haeredibus vocatos ad funera; ac proinde Emus Archiepiscopus procedat prout de jure tam contra Parochos renuentes illos admittere sub eorum Cruce, quam in casu, quo ausi fuerint avertere aut per se, aut per alios, sive mediate, sive immediate Fidelium voluntates a vocatione Consortialium aut Mansionariorum in associationibus ad funera. Reproposita deinde ad instantiam dictorum Parochorum adversus praedictam resolutionem causa in eadem S.C. Ordinaria habita coram SSmo die 22. Aprilis proxime praeteriti per Emum, et Rmum D. Card. Accorambonum, loco praefati Emi Ponentis ab urbe absentis, super infrascriptis Dubiis, nempe.

1. An Parochi Bononienses teneantur admittere sub eorum Cruce Mansionarios, vel Consortiales Ecclesiarum Metropolitanae, et Collegiatarum Bononiae a defunctis, vel ab haeredibus vocatos ad funera, sive potius iidem Mansionarii, et Consortiales teneantur in associatione cadaverum propriam Crucem elevare? Et quatenus affirmative quoad primam partem.

2. An dicti Consortiales, et Mansionarii praecedere debeant Clero Parochi in casu etc.? Quatenus vero negative quoad primam partem primi Dubii, et affirmative ad secundam.

3. An dicti Mansionarii, vel consortiales cum eorum Cruce praecedere debeant Cruci Parochi?

S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem; Negative quoad secundam.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Provisum in primo*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 22. Aprilis* 1741.

3961. WILNEN.

Ex parte Fratris Xisti a S. Cypriano Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum excalceatorum Conventus Civitatis Wilnen. in Lithuania pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. humillime supplicatum fuit, nempe.

Quando Dominica tertia post Pascha, cui est affixum Festum Patrocinii S. Joseph secundae classis, occurrit Festum altioris ritus, ut in Regno Poloniae S. Adalberti Martyris, et S. Stanislai Martyris, utrumque ad populum celebre secundae classis cum Octava; vel majoris dignitatis; ut Festum Inventionis SSmae Crucis; debeantne praedicta Festa altioris ritus, vel majoris dignitatis cedere Patrocinio S. Joseph; non obstantibus in contrarium Rubricis, et Decreto S. R. C. emanato 20. Martii 1683. (2870. ad 5.); An potius in tali occurrentia Patrocinium dictum, juxta praefatum Decretum debeat omitti, vel, ex novo indulto benignissime concedendo, transferri (quod magis optatur) in Dominicam sequentem, vel ubi fuerit impedita, in aliam Dominicam, vel aliam diem non impeditam?

2. Quando eadem Dominica tertia occurrit Festum S. Marci Evangelistae, vel SSrum Apostolorum Philippi, et Jacobi, debeatne S. Joseph censeri dignior praedictis, ex quo positus est in Litaniis ante omnes Apostolos post S. Joannem Baptistam, et Decretum extat S. R. C. 22. Augusti 1711., (3692.) quod Dignitas personae etiam attendi debeat juxta ordinem Litaniarum, itaut praedictum patrocinium non cedat praefatis Festis, vel debeat cedere, vel omitti hoc anno, vel transferri saltem, ut supra dictum est?

3. Cum Dominica infra Octavam Assumptionis B. M. V. celebretur in Regno Poloniae Festum S. Hyacinthi Patroni Principalis duplex primae classis cum Octava, et eadem Dominica recenter sit assignata perpetuo a S. R. C. Festo S. Joachim, possitne dictum Festum S. Joachim licite celebrari 20. Martii, ut olim, cum hac Dominica nunquam de eo Officium fieri posset, vel transferri in aliam diem non impeditam, vel in Dominicam ante Nativitatem B. M. V, nunquam impedibilem, cum Dominica post Octavam Assumptionis sit jam pridem assignanda translationi S. Casimiri? Et si fieret de S. Joachim 20. Martii; utrum sit celebre ad populum, secundum Decretum nuper emanatum 20. Septembris 1738.?

4. Cum Dominica post Octavam Assumptionis B. M. V. sit assignata pridem a S.R.C. translationi S. Casimiri Conf., et eadem Dominica perpetuo occurrat Octava S. Hyacinthi Conf.; de quonam Officium habendum? An de translatione S. Casimiri cum commemoratione diei Octavae S. Hyacinthi, cum non sit majoris dignitatis, vel ritus haec Octava, ut ob eam omittetur dicta translatio, an vero de Octava S. Hyacinthi, transferendo translationem S. Casimiri in aliam diem non impeditam, vel in aliam Dominicam post Octavam Nativitatis B. M. V.?

5. Cum de concessione Officii S. Ursulae, et Sociarum Virginum non

constet a Sede Apostolica, et tamen omnes Dioeceses de illa habeant Officium duplex 21. Octobris, excepta Dioecesi Cracoviensi: an licite possint omnes de illa Officium habere, vel omnes Dioeceses debeant cessare a tali recitatione?

6. Cum Decreta S. R. C. sequentia videantur sibi contraria: Primum: Festa universalis Ecclesiae praeponi debent Festis particularibus Ordinis, et aequalis ritus eodem die occurrentibus, ac etiam in translatione 27. Septembris 1697.: secundum: In occurrentia Festi Calendarii particularis, et Festi Calendari universalis cum paritate ritus, et sine excellentia majoris dignitatis, faciendum est Officium de primo, translato secundo: 12. Julii 1704. (3551.) Quodnam ex his Decretis debeat servari, etsi Festum particulare Ordinis occurrat eodem die cum paritate ritus, et dignitatis cum universali, quod debeat cedere?

7. Quomodo sequentia Decreta S.R.C. sint concordanda, et quodnam servandum? Primum sic sonat: Non potest assignari dies fixa Festis translatis sine speciali Decreto Sedis Apostolicae 28. Novembris 1682. (2856.): secundum: Nemo potest assignare Festis translatis propriam diem occupare non valentibus aliam diem veluti propriam, et fixam in perpetuum, inconsulta S. Sede Apostolica, sed servandas esse quoad hoc Rubricas Breviarii Romani de translatione Festorum, 22. Augusti 1722.: His videntur contraria sequentia: Primum: Quando plura Officia de praecepto eadem die ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, vel aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita assignata censeatur in perpetuum pro die propria Festi translati S. R. C. 18. Octobris 1696. secundum, et tertium, his Festis, quae ob fixam occurrentiam alterius deberent esse perpetuo translata, assignanda est tamquam dies propria, et perpetua, ipsa die proxima non impedita, addendo, quod in posterum quoad talem assignationem non sit opus facere ullum recursum, sed fiat ubi occurrit secundum Rubricas communes circa diem non impeditam 2. Julii 1712. (3697.) et 20. Novembris 1717. (3753.) cum autem S. R. C. non potest sibi esse contraria; nemo enim sibi praesumutur esse contrarius; quomodo sint intelligenda, et practicanda?

Ultimo: Cum in nostro Ordine Octava Corporis Christi sit privilegiata ex novo Indulto S.R.C. 21. Aprilis 1738., ita ut de nullo Festo infra eamdem Ottavam fieri possit, nisi fuerit duplex primae classis, in quo aequiparatur in Ordine nostro Octavae Epiphaniae Domini, nam etiam infra hanc Octavam non potest fieri, nisi de Festo primae classis: An Octavae inchoatae ante Festum Corporis Christi, adveniente eodem Festo, debeant cessare sicut aliae Octavae cessant a die 17. Decembris usque ad Epiphaniam ob paritatem rationis, maxime si Festum secundae classis cum Octava incideret infra hanc Octavam, et de Festo fieri non posset, et Octava periret: an vero non debeant cessare, sed commemorationes sint faciendae de illis?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, et ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Gotti, rescribendum censuit.

Ad 1. *Faciendum est Officium de S. Adalberto Martyre, sive de S. Stanislao pariter Martyre in Regno Poloniae, aliquando occurens in Dominica tertia post Pascha, cum facultate transferendi Festum Patrocinii S. Joseph in primam diem non impeditam, quae tamen non sit Dominica.*

Ad 2. *Negative quoad primam partem propositae difficultatis. Pro gratia vero quoad secundam partem, videlicet, quod Officium Patrocinii S. Joseph transferri possit in diem non impeditam, sed extra Dominicam.*

Ad 3. *Faciendum esse in Regno Poloniae in Dominica infra Octavam Assumptionis Officium de S. Hyacintho, assignata prima die Officio S. Joachim, cum hujus Festum non sit de praecepto, neque ejus Festum possit celebrari ante Dominicam infra Octavam Assumptionis.*

Ad 4. *Assignata firma die Festo translationis S. Casimiri, faciendum esse Officium de die Octava S. Hyacinthi in Dominica post Octavam Assumptionis.*

Ad 5. *Satis vulgatum, pluribusque Decretis firmatum est, Officia particularibus locis concessa, quantumvis Sanctorum in Martyrologio Romano expressorum, Sede Apostolica inconsulta, non posse ab aliis recitari. Hinc cum sermo sit de Officio S. Ursulae a S. R. C. adprobato, ac non semel concesso, ejus extensio expetenda est, ut Officium licite, ac valide recitetur iis in locis, in quibus praefatae S. Ursulae Festum cum Officio celebratur absque S. C. indulto.*

Ad 6. *In occurrentia Festorum ejusdem ritus, et alias quomodocumque parium talis ordo servetur, ut primum locum habeat Officium Ecclesiae particularis: secundum Ordinis, seu Religionis: tertium Dioecesis: quartum Nationis: quintum Ecclesiae Universalis.*

Ad 7. *Serventur posteriora, et ultima S. R. C. Decreta, per quae assignatio alterius diei Officio in perpetuum impedito fieri potest, Sacra Congregatione inconsulta, prout ex Decretis 2. Julii 1712., et 20. Novembris 1717. (3697. 3753.).*

Ad 8. *Si Octava inchoata sit ante Festum Corporis Christi, eo adveniente, Octava est deserenda. Quod si infra Octavam occurrat Festum sub ritu duplici primae classis, de eo celebretur Officium cum commemoratione Octavae Corporis Christi, infra cujus Octavam fiet de ipsa Octava Corporis Christi cum commemoratione Octavae occurrentis. Si vero infra Octavam Corporis Christi occurrat Festum secundae classis, nihil de eo fit, sed transfertur post Octavam Corporis Christi, pereunte Octava Festi translati, si post octo dies a die ejusdem Festi Octava celebretur*. Et ita declaravit. *Die 22. Aprilis 1741.*

3962. CORTONEN.

Cum Capitulum, et Canonici Cathedralis Ecclesiae Cortonen. exposuerint, quod ex usu, et consuetudine a S. R. C. approbata sub diebus 19. Junii 1602., et . . . Junii 1604. per eos celebrari solet Missa solemnis jugiter, et passim in dicta Cathedrali, ac quotannis in Ecclesiis S. Margaritae Ordinis Minorum de Observantia pro illius geminato Festo, ac in illa

quoque S. Antonii Abbatis Ordinis Servorum pro illius annua festivitate, ultra assistentiam Diaconi, et Subdiaconi cum illa etiam Presbyteri cum pluviali parati. Cupiens modo habere dictum Presbyterum paratum quando solemniter canunt Missam etiam in Ecclesiis Monialium, aliarumque Ecclesiarum ejusdem Civitatis, et Dioecesis, pro extensione hujusmodi facultatis, S.R.C. humillime supplicarunt.

Et S. eadem C., audita prius informatione Episcopi, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Guadagni, *Oratorum instantiae juxta petita benigne annuit*. *Die* 20. *Maii* 1741.

3963. MELEVITANA.

Proposita in hac S. R. C. diei 21. Jan. proxime praeteriti (3957.) causa Melevitana inter Rmum Episcopum ex una, et Canonicos Collegiatae Ecclesiae S. Pauli partibus ex altera, super infrascripto Dubio.

An Dignitates, et Canonici insignis Collegiatae ecclesiae Divi Pauli Civitatis Vallettae Insulae Melevitanae in functionibus ecclesiasticis quoties transeunt ante Episcopum, debeant eidem Episcopo genuflectere, vel tantum caput, et humeros profunde inclinare?

S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Lercari Ponentis, rescripsit: *Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam*. Cum autem super hujusmodi resolutione ad instantiam Canonicorum praedictae Collegiatae a dicto Emo Ponente nova concessa fuerit audientia, in cujus sequelam, altero Dubio inter partes concordato, modo idem Emus Ponens infrascriptum decidendum proposuit.

An sit standum, vel recedendum a decisis?

Et S. eadem C., partibus in scriptis, et in voce denuo informantibus auditis, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit: *In decisis, et amplius*. *Die* 20 *Maii* 1741.

3964. NUCERINA PAGANORUM.

In causa Nucerina Paganorum inter sodales Confraternitatis SSmi Corporis Christi, habentes propriam Ecclesiam sub eodem titulo prope Parochialem S. Felicis, qui semper, et usque ad praesens in Dominica infra Octavam Festi SSmi Corporis Christi solemnem Processionem peregerunt, etiam vigore resolutionis hujus S. R. C. editae sub die 15. Novembris 1603., nec non communitatem nuncupat. Universitatem Paganorum ejusdem Civitatis, praedictis sodalibus adhaeren. ex una, et Dignitates, et Canonicos Cathedralis Ecclesiae praefatae Civitatis, ac Promotorem Fiscalem illius curiae Episcopalis praetendentes in eadem Processione deferri non posse vestes sacras per Presbyteros, Diaconos, et Subdiaconos, nec extolli Crucem processionaliter a Subdiacono cum tunicella parato, partibus ex altera, propositis in eadem S.R.C. per Emum, et Rmum D. Cardinalem de Tencin Ponentem infrascriptis Dubiis, videlicet:

1. An Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi in Processione, quae peragitur Dominica infra Octavam solemnitatis SSmi Corporis Christi intra limi-

tes totius Pareciae S. Felicis Universitatis Paganorum, possint induere super albas Casulas, et respective Dalmaticas, et Tunicellas?

2. An Crux processionalis possit deferri ante Clerum per Subdiacoum cum Tunicella paratum: vel potius quoad utrumque sit servandum assertum solitum in casu etc.?

Eadem S. R. C., audita informatione Episcopi, ac utraque parte informante audita tam in voce, quam in scriptis, ac juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi, et Rmi Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. Dubium: *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative quad primam partem*, *Negative quoad secundam*, *et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 20. *Maii* 1741.

3965. NULLIUS FASANI.

Ex parte Sacerdotis Joannis Antonii Ferrari Magistri caeremoniarum majoris Ecclesiae S.Joannis Baptistae, Nullius Terrae Fasani, expositum fuit, Capitulum dictae Ecclesiae ab immemorabili, ut asseritur, in associandis cadaveribus Sacerdotum defunctorum; loco intonandi Antiph. *Exultabunt Domino*, et Psalmum *Miserere etc.*, servata Ritualis Romani dispositione titul. de exequiis; consuevisse intonare cantu modulato ante domum defuncti Invitatorium Officii: *Regem cui omnia etc.* cum Psalmo *Venite, exultemus* per totam viam usque ad Ecclesiam tumulantem, ubi, deposito feretro, prosequitur reliquum Officium defunctorum, semper omittendo praedictam Antiphonam: *Exultabunt*, Psalmum *Miserere*, et Responsorium: *Subvenite Sancti Dei*: cum precibus, et oratione subsequenti, prout in dicto Rituali praescribitur. Quae praedicta omnia animadvertens praefatus Orator per dictum Capitulum fieri contra formam Ritualis Romani, et stili omnium Ecclesiarum; a S. R. C. declarari, quomodo imposterum servandum esset? demisse supplicavit.

Et S. eadem C., audita prius informatione Ordinarii, rescripsit: *Servetur Rituale Romanum*. *Die* 20. *Maii* 1741.

3966. FOSSANEN.

Cum a S. M. Benedicto XIII. concessum fuerit universo Dominio Regis Sardinae Indultum recitandi Officium SSmae Sindonis in qualibet Feria VI. a Festo duplici, vel semiduplici non impedita, et specialiter in Quadragesima; et ad tollendas dissensiones, quae singulis annis in hujusmodi recitatione oriri solent, Joannes Baptista de Comitibus caeremoniarum Magister Civitatis Fossanen. S.R.C. humillime supplicavit, quatenus benigne declarare dignaretur; An dictum Officium recitari debeat solum in Quadragesima, vel indistincte in aliis feriis Adventus, vigiliarum, et quatuor temporum?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Gotti, rescribendum censuit; *Suffragari Indultum pro VI. Feriis Quadragesimae tantum*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Julii* 1741.

3967. JANUEN.

Cum ex parte confratrum Confraternitatis Mortis, et Orationis sub invocatione S. Luciae Civitatis Januen. expositum fuerit, quod iidem confratres speciali Instituto solent qualibet feria secunda, a Festo duplici minime impedita, sese congregare in Oratorio dictae Confraternitatis, ibique recitare Officium defunctorum, et assistere Missae de Requiem, quae iu cantu celebratur pro Anima cujuslibet confratris nuperrime vita functi, eoque deficiente, pro universitate eorumdem confratrum, ac consororum; verum quia ob frequentiam SSrum duplicium occurrentium in dictis feriis secundis saepe saepius non potest dicta Missa in cantu celebrari; propterea, ad occurrendum hujusmodi impedimento, confratres praefatae Confraternitatis S.R.C. humillime supplicarunt, quatenus ad promptius suffragium praestandum Animabus eorum confratrum, facultatem celebrandi in dicto Oratorio singulis feriis secundis, etiam a festo duplici impeditis, unicam tantum Missam in cantu impertiri dignaretur.

Et S. eadem C., audita prius relatione Rmi Archipresbyteri: *Oratoribus gratiam petitam, exceptis tamen duplicibus primae, et secundae classis, ac festis de praecepto*, benigne concessit. *Die* 8. *Julii* 1741.

3968. LAMACEN.

Moniales Monasterii das Chagas nuncupat. Civitatis Lamacen. sub regula S. Francisci S. R. C. pro declaratione Dubii in infrascripto supplici libello idiomate vulgari porrecto, humillime supplicarunt, tenoris sequentis, videlicet.

„ Emi, e Rmi Sigg. D. Antonio Telles Vescovo della Città di Lame-
„ go già defonto fondò un Monastero di Monache in detta Città nuncupato
„ das Chagas sotto la Regola di S. Francesco, imponendo a dette Monache
„ di recitare quotidianamente l' Officio Divino, e che nell' ora di Terza si
„ cantasse da un Cappellano la Messa, che concordasse coll' Officio suddetto,
„ e questa terminata, si cantasse un Responsorio sopra la sua sepoltura situa-
„ ta nella Chiesa di detto Monastero, senza eccettuare verun giorno. Per-
„ lochè le Monache del Monastero sudetto Oratrici Ume dell' EE. Loro, ri-
„ conoscendo, che il cantarsi il detto Responsorio ne giorni Festivi, ed in
„ particolare di prima classe, o in occasione di qualche Festività, che si
„ celebra in detta Chiesa, sia inconvenevole, e che rechi scandalo al popo-
„ lo, ricorrono all' EE. VV. umilmente supplicandole, dichiarare, se ne
„ giorni impediti, come sopra, può lasciarsi di cantare il detto Responso-
„ rio col farlo anticipatamente nel giorno avanti, oppure susseguentemente
„ in giorno non impedito, cantarsene quanti ne saranno stati tralasciati per
„ causa de giorni impediti, che etc?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit, *ut supradictum Responsorium pro defunctis sic, Testatore jubente, quotidie possit decantari, exceptis duplicibus primae, et secundae classis, et Octavis eorumdem Festorum privilegiatis, nec non tota hebdomada majori. In Festis autem primae classis, et Octavis privilegiatis, praedictaque majori hebdomada, ne pia Testatoris volun-*

tas defraudetur, recitetur privatim in Choro a Monialibus praedictis, absolutis horis Canonicis. Et ita declaravit. *Die* 8. *Julii* 1741.

3969. TIFERNATEN.

Ad tollendas lites, et controversias, quae oriri solent tum tempore Adventus, tum Quadragesimae, occasione concionum, quae habentur in Ecclesia Patrum Minorum Conventualium Terrae釘iternae Dioecesis Tifernaten circa reverentiam praestandam a Concionatore tum Archipresbytero cum Clero, et Commissario ibi praesentibus. Ex parte Bartholomaei de Angelis Archipresbyteri ejusdem Terrae S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus infrascriptum Dubium benigne declarare dignaretur.

An, et cui debeatur salutatio per sacrum Praeconem facienda in Adventu, et Quadragesima, aliisque temporibus, occasione sac. Concionum, quae fieri solent in Ecclesia Patrum Min. Conventualium S. Francisci dictae Terrae, praesentibus, et adstantibus in eorum respective scamnis, aut sedilibus destinatis ad audiendum Verbum Dei, Archipresbytero cum Clero, et Commissario: An scilicet talis salutatio debeatur prius Archipresbytero, vel nulli?

S. eadem C., audita prius informatione Episcopi, ac visis juribus deductis, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Gotti Ponentis sub die 11. Iulii 1739. rescripsit: *Deberi primam salutationem Archipresbytero, dummodo sit indutus cotta*.

Habitoque per praedictum Archipresbyterum ad eamdem S. R. C. recursu pro declaratione praefatae resolutionis, eo quia in dicta Ecclesia Regularium Archipresbyter praedictis temporibus cum cotta non incedat.

S. eadem C., re mature discussa, atque iterum examinata, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Praevio recessu a decisis, deberi primam salutationem Archipresbytero, etiam sine cotta*. Et ita declaravit. *Die* 8. *Julii* 1741.

3970. AQUEN.

Unus e Presbyteris Directoribus Seminarii Aquensis, et a Clero ejusdem Dioecesis praepositus ad praebendum quotannis ordinem Divini Officii, dicendi juxta Ritum Breviarii Romani, S.R.C. humillime supplicavit, quatenus sequentia Dubia declarare dignaretur.

1. Si contingat Festum Annunciationis B. M. V. transferri, debetne figi ad feriam secundam post Dominicam in Albis prae duplici, aut semiduplici eo die occurrente, vel prae duplici primae classis itidem translato? Eritne eadem Responsio, sive transferatur cum Officio Annuntiationis ejus Festum, sive non? In genere translatis duobus Officiis ejusdem Ritus, sed quorum unum Festivum est, de quo prius agendum? Quid si utrumque festivum sit, sed cum uno transferatur Festum, non cum alio, quia scilicet unum incidit Sabbato Sancto, aliud Feria tertia post Pascha? Quid si Festum (Annunciatio) ver. gr. sit tantum secundae classis, aliud vero primae classis, sed non festivum, ver. gr. Dedicatio Ecclesiae extra Civitatem?

2. De duplicibus translatis fitne die sequenti prae aliis duplicibus translatis, sed remotioribus? Semiduplex, occurrens in die duplici primae clas-

sis habente Octavam, debetne transferri in diem immediate sequentem, in qua de Octava faciendum esset? Si Dominica infra Octavam occurrat Festum semiduplex, debetne fieri de eo die sequenti prae duplici translato? Semiduplex occurrens in die duplici (juxta Calendarium proprium), et simul infra Octavam, debetne transferri in diem sequentem, an post Octavam? Citantur circa hos casus Decreta 31. Septembris 1679. (2754.) suntne vera, an apocrypha?

3. Duplicia, quae coluntur a populo de praecepto, suntne eo ipso duplicia majora? Duplicia majora habentne eo ipso Lectiones primi Nocturni proprias? Concurrentibus duobus Officiis ejusdem ritus, si unum festivum est de praecepto, habetne integras Vesperas? ver. gr. si Annunciationis Officium translatum concurrat cum Festo S. Marci, quomodo dicendae sunt Vesperae? Item dies Octavae Festorum Domini, vel B.M.V., aut Officia duplicia majora in concursu cum duplici festivo, habentne Vesperas integras?

4. Potestne celebrari Missa solemnis pro defunctis, corpore praesente Feria secunda post Pascha, aut post Pentecosten? Potestne celebrari die duplici primae classis non festivo, si corpus pridie sepultum sit? Anniversaria fiuntne infra Octavas privilegiatas? Applicatio fructus Sacrificii in die commemorationis omnium fidelium defunctorum potestne fieri ad libitum Sacerdotum, an praescripta est pro omnibus generatim fidelibus defunctis? Gavantus monet faciendam esse pro omnibus. Citatur tamen Decretum anni 1663. negans obligationem. Estne verum, an Apocriphum? In Missis quotidianis defunctorum possuntne dici plures, quam tres Orationes? Et Oratio secunda potestne mutari scilicet dici ver. gr. pro Patre, prae notata: *Deus veniae largitor*? Possuntne in Missa de Requiem consecrari Hostiae infra eam distribuendae?

5. Cum SSmum Sacramentum expositum est, debetne in Altari collocari Crux, etiam post tempus Sacrificii? Potestne fieri commemoratio de SSmo Sacramento in Missa de Festo duplici coram ipso exposito celebrata, dummodo Festum non sit primae, vel secundae classis? Suntne salutandae Reliquiae expositae in Altari, in quo et ipsum Sacramentum expositum est?

6. Possuntne adimpleri quaelibet fundationes sive in honorem SSrum, sive pro defunctorum liberatione, Missam de die celebrando? Quoties in Missa tertia Oratio est ad libitum, potestne dici de Sanctis, quorum Missa est in Missali, vel de SSmo Sacramento, aut de Patrono?

7. Officia SSrum ad libitum incidentia in die impedita in perpetuum possuntne figi ab Ordinariis? Verumne est Decretum circa hoc, quod citatur tamquam emanatum 20. Decembris 1703., (3515. ad 12.) revocans in hoc aliud Decretum 24. Januarii 1682. (28 7.).

8. Debetne fieri in tota Dioecesi Officium cum Octava Titularis Ecclesiae Cathedralis, aut Patroni? In Hymno *Iste confessor* diciturne: *Hac die laetus meruit supremos laudis honores*, cum id notatur, sive quis novis, sive veteribus hymnis utatur? Praedicta mutatio debetne fieri cum officium

Sancti habentis Octavam transfertur, sed non ultra octo dies? Et quando tunc dicitur per reliquos Octavae dies, quomodo dicendum. *Hodie laetus meruit secreta*, an *meruit supremos etc.?* Si Festum Stygmatum S. Francisci transferatur, fitne in Hymno aliqua mutatio? In festo S. Joachim nunc nonne dicendum est: *meruit supremos etc.?*

9. Psalmi Graduales suntne nunc de praecepto pro Choro? Suntne saltem de praecepto pro Canonicis non legitime dispensatis a Choro? Quid si ex legitima dispensatione absint? Idem dicendum de Officio defunctorum, Psalmis Paenitentialibus, et de Officio parvo B. M. V. In Martyrologio Festa pro semper ad aliam diem remissa quandonam pronuncianda sunt? Die, quo notantur, an quo celebrantur? Organa debentne silere Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae?

10. In concursu septem Dolorum B. M. cum ejus Annunciatione fitne commemoratio septem Dolorum? Ubi Festum S. Petri ad Vincula, vel Conversio S. Pauli est titularis per Octavam, fitne duplex distincta commemoratio, an unica communis per Antiph. Petrus Apostolus?

11. Si Episcopus non sit primum consecratus pro Ecclesia, cui praeest, sed pro alia, a qua ad praesentem fuerit translatus, Missa, quae habetur in Missali, quandonam dicenda erit? In die Consecrationis, an in Nominationis, an Translationis?

12. In Festo S. Theresiae, et in die Octava Dedicationis Ecclesiae Lectiones primi Nocturni suntne propriae, seu de communi, an de scriptura occurrente?

13. Possuntne Regulares, cujuscumque sint Ordinis, intra limites Parochiae, et extra ambitum propriae suae Ecclesiae absolutiones defunctis facere, eosque incenso adolere, etiamsi ad id faciendum rogati sint a parentibus defuncti, vel a Magistratibus Civitatis, quando agitur de funeribus unius e Magistratibus, et si contra jus Parochiale supradictas functiones palam, et publice deposito feretro in vico facere praesumant, quanam poena plectendi sunt?

Quam Deus etc.

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit.

Ad 1. igitur respondit: *Quando Festum Annunciationis B. M. V. transfertur simul cum praecepto audiendi Sacrum ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, praefertur cuicumque duplici etiam primae classis eo die occurrenti. Si vero transfertur absque praecepto audiendi Sacrum, praefertur cuicumque Festo translato, licet primae classis, non autem Festis eo die occurrentibus = Obligatio audiendi Sacrum non reddit solemnitatem majorem, sed relinquit Officium in suo ritu: Quare reponendum prius erit Officium altioris ritus prae alio minoris, quamvis istud haberet adnexum praeceptum audiendi Sacrum, cum sit peculiaris tantummodo praerogativa Festi Annunciationis B. M. V., et S. Josephi ex Decretis tum Alexandri VIII., tum Clementis XI., quod ista Festa sic translata, quibuscumque aliis Festis tam translatis, quam occurrentibus*

praeferantur , quando cum illorum Officio transfertur simul obligatio audiendi Sacrum .

Ad 2. *Negative , quia de Officiis translatis fit juxta ordinem translationis in paritate tamen ritus , ac sine excellentia majoris dignitatis , ut scilicet primum celebretur Officium ab ante translatum , et postea fiat de alio secundo loco translato . Semiduplex occurrens in die Officii duplicis primae Classis , habentis Octavam transfertur in diem immediate sequentem , in qua agendum esset de octava . Quod privilegium retinet etiam semiduplex occurrens in Dominica infra Octavam , ut scilicet reponatur in feria 2. sequenti non impedita , etiamsi reponendum esset duplex primae classis prius translatum . Quod vero attinet ad semiduplex occurrens in Festo duplici infra Octavam non privilegiatam, est verum , et non apocriphum Decretum a S. C. emanatum sub die* 30. *Septembris* 1679.

Ad 3. *Festa duplicia , quae coluntur a populo de praecepto , retinent eumdem ritum , quem alias haberent , seclusa hac qualitate praecepti , nec sunt duplicis majoris . Duplicia majora habent lectiones primi Nocturni vel proprias , vel de communi , non autem de Scriptura occurrente . Qualitas festivitatis non est ratio , quod Vesperae sint , et dicantur integrae de tali Festo , nisi hoc Festum fruatur simul qualitate vel majoris dignitatis , vel ritus . Secundae Vesperae Annunciationis concurrentes cum primis diei Festi S. Marci recitantur integrae de Annunciatione ob praestantiam dignitatis, non propter qualitatem praecepti . Idem dicendum de Festis Dñi .*

Ad 4. *Cum , juxta Rubricas Ritualis Romani , absque Missa , quantum fieri potest, defunctorum corpora non sint sepelienda , poterit, praesente cadavere , unica Missa solemnis pro defuncis celebrari feria secunda post Pascha , aut Pentecosten . Haec tamen Missa non decantabitur in duplici primae classis haud festivo , si corpus praesens non fuerit , aut pridie sepultum . Anniversaria adimplenda non sunt infra octavas privilegiatas . In die commemorationis omnium defunctorum applicatio Sacrificii potest fieri ad libitum Sacerdotis , vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum . Fuit alias declaratum ab hac S. C. in una Dalmatiarum* 4. *Augusti* 1663. (2094.) *et in una Ordinis Capuccinorum* 9. *Decembris* 1709. (3670.) . *In Missis quotidianis , quae pro defunctis celebrantur , possunt quidem plures dici Orationes , quam tres , sed curandum, ut sint numero impares , et aliquando pro illa :* Deus veniae largitor : *impune subrogabitur alia ver. gr. pro Patre , pro Matre etc. dummodo ultimo loco dicatur illa :* Fidelium etc. . *In Missis itidem defunctorum , seu ut utar verbis Decreti , in paramentis nigris , non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo Pyxidem a custodia , potest tamen ministrari per modum Sacrificii , prout est quando Fidelibus praebetur Communio cum Particulis infra eamdem Missam consecratis .*

Ad 5. *Et si Decretum hujus S. C. de anno* 1707. (3724.) *praecipiat, quod in Altari , ubi est publice expositum SSmum Sacramentum , tempore Sacrificii , Crux de more collocetur ; non est tamen in viridi observantia,*

et Patriarchales Ecclesiae Urbis *oppositum servant; supervacaneam enim adjudicant Imaginis exhibitionem ubi Prototypus adoratur. Et hac de causa Instructio pro Oratione quadraginta horarum Clementis XI., Benedicti XIII., et Clementis XII. Summorum Pontificum jussu edita, sub silentio praeterit: an locanda removendave sit hujusmodi Crux, linquens quemlibet in sua Praxi. Commemorationem de SSmo Sacramento posse fieri in Missa de Festo duplici, non tamen primae, vel secundae classis, declaravit jamdudum S. haec C.. Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super Altare, in quo reipsa SSmum Sacramentum publicae venerationi est expositum.*

Ad 6. *Affirmative. Dummodo Missa SSrum pro adimplemento fundationis celebranda, seu etiam defunctorum ab occurrente primae, vel secundae classis solemnitate, aut Festivo die quoad forum non impediatur. Tertia Oratio dicenda ad libitum Sacerdotis potest esse vel de Sancto, vel de SSmo Sacramento, vel de Patrono, de passione, de Cruce etc.*

Ad 7. *Officia SSrum ad libitum incidentia in diem perpetuo impeditam, si transferantur, non possunt figi, seu locari perpetuo in alia die ab Ordinariis locorum designanda, inconsulto Sac. Cogne.*

Ad 8. *Affirmative, et quoad mutationem faciendam in Hymno*; Iste confessor etc. *Servanda haec est ab iis tantum, quibus a Breviarii Rubrica injuncta est. Nec praedicta mutatio fiet, quando Officium festivum Sancti habentis, Octavam, non ultra Octavam transfertur, quia tota Octava nihil aliud est, quam extensio ipsius Festi, et ideo versus idem per reliquos Octavae dies, qui forte supererunt, retinebitur. In festo translato Stygmatum S. Francisci nulla est facienda mutatio in Hymno, quae quidem mutatio servanda modo est in Festo* S. Joachim *Dominica infra Octavam Assumptionis celebrando.*

Ad 9. *Canonici extra chorum Officium persolventes non tenentur ad Psalmos Graduales, ad Officium defunctorum, B.M.V. etc., quae quidem Officia sunt onera tantummodo ex praecepto implenda in choro. Festa perpetuo in aliam diem translata sunt praenuncianda in Martyrologio ex ipso die, quo celebrantur. Organa non silent, quando Ministri Altaris Diaconus scilicet, et Subdiaconus utuntur in Missa Dalmatica, et Tunicella, licet color sit violaceus.*

Ad 10. *In concursu Officii Septem Dolorum B.M.V. cum ejus Annuntiationis Festo nulla in Vesperis fit commemoratio Septem Dolorum. Ubi Festum S. Petri ad Vincula, vel Conversio S. Pauli est titulus Ecclesiae, semper per octavam facienda est commemoratio distincta ulterius, prout in die Festo.*

Ad 11. *De Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione Summi Pontificis, Festumque hujusmodi erit annuntiandum cum termino* Translationis.

Ad 12. *In Festo S. Theresiae Lectiones primi Nocturni sunt de Scriptura occurrente, et in octava Dedicationis sunt de communi.*

Ad 13. *Negative quoad primam partem, Parochi jurisdictio supra defunctum durat quousque transeat in aliorum jurisdictionem; non transit autem in jurisdictionem Regularium, nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiae. S. C. Concilii. 28. Februarii 1708. in Sutrina, et 26. Martii 1711. in Montis Politiani. Et sicut non licet Parocho, deposito feretro ante limina Ecclesiae Regularium, consuetas recitare preces supra cadaver S.R.C. in Camerinen. 1. Septembris 1708. (3644.) Ita non poterunt Regulares antequam vere, et realiter sit cadaver intra limites propriae jurisdictionis, super illud absolvere, deposito feretro in vico; qui actus ad summum unice spectaret ad Parochum.* Ad *secundam partem consultius crederem pecuniaria, quia agitur de re mere jurisdictionali, et ex praxi hujus S.C., quae in similibus poenam centum aureorum inflixit Regularibus pulsare audentibus Campanam ante Ecclesiam matricem in die Sabbati Sancti prout constat ex Decreto diei 21. Martii 1609.* Et ita declaravit. *Die 2. Septembris 1741.*

3971. BRACHAREN.

Ex parte Capituli Cathedralis Bracharen. S.R.C. humillime supplicatum fuit pro declaratione Dubii in infrascripto supplici libello idiomate vulgari eidem porrecto, nempe.

Emi, e Rmi Signori „ Il Capitolo della Cattedrale Bracarense umil„ mente espone all' EE. VV., qualmente nella detta Cattedrale, dove v' è un „ rito particolare, si fanno alcune Processioni, nelle quali il Canonico Ed„ domadario porta sotto il baldacchino il Santo Legno della Croce, e lo „ tiene con il velo nelle spalle per uso, che si conserva in detta Cattedrale, „ pertanto l' Oratore supplica umilmente l' EE. VV. di benignamente di„ chiarare, se si deve osservare detto uso di pigliare, e portare il Santo Le„ gno della Croce con il velo, che penda dalle spalle, non ostante, che il „ Ceremoniale comandasse il contrario? Che ec.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondit: *Consuetudo deferendi Reliquiam SSmae Crucis, manibus opertis cum velo a spatulis pendente, potest retineri*; Et ita declaravit. *Die 16. Septemb. 1741.*

3972. PANORMITANA.

Emi, e Rmi Signori „ Il P. D. Stefano Romeo Teatino, e Preposto del „ Collegio di S. Giuseppe di Palermo con tutto l' ossequio espone, essere sta„ ta consuetudine di più d' un Secolo, e solamente interrotta per sette anni „ addietro, e ripresa nell' anno scorso a consiglio del P. Meratta del suo Isti„ tuto celebre in queste materie, di celebrarsi dai Religiosi di detto Collegio „ l' Officio, e Messa de' Santi Sette Protettori di detta Città di Palermo colle „ loro respettive Ottave. E ciò per il motivo, perchè li medesimi si servono „ del Calendario, di cui si vale il Clero Secolare di detta Città. Pertanto a „ togliere ogni dubbio, che possa mai nascere in tale particolarità, supplica „ umilmente il detto Oratore l' EE. VV. a volersi degnare di dichiarare, se

„ detti Religiosi siano tenuti di celebrare li predetti Ufficii, e Messe de' Sette „ Santi Protettori colle loro respettive Ottave? Che della grazia ec.

Super expositis in supradicto supplici Libello, ex parte P. D. Stephani Rommei Theatini, ac Praepositi Collegii S. Joseph Civitatis Panormitanae S. R. C. porrecto; S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondit: *Regulares non teneri ad recitationem Officii de Octava Patroni loci, vel Titularis principalis*. Et ita declaravit. *Die* 10. *Septembris* 1741.

3973. PANORMITANA.

P. Fr. Benardinus a Panormo Minister Provincialis Reformatae Provinciae Vallis Mazzariae exposuit, quod inter Professores trium Ordinum S. Francisci Panormitanae Dioecesis inaequalitas aliqua viget circa recitationem Officii nonnullorum SSrum, pro declaratione infrascriptorum Dubiorum S.R.C. humillime supplicavit, nempe.

1. Festa sanctorum Francisci Solani, Didaci Confessoris, ac Rosae Viterbiensis, quibus concessa est Octava, sunt in Panormitana Dioecesi perpetuo translata: An celebranda sint perpetuo sine Octava, si de ea nihil remanet; an cum residuo Octavae, si quid de ea remanet? vel an cum integra Octava attenta eorum perpetua translatione?

2. Festis jam praedictis pariter concessa est Indulgentia: An, attenta eorum perpetua translatione, transferri etiam possit Indulgentia? Ut multi praetendunt, virtute Constitutionis Leonis X. incipien. *Exposuit* sub die 23. Julii 1518., in qua prope finem habentur haec verba: Ac volumus, ut quoties dictarum Festivitatum, et Octavarum earumdem celebrationes qualibet ex causa, etiam extra tempus, transferantur, etiam Indulgentiae dictas Ecclesias in festivitatibus hujusmodi, et per earum Octavas visitantibus pro tempore concessae ad tempus celebrationis hujusmodi sint, et censeantur translatae.

3. Pluries resolutum fuit Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices. Praedicta resolutio an sit intelligenda de Sanctis tantum, qui aliquando supersunt, et non de illis, qui semper supersunt, ut exponunt aliqui per illa verba: *Tunc in illo anno etc.*? An vero intelligenda sit tantum de semiduplicibus, et non de duplicibus, an vero de utrisque?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caemoniarum Magistris, respondendum censuit. Ad 1. *Festa SSrum Francisci Solani Didaci Conf., ac Rosae Viterbiensis ab assignato cuilibet eorum die perpetuo amota in Panormitana Dioecesi esse celebranda sine Octava, si de ea nihil remaneat, vel cum residuo illius, si de ipsa tantummodo dies supererunt*.

Ad 2. *Translato festo unice quoad Officium, non transfertur Indulgentia tali festo concessa*.

Ad 3. *Decreta, quae statuunt non esse transferendos ad annum sequentem Sanctos, qui in fine supererunt, intelligenda sunt non solum de semiduplicibus, sed etiam de duplicibus, sive ab accidentali, sive a per-*

petuo occurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. Et ita declaravit. *Die* 16. *Septemb.* 1741.

3974. VICEN.

Relata in S.R.C. Causa Vicen. Praeeminentiarum verten. inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Vicen. ex una, et Marchionem, ac Marchionissam de Rupis partibus ex altera, praetendentes retinere pro dicta Marchionissa de Rupis in Ecclesia Cathedrali Vicen. inter Chorum, et Presbyterium tempore, quo sacrae functiones peraguntur, stratum, et sedile cum brachiis, pulvinari, et tapete; Emus, et Rmus D. Cardinalis Belluga infrascriptum Dubium inter partes concordatum declarandum proposuit.

An liceat Marchionissae de Rupis in Ecclesia Cathedrali Vicen. uti strato, et sedili cum brachiis, pulvinari, et tapete in casu etc?

Et S. eadem C., audita prius relatione Episcopi, ac visis Juribus hinc deductis, rescribendum censuit: *Non licere, etiamsi adesset consuetudo immemorabilis uti irrationabilis, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 9. *Decemb.* 1741.

3975. THELESINA.

„ L' Arcidiacono della Cattedrale di Telese Oratore Umo dell' EE. VV. „ riverentemente le rappresenta. esser nata controversia fra Canonici di quel „ Capitolo, se debba dirsi, o nò in fine di Terza il ℣. *Fidelium Animae per* „ *misericordiam Dei requiescant in pace. Amen*. Ogni qual volta immedia- „ tamente dopo debbasi cantare Messa conventuale, cosicchè; sostenendo al- „ tri di sì, ed altri di nò, senza voler punto gli uni cedere agli altri, si stà sù „ di ciò in contesa. L'Oratore intanto, per ovviare al disturbo, che ne nasce, „ e per provederè all' uniformità, che si richiede nel coro, supplica umil- „ mente l' EE.VV. per la risoluzione di sì fatto Dubbio, Che etc.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit rescribendum: *Non est omittendus in fine cujusvis horae* ℣. Fidelium Animae etc. *quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim Textus Rubricae* 30. *Breviarii Romani*. Et ita decrevit. *Die* 24. *Aprilis* 1742.

3976. CONIMBRIEN.

Ex parte Capituli, et Praesidentis in Spiritualibus Cathedralis Ecclesiae Conimbrien. S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus sequentia Dubia declarare dignaretur, nempe,

1. Se il Vescovo possa usare di sedia, stando il SSmo esposto nell' Altar „ Maggiore, dove costuma tenerla, o se deve usare di faldistorio?

2. „ Se il Vescovo stando all' Altar maggiore, e stando il SSmo esposto „ nel medesimo Altar maggiore, ed avendo questo baldacchino proprio di „ tal' Altare, ed ancora il SSmo baldacchino distinto, può usare di baldac- „ chino Pontificale *ex vi* del Ceremoniale Novissimo del SSmo Padre Bene- „ detto XIII., e se deve usare solamente di sitiale? (sic).

S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondit: *Ex vi, aut lege Caeremonialis Episcoporum non prohibetur Episcopo, ut propria utatur sede, qua desuper umbraculum, seu*

baldachinum dependeat, dum Divinis assistit, vel per se ipsum peragit, SSmo Sacramento super Altari palam exposito, dummodo genuflexiones tunc praescriptas, debitasque reverentias adamussim observet, atque, operto capite, in signum reverentiae saltem assistat. Et ita declaravit: *Die 9. Junii* 1742.

3977. PAPIEN.

Cum in Oppido nuncupato de Ottobiano Dioecesis Papien. die 9. Augusti Festum S. Firmi Martyris ex antiqua consuetudine quotannis maxima solemnitate, ac ingenti Populi frequentia celebretur, ibique nundinae peragi soleant, ac in eumdem diem incidat pervigilium S. Laurentii Martyris, adeoque jejunium a majori confluentium, et indigenarum parte violari contingat, supplices proinde preces S. R. C. porrexit Communitas praedicti Oppidi, ut jejunium ipsum, quod servandum esset die 9., imposterum servari posset die 8. Augusti, indulgere dignaretur.

Et S. eadem R. C., attentis iisdem circumstantiis, *gratiam petitam arbitrio Episcopi, concedendam esse* censuit. *Die* 7. *Junii* 1742.

3978. VERULANA.

Porrecto ex parte Episcopi Verulani infrascripto supplici Libello, tenoris sequentis.

Emi, e Rmi Signori „ Il Vescovo di Veroli con ogni maggior os-
„ sequio rappresenta all'EE. VV., che celebrandosi, il dì 1. Maggio la
„ Festa della Dedicazione della Cattedrale, da antico tempo fù fissato
„ per la Festa de' Santi Apostoli Filippo, e Giacomo il dì 5. di detto
„ mese. Ed essendo di poi stato ordinato l'Uffizio di S. Pio V. credette il
„ Clero di detta Città di dover trasportare detta Festa de' Santi Aposto-
„ li alli 11. dello stesso mese, e così si prattica presentemente. E per-
„ chè alle volte detta giornata delli 11. cade in Domenica, supplica per-
„ ciò umilmente l'EE. VV. a degnarsi di prescrivergli precisamente, se
„ debba in avvenire far celebrare la Festa de' Ss. Filippo, e Giacomo il
„ giorno dei 5. Maggio, secondo era lo stile di prima, o pure seguitare
„ a farla celebrare il dì 11. quantunque sia Domenica? Che ec.

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit = *De Officio SSrum Apostolorum fieri debet die* 5. *ipsis jam pridem assignata, etiam in occurrentia Dominicae, et de altero de S. Pio V. die* 11. *tumquam propria*. Et ita etc. *Hac die* 9. *Junii* 1742.

3979. ALEXANEN. PRAECEDENTIAE.

Delatis in S. R. C. controversiis inter Vicarium Generalem Curiae Episcopalis Alexanen., et Ignatium Orlandi Cantorem, et primam Dignitatem illius Ecclesiae Cathedralis exortis, super quibus Emus, et Rmus D. Cardinalis Belluga infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe:

1. An Vicario generali Alexanen. accedenti ad Chorum debeatur primum stallum, vel potius sedes coriacea amovibilis in planitie Chori sub campanula, sive alio loco in casu etc?

2. An Cantori primae Dignitati tunc debeatur stallum secundae Dignitatis, vel alterum post Vicarium?

3. An, et in quo loco incedere debeat dictus Vicarius generalis in Processionibus?

Et S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, ac utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Negative ad primam partem; et ad secundam, ponatur pro Vicario generali sedes coriacea in planitie Chori in loco decenti, et ab Episcopo designando.*

Ad 2. *Jam provisum in primo.*

Ad 3. *Debere incedere medium inter Dignitates, dummodo non sint paratae*. Et ita declaravit, et servari mandavit. *Die* 28. *Julii* 1742.

3980. TERGESTINA.

Modernus Episcopus Tergestinus S. R. C. humillime supplicavit, quatenus infrascriptum Dubium declarare dignaretur, nempe.

Singulis Annis in Dioecesi Tergestina die 19. Junii celebratur ritu duplici Festum S. Nazarii Episcopi, et Confessoris; ritu vero semidup. Festum S. Julianae de Falconeriis, et Festum S. Acacii, et Sociorum Martyrum. Quaeritur, inquam, an Officium S. Julianae de Falconeriis possit celebrari semper die 23. Junii, et Officium SSrum̃ Acacii, et Sociorum Mart. die 20. Junii, quibus diebus aliunde deberet fieri Officium de ea, ita ut dies 20. et 23. sint tamquam dies propriae eorumdem SSrum̃, ad exclusionem cujuscumque alterius translati Sancti, qui posset aliquando contingere, et sic de aliis, qui sunt omnes simul 48. quolibet anno in praefata Dioecesi: et insuper: An occurrentia similia Officia duplicia in die Dominica possint celebrari tali die, ac si esset dies illorum propria?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum, censuit: *Affirmative in omnibus*. Et ita etc. *Die* 28. *Julii* 1742.

3981. ORDINIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

Porrecto in S. R. C. ex parte D. Mathiae Eremitae Camaldulensis Montis Coronae Prioris Eremi S. Marthae Angelorum Civitatis Nolae infrascripto supplici libello vulgari idiomate, videlicet.

„ Emĩi, e Rmĩ Sigg.„ D. Mattia Eremita Camaldolese di Monte Co-„ rona al presente Priore dell'Eremo di S. Marta degli Angeli di Nola in „ Regno, Oratore Umõ dell'EE.VV. riverentemente espone, come in tutta „ la sua Congregazione vi è l'abuso, che nelle Processioni del Corpus „ Domini si porta il Venerabile dal Celebrante col solo Umerale, e senz' „ altra assistenza di Ministri con indumenti sacri, che di un sol Chieri-„ co, che porta il turribolo, ed un altro, che sostiene l'ombrella appres-„ so; lo che pare sia contro le Rubriche, uso universale di Chiesa San-„ ta, ed anche di poca venerazione, decoro, e rispetto verso Gesù Sagra-„ mentato; che però supplica l'EE. VV., volersi compiacere di istruire „ tanto l'Oratore, che tutta la sua Congregazione della maniera propria,

„ colla quale si deve fare non solo detta Processione del Corpus Domini,
„ ma anche quella del Giovedì, e Venerdì Santo per potere in avvenire
„ corregere gli abusi, ed errori fino al presente commessi. Che etc.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit,

Praecedat Crux hastata a Religioso cotta induto delata inter Ceroferarios cotta pariter indutos; sequentur viri Religiosi bini incedentes, qui in solemnitate Corporis Christi, monasticis cappis depositis, post communionem Celebrantis sument non in Choro, sed in alio convenienti loco superpelliceum, cereosque accensos gestabunt. In Processionibus, vero, quae fiunt feria V. in Coena Domini, et Feria VI. Parasceves, quia hae intra Ecclesiam peraguntur, cum cappis monasticis procedant. Post digniores Religiosos viros succedent duo Thuriferarii ibidem cum cottis, qui thuribula cum inceuso fumigantia lente ducent ante Celebrantem facie, non dorso ad sacramentum semiversa in incessu. Tandem adveniet Celebrans pluviali, ac velo humerali albo amictus, deferens Sacramentum inter Ministros sacris vestibus, sed sine manipulo indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qua alternatim una cum eodem Celebrante psalmos submissa voce recitabunt. Supra Celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino baldachinum quaternis saltem hastis instructum, quae a totidem Religiosis superpelliceo indutis in festo Corporis Christi eleventur. Feria autem VI. in Parasceve deferri poterit baldachinum a Religiosis sine cotta, qua die Celebrans non sumet pluviale, Ministri autem Celebrantis, cum non utantur planetis plicatis, tum solemni illius diei Officio, tum Processioni cum superpelliceo assistent. Cerei extinguentur postquam reconditum fuerit Sacramentum, et in Feria VI. in Parasceve postquam fuerit a Celebrante consumptum, nec cessabit campanarum sonitus ubi ab Ecclesia non prohibetur, nisi post sacram actionem absolutam. Quod si ad hujusmodi supplicationes convocentur confratres alicujus sodalitii, hi sacco induti designari poterunt ad deferendum baldachinum, supplendo vices Religiosorum alia munia obeuntium. In iis autem Coenobiis, seu Religiosis Familiis, in quibus parva Monachorum manus sit, Assistentes Celebrantis poterunt incedere cum superpelliceo, sed nunquam fas sit, ut omittatur baldachinum, super deferendum, ut supra, vel a Monachis vel a confratribus. Et ita etc. *Die* 15. *Septembris* 1742.

3982. TRIDENTINA.

Cum Ecclesia Parochialis Oppidi Robereti Dioecesis Tridentinae dicata sit S. Marco Evangelistae, ex parte Parochi pradictae Ecclesiae pro resolutione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. humillime supplicatum fuit, nempe.

1. An dictum Festum tamquam de praecepto celebrandum sit ab Incolis totius Oppidi vigore constitutionis = *Universa per Orbem* emanatae ab Urbano VIII. anno 1642., an vero solum ab iis, qui ejusdem Ecclesiae

Parochiani existunt? Complectitur autem haec Parochia fere totum Oppidum, excepto unico Suburbio Transpontem.

2. An idem Festum celebrandum sit in Choro cum Octava, juxta Rubricas 7. de Octavis num. 1. ab omnibus Sacerdotibus Saecularibus ejusdem Oppidi, aut solum ab iis, qui intra districtum hujus Parochiae commorantur, aut denique ab iis tantum, qui eidem Ecclesiae specialiter addicti sunt?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Si Festum S. Marci erit tamquam Patroni Oppidi Robereti electi a Clero, Populo etc. illius loci cum approbatione Episcopi vigore constitutionis Urbani PP. VIII., juxta Decreta* S. R. C. *tunc Festum S. Marci erit de praecepto observandum, et celebrandum ab Incolis totius Oppidi, etiam a Transpontem Suburbiis, alias Negative.*

Ad 2. *Si Festum S. Marci erit de Patrono Oppidi, ut supra, erit Officium celebrandum sub ritu primae classis cum Octava ab omnibus Sacerdotibus saecularibus ejusdem Oppidi etc. Si vero Festum S. Marci erit Titularis illius tantum Ecclesiae Parochialis, Officium celebrandum erit sub ritu primae classis ab iis Sacerdotibus tantum cum octava, qui addicti sunt servitio Ecclesiae illius Parochialis, et non ab aliis.* Et ita declaravit. *Die* 15. *Septembris* 1742.

3983. SANCTI SEVERI.

In Causa Sancti Severi Jurium Parochialium, et praeeminentiarum inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis S. Severi ex una, et Archipresbyteros, et Presbyteros participantes trium Ecclesiarum Parochialium ejusdem Civitatis, partibus ex altera, propositis in S. R. C. ac resolutis sub die 16. Septembris 1741., infrascriptis Dubiis, videlicet.

1. An Capitulo Cathedralis invitato in associatione cadaveris alterius Parochiae competat dirigere Processionem funebrem ad Ecclesiam tumulantem, seu potius Parocho ejusdem cadaveris quomodocumque intervenienti etiam cum suo Clero?

2. An eadem Processio fieri valeat per viam longiorem, seu potius fieri debeat per viam breviorem ad Ecclesiam tumulantem?

3. An idem Capitulum Cathedralis invitatum ad associationem cadaverum alterius Parochiae teneatur prius accedere ad Ecclesiam Parochialem defuncti, et ab eadem discedere, et proficisci ad domum defuncti, seu potius omnes teneantur accedere ad Ecclesiam Cathedralem, et deinde ad domum defuncti?

4. An Capitulo assistenti Missae, praesente corpore, in Ecclesia Parochiali tumulante, competat ejus Primicerio, vel alteri, qui praeest Capitulo, praeintonare Introitum Missae privative ad Parochum, et Clerum Ecclesiae Parochialis defuncti, sive potius pertineat ad Parochum Ecclesiae tumulantis?

5. An in Processionibus, quae fiunt per Capitulum, et Canonicos Cathedralis in Festivitatibus SSmi Rosarii, SSrum Severi, et Mauritii, teneanpan-

tur intervenire Cleri aliarum trium Ecclesiarum Parochialium ejusdem Civitatis? Et quatenus affirmative.

6. An debeant pro rata participare de emolumentis, quae exiguntur per dictum Capitulum, et Canonicos Cathedralis pro hujusmodi Processionibus in casu etc?

S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescripsit. Ad 1. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative quoad secundam*.

Ad 2. *Negative quoad primam partem*, *Affirmative quoad secundam*, *dummodo Processio incedat per viam commodam*, *atque decentem*.

Ad 3. *Servetur decretum*.

Ad 4. *Affirmative quoad primam partem*, *Negative ad secundam*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Servetur Decretum Synodi*.

Hujusmodi vero resolutioni Archipresbyteri, et Presbyteri supradictarum trium Ecclesiarum minime acquiescentes, iterum examinata fuit controversia in S.R.C., infrascripto Dubio discusso: An, et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis?

S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Accoramboni Ponentis, utraque parte in scriptis, et in voce iterum informante audita, visisque juribus ex parte Parochorum, et Presbyterorum denuo deductis, rescribendum censuit: *Quoad 4. recedendum a decisis*, *et in reliquis in decisis*: Et ita etc. *Die* 15. *Septembris* 1742.

3984. NULLIUS FASANI.

Cum ex parte Sacerdotis Joannis Antonii Ferrari Magistri caeremoniarum majoris Ecclesiae S. Joannis Baptistae Nullius Terrae Fasani *sub die* 20. *Maii* 1741. expositum fuerit, Joannem Antonium Colucci Primicerium, et nonnullos Sacerdotes participantes ejusdem Ecclesiae ab immemorabili in associandis cadaveribus Sacerdotum defunctorum, loco intonandi Antiphonam; *Exultabunt Domino*, et Psalmus, *Miserere mei Deus etc.*, servata Ritualis Romani Rubrica, *tit. de exeq.*, consuevisse intonare cantu modulato ante domum defuncti Invitatorium Officii defunctorum: *Regem cui omnia etc.* cum Psalmo: *Venite exultemus etc.* per totam viam usque ad Ecclesiam tumulantem, ubi deposito feretro, prosequebatur reliquum Officium defunctorum, semper omittendo praedictam Antiphonam *Exultabunt*: Psalmum: *Miserere*, et Responsorium, *Subvenite Sancti Dei cum precibus*, *et Oratione* subsequenti, prout in dicto Rituali praescribitur. Quae praedicta omnia animadvertens praefatus caeremoniarum Magister per dictos Primicerios, aliosque Sacerdotes fieri contra formam Ritualis Romani, et styli omnium Ecclesiarum pro declaratione, quomodo imposterum servandum esset? humillime supplicavit.

Et S. eadem C., audita prius informatione Ordinarii sub die 20. Maii 1741. rescripsit, *Servetur Rituale Romanum*. Adversus hujusmodi Rescriptum praetendentes Primicerius, et Sacerdotes praedicti probare immemorabilem consuetudinem, insteterunt pro repropositione Causae in eadem

S. C., in qua Emus, et Rmus Cardinalis Belluga infrascriptum Dubium inter partes concordatum proposuit.

An in associatione cadaverum Sacerdotum attendi debeat dispositio Ritualis Romani tit. de exequiis, seu potius servari praetensa consuetudo canendi per viam Invitatorium cum Psalmo: *Venite etc.*, et in Ecclesia residuum Officium defunctorum? Censuit: *Servetur Rituale*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 1. *Decembris* 1742.

3985. POLONA.

Fr. Joseph a B. M. V. Ordinis Carmelitarum Excalceatorum in Polonia S. R. C. humillime supplicavit, quatenus infrascripta Dubia declarare dignaretur.

1. Cum de concessione Officiorum infrascriptorum non constet a Sancta Sede Apostolica, et tamen omnes Dioeceses Regni Poloniae (excepta Cracoviensi) de illis habent Officia sub ritu duplici, nempe de S. Brigida Virgine 1. Februarii, de S. Bennone Episcopo, et Confessore 16. Julii, de S. Erasmo Episcopo, et Mart. 2. Junii, de S. Christina Virg., et Mart. 24. Julii, de S. Rocho Conf. 16. Augusti, et aliquae insuper Dioeceses habent de S. Ildephonso, de S. Servatio, de S. Benigna, ac de S. Victoria: An licite possint omnes Dioeceses de illis talia Officia habere, vel illae Dioeceses debeant cessare a tali recitatione?

2. Cum Festa Patronorum Regni Poloniae minus principalium, qualia sunt SSrum quinque Fratrum Polonorum Martyrum 12. Novembris, S. Elisabeth Viduae 19. Octobris, S. Barbarae Virg., et Mart. 4. Decembris, S. Dorotheae Virg., et Mart. 6. Februarii, S. Margaritae Virg., et Mart. 13. Julii vario ritu celebrent Dioeceses: aliae ritu duplici majori: aliae ritu duplici minori: ideo ad uniformitatem omnium, qualis illis debeatur ritus, et an in Missa debeat dici Credo?

3. Cum ex Synodo Provinciali Regni Poloniae anno 1628. die 22. Maii constitutum sit, ut Festa infrascripta a Clero, et Populo cultu, et veneratione solemni celebrentur, nempe S. Martini Ep. et Conf., S. Nicolai Ep. et Conf., S. Annae, S. Mariae Magdalenae, S. Agnetis Virg., et Mart., S. Margaritae Virg., et Mart., S. Catherinae Virg., et Mart., quem ergo, ratione talis solemnitatis, ritum habere debeant? Quia aliquae Dioeceses tribuunt ipsis duplicem majorem, aliae duplicem minorem; tamen in concursu cum duplici minori dant illis integras utrasque Vesperas. Proinde, ob uniformitatem, qui illis ritus debetur?

4. Cum in eadem Synodo constitutum sit, ut in Adventu singulis diebus celebretur Missa primaria de B. V., quae vocatur *Rorate etc.*, utrum in duplicibus possit dici Missa eadem privatim? Et in Dominicis Adventus, ac Festis primae, vel secundae classis secundum institutum ejusdem Synodi, utrum ut solemnis cum oratione unica, *Gloria*, *et Credo*; an vero cum orationibus Dominicae, et aliarum canenda sit? Et praecipue in illis Ecclesiis, ubi non est consuetudo cantandi duas, sed tantum unam Missam?

5. Cum ex speciali privilegio S. Sedis Apostolicae concessae sint In-

dulgentiae Mysteriis S. Joseph confratribus ejusdem, et affixae Dominicis privilegiatis, ut Mysterium Fugae in Egyptum Dominica Quinquagesimae, et alia similiter; utrum in talibus Dominicis, ob concursum populi, cantata solemni votiva de S. Joseph, qualis in aliis privatis Missis celebrandis debeat adhiberi color, an violaceus competens Dominicae, an albus competens solemnitati ob concursum populi, et expositionem SSmi Sacramenti, et utrum fieri possit commemoratio de S. Joseph?

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apost. caeremoniarum Magistris, respondendum censuit. Ad 1. *Serventur Decreta a S.R.C. edita super Officiorum recitatione. Qui autem particularia Officia recitare desiderant, instent pro illorum approbatione, et concessione.*

Ad 2. *Festa, quae sunt ritus duplicis non celebrantur sub alio ritu, quam ritus duplicis minoris, nisi constet de diversa concessione; Festa tamen secundiaria Patronorum minus principalium, si celebrentur cum solemnitate, habent in se naturam duplicis majoris, et qualitatem duplicis minoris, si absque solemnitate peragantur; Symbolum autem in Missis celebrandum non est, nisi iis in Ecclesiis, in quibus aut Sacrum eorum Corpus, aut insignes Reliquiae asservantur.*

Ad 3. *Ad servandam uniformitatem instent in S. R. C. pro elevatione Officiorum a ritu duplici minori ad dupl. maj. in Festis a Provinciali Synodo Regni Poloniae designatis; et interim serventur Rubricae tam de occurrentia, quam de concurrentia Festorum, quae ex ritu officii, non autem ex apparatu, et concursu propriam, ac veram desumunt solemnitatem.*

Ad 4. *Tum ad primam, tum ad secundam Dubii partem, Negative.*

Ad 5. *Color Paramentorum in Missis privatis, nullo habitu respectu colori adhibito in quavis Missa votiva solemni, semper is esse debet, qui convenit Officio in illa die occurrenti.* Et ita etc. *Die* 1. *Decembris* 1742.

3986. HISPALEN.

Ex parte Magistri caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Hispalen. S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus infrascriptum Dubium declarare dignaretur.

An Celsitudinis Regalis Eminentiae Ludovici D. Cardinalis Infantis Hispaniarum Toletanae, Hispalensis Ecclesiarum administratoris, et Possessoris, licet sacris destituti Ordinibus, nomen in canone Missae, Collecta, et Praeconio sit exprimendum?

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 19. *Januarii* 1743.

3987. ORDINIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE.

Ex parte P. D. Gabrielis a Venetiis Socii Patris Procuratoris generalis Eremitarum Camaldulensium, Congregationis Montis Coronae S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus, ad tollendos scrupulos, qui multoties

exagitant quamplurimos, pro aliquarum Rubricarum, ac multorum Decretorum observantia, infrascripta Dubia benigne declarare dignaretur, nempe

1: Cum sub die 22. Aprilis 1741. obtenta fuerit facultas pro servanda in posterum uniformitate in Eremis sub Dominio Reipublicae Venetiarum recitandi Officium Patrocinii B. M. V. pro die 14. Novembris, utpote minime impedita ab alio Officio, modo compertum est, illam diem jam esse assignatam ab hac S. R. C. S. Andreae Avellino per Decretum sub die 11. Julii 1739. obtentum a Congregatione Cassinensi pro omnibus sub regula S. Patris Benedicti militantibus. Ideoque dubitatur: An, hoc non obstante, possit recitari praedictum Officium Patrocinii illa ipsa die 14? Et si non possit, supplicatur pro assignatione Dominicae tertiae Novembris.

2. Cum apud nostros Camaldulenses tantum celebretur die 16. Novembris Officium SSruñ Martyrum Joannis, et Benedicti Eremitarum dictae Congregationis jam a S. Sede specialiter eis indultum sub ritu duplici secundae classis, et cum die sequenti habeatur Officium S. Gertrudis Virginis jam concessum post annos pariter sub ritu duplici secundae classis pro omnibus sub regula S. Patris Benedicti militantibus, dubitatur: utrum, stante Rubrica tit. XI. num. 2. in fine de concurrentia, sit praeponendum cum secundis Vesperis integris Officium dictorum SSruñ Martyrum, utpote celebrandum tantum in dicta Congregatione Camaldulensium, Officio dictae S.Gertrudis Virginis, quod celebratur generaliter in tota Religione Benedictina?

3. Cum per Rubricas, et Decreta statutum sit, quod Quadragesimae, Adventus, et Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo duplici, vel semiduplici, celebretur Missa praedictarum Feriarum post Nonam, et cum per nostras Constitutiones teneamur celebrare Missam Conventualem post Nonam in Quadragesima, et non sit consuetudo celebrandi post Nonam aliis temporibus, dubitatur: An praedicta Missa Ferialis remitti possit ad aliud tempus, an potius relinquenda, cum non adsit aliqua obligatio apud nos eam celebrandi?

4. Cum in nostris Ecclesiis non adsit consuetudo celebrandi Missam post Nonam in Feria IV. Cinerum, et cum Rubrica, ac Decreta praecipiant benedictionem publicam Sacrarum Cinerum fieri debere post Nonam; dubitatur: an remitti possit ad aliud tempus, nempe post Tertiam haec benedictio, aliter post consuetudinem apud nos introducta? (sic)

5. Cum Rubrica, et Decreta praecipiant Matutinum diei commemorationis omnium Fidelium defunctorum recitari debere post Laudes Officii currentis, et cum haec ordinatio videatur pro nobis nimis onerosa, quippe qui ad duas horas per noctes semper protrahimus consuetum Matutinum cum Laudibus; dubitatur: an praedictum Matutinum defunctorum remitti possit ad summum mane ante Primam immediate, vel recitari permittatur in die Festivitatis Omnium SSruñ post Completorium, uti ex antiqua consuetudine moris est apud nostros in similibus?

6. Cum in tota nostra Congreg. Camaldulensi celebrentur duae Festivitates S. P. N. Romualdi, nempe translationis sui Corporis die 7. Februarii,

et Dormitionis in Domino die 19. Junii, dubitatur: an sub preacepto teneamur colere utrumque Festum, atque si ad unum tantum extendatur haec obligatio, quale illud debeat esse, Translationis, aut Dormitionis, qualeve celebrandum octava?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, et deinde per Emum, et Rmum D. Card. Burghesium Ponentem mature perpenso, ac examinato, et in S.C. relato, rescribendum censuit. Ad 1. *Posse recitari Officium Patrocinii B. M. V. die 14. Novemb., et remitti ad aliam diem non impeditam Officium S. Andreae Avellini.*

Ad 2. *Esse praeponendum cum secundis Vesperis integris Officium SSrum Martyrum Officio S. Gertrudis.*

Ad 3. *Esse observandum Decretum S. R. C. diei 22. Januarii 1701.* (3426.) *Quadragesimae, Adventus, Vigiliarum Temporibus, nec non diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo duplici. vel semiduplici, non licet post Primam celebrare Missam praedictarum Feriarum, sed servendae sunt Rubricae, quae praescribunt post Nonam.*

Ad 4. *Esse observandum Decretum S. R. C. diei 22. Januarii 1701. Benedictio publica sacrorum Cinerum facienda in feria quarta post Dominicam Quinquagesimae non potest fieri post Tertiam, sed servandae sunt Rubricae, quae praescribunt post Nonam.*

Ad 5. *Observandum Decretum S. R. C. diei 22. Januarii 1701. Matutinum diei commemorationis omnium Fidelium defunctorum non potest recitari in Choro in die Festivitatis omnium Sanctorum post Completorium, sed servandae sunt Rubricae.*

Ad 6. *Festum S. Romualdi esse in die Dormitionis ejus in Domino, et hoc tantum celebrandum esse cum Octava.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 19. Januarii* 1743.

3988. PAPIEN.

Cum Rmus Archiepiscopus Pertusati modernus Episcopus Papien. exposuerit, quod ipse quampluries in anno una cum Dignitatibus, et Canonicis suae Cathedralis, cappa indutis, accedere solet ad aliquam Ecclesiam Collegiatam, vel ad Ecclesiam Regularium dictae Civitatis causa alicui sacrae functioni interessendi, aut illam peragendi, et cum inter Capitula Cathedralis et Collegiatae, nec non Superiores Regulares saepissime dissensiones porrigendi Aspersorium eidem Episcopo in ingressu eorum Ecclesias ortae sint, scilicet cui spectet porrectio dicti Aspersorii: an ad majorem Dignitatem dictae Cathedralis, vel ad Collegiatae Praepositum, aut ad Superiorem Regularium? idcirco, ad tollendas hujusmodi controversias S. R. C. enixe supplicavit quatenus declarare dignaretur.

Et S. eadem C., inhaerendo aliis resolutionibus pluries in similibus editis, et signantur in Turritana 14. Februarii 1632., Bononien. 14. dicti mensis, et anni; et Urbis, seu Romana 6. Julii 1715. (799. 801. 3729.) rescripsit: *Dentur hujusmodi Decreta.* Et ita etiam in Civitate Papien. servari mandavit. *Die 19. Januarii* 1743.

3989. ALIPHANA.

Ortis nonnullis controversiis inter Capitulum Cathedralis Ecclesiae Aliphanae ex una, et Capitulum, et Canonicos Collegiatae, et Matricis Ecclesiae Pedemontis, partibus ex altera, super nonnullis praeeminentiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Guadagni, pro Emo, et Rmo D. Cardinali Lercario Ponente, infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An Episcopo Pontificalia celebranti in insigni Collegiata S. Mariae Majoris Pedemontis, aliisque Ecclesis sitis intra illius districtum, assistere debeant Canonici ejusdem Collegiatae, seu potius Canonici Ecclesiae Cathedralis Aliphanae? Et quatenus affirmative quoad secundam partem.

2. An dicti Canonici possint assistere capitulariter, sive singulariter interveniant?

3. An, idem procedat sive dicti Canonici Cathedralis sint invitati ab Episcopo, sive non?

4. An, quibus, et in quo casu debeatur praecedentia?

5. An Canonici dictae Ecclesiae Cathedralis in Convisitatores adhibiti, possint gestare signum Canonicale in dicta Collegiata, ac aliis Ecclesiis sitis intra fines ejusdem? Et quatenus affirmative.

6. An, et quibus debeatur praecedentia?

S. eadem C., visis Juribus hinc inde deductis, et utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, ad relationem ejusdem Emi D. Cardinalis Guadagni, rescribendum censuit. Ad 1. *Canonici Cathedralis invitati aliis praecedere debent*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Quatenus invitati, et non alias*.

Ad 4. *Deberi Canonicis Cathedralis*.

Ad 5. *Affirmative*.

Ad 6. *Deberi Canonicis Cathedralis Convisitatoribus*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 19. *Januarii* 1743.

3990. BARCHINONEN.

Ex parte Promotoris Fiscalis Curiae Episcopalis Barchinonen. S.R.C. humillime supplicatum fuit, quatenus, ad tollendas omnes controversias, sequentia Dubia benigne declarare dignaretur, nempe.

1. An permittendum, vel potius prohibendum, quod Magistratibus Saecularibus solemniter assistentibus Missae conventuali in Ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium, detur pax per Diaconum Sacerdoti celebranti ministrantem?

2. An Mazzerii, et Virgarii Magistratus Saecularis in Processionibus Corporis SSmi Domini Nostri Jesu Christi, et aliis, in quibus dictus Magistratus assistit, et aliquae ex personis, quae Magistratum componunt, hastas baldachini deferunt, et reliqui Magistratus cum suo capite Episcopum subsequuntur, incedere debeant ante illos hastas baldachini deferentes, ita quod ante dictos Mazzerios, et Virgarios incedant Sacerdotes faces, et signa Pontificalia portantes, seu potius illi incedere debeant ante dictos Sacer-

dotes, aut extra lineam Processionis alam facientes a lateribus illorum, vel post Episcopum ante reliquum majorem numerum Regitorum cum suo capite, in quibus potius corpus Magistratus repraesentatur.

S. eadem R. C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, et ab Emo, et Rmo D. Card. Guadagni Ponente denuo reviso, et examinato, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Pacem dandam esse Magistratui cum instrumento ab eodem Ministro, qui illam per osculum defert Dignitatibus, et Canonicis, caeterisque Choro interessentibus.*

Ad 2. *Mazzerios autem in Processione SSmi Corporis Christi incedere debere non ante, sed hinc indè prope baldachinum*: Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 23. *Martii* 1743.

3991. BRACHAREN.

Magistri caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Bracharen. S. R. C. humillime supplicarunt, quatenus infrascripta Dubia benigne declarare dignaretur, nempe.

1. An Subdiaconus, vel alius quicumque minister, qui inter Missarum solemnia, vel alio quovis casu petit benedictionem a Praelato pro incensu, seu aqua, possit, seu debeat invertere ordinem Pontificalis Rubricae, qua jubetur, ut dicat = *Benedicite Rme Pater* = et dicere Bracharae tempore praesenti = *Benedicite Serenissime Pater*.

2. An illa Antiphona = *Ecce Sacerdos magnus* = quae dici debet ex dispositione Pontificalis Romani in ingressu, et receptione Praelatorum in suis Civitatibus, debeat repeti toties, quoties iidem Praelati ingrédiuntur Ecclesiam Cathedralem ad actus Pontificales peragendos?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Magistris caeremoniarum, respondendum censuit. Ad 1. *Servetur Caeremoniale Episcoporum lib.* 2. *cap.* 8.

Ad 2. *Servetur consuetudo*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Maii* 1743

3992. POLICASTREN.

Praetendente Domino Domitio Marchione Terrae Cameratae Dioecesis Policastren., dum ipse ad Missas cantatas, aliasque ecclesiasticas functiones assistit in Ecclesia Parochiali dictae Terrae, osculum pacis, et thurificationem per Diaconum, aut Subdiaconum ministrantem sibi impertiri, et cum id variis resolutionibus S. R. C. adversetur; propterea Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis Policastren. pro observantia Decretorum, alias in similibus editorum, S. R. C. demisse supplicavit.

Et S. eadem C. rescripsit: *Dentur Decreta, nempe in Ugentina* 28. *Junii* 1641. (1252), *S. Marci* 20. *Julii* 1669. (2336), *et Burgi S. Donnini* 2. *Aprilis* 1718. (3757). Et ita etiam in Terra Cameratae Dioecesis Policastren. servari mandavit. *Die* 11. *Maii* 1743.

3993. SCHALEN.

Postquam a Capitulo Ecclesiae Cathedralis Civitatis Schalen. in suo particulari Calendario assignata fuit dies 10. Novembris Officio Dedicationis Basilicae SSmi Salvatoris, ob perpetuum impedimentum Festi al-

tioris ritus S.Theodori., occurrentis die 9. ejusdem mensis, ac subinde, ex concessione Apostolica, tali diei fuit assignatum Officium S. Andreae Avellini pro Ecclesia universali: quapropter Capitulum, et Canonici praefatae Cathedralis S. R. C. demisse supplicarunt, quatenus declarare dignaretur, nempe.

An ipsi in praedicta die 10. Novembris recitare debeant Officium S. Andreae Avellini, vel Dedicationis Basilicae SSmi Salvatoris?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Magistris caeremoniarum, rescripsit: *Pro Cathedrali Schalensi, firmo remanente sub die 10. Novembris Officio Dedicationis Basilicae SSmi Salvatoris, ipsi jam pridem assignata, ad aliam diem non impeditam transferatur Officium S. Andreae Avellini postea concessum*. Et ita declaravit. *Die* 11. *Maii* 1743.

3994. SENEN.

Fridericus Petrucci Metropolitanae Ecclesiae Senen. Canonicus exposuit, quod cum ad ipsum uti chori Priorem spectet ordinare Calendarium Divini Officii, et ad tollendas omnes disputationes, cum Rubricistae inter se non conveniant, S.R.C. humillime supplicavit, quatenus infrascripta Dubia declarare dignaretur, nempe

1. An de Patrocinio S. Josephi, quod Senis, et pluribus in locis celebratur Dominica tertia post Pascha sub ritu duplici secundae classis, possit recitari Officium, quando in dicta Dominica occurrunt Festa Divi Marci Evangelistae, aut SSrum Philippi, et Jacobi?

2. An Patrocinio S. Josephi concurrente cum dictis festis, sint de eo integrae recitandae Vesperae, vel dimidiandae?

3. An dictum Patrocinium possit transferri ad aliam diem, quando non habet locum in dicta Dominica tertia?

4. An S. Joseph in Oratione *a Cunctis*, et in Suffragiis sit praeponendus Apostolis Petro, et Paulo?

5. An primaria Festa S. Joannis Baptistae, et Apostolorum Petri, et Pauli (salva semper solemnitate Corporis Christi) excludant alia Festa in in ipsis occurrentia, ut asserit P. Merati Sect. 3. cap. 10. de occurrent. et translat. Festorum sub num. 2.?

6. An ubi S. Joannes Baptista est Patronus, seu Titularis, debeat dici Symbolum in Missa in utraque ejus Festivitate, ut servatur in Sac. Lateranensi Ecclesia, et in totis ditionibus Januae, et Melitae?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit.

Ad 1. *Attenta dignitate personae, licet aequalitas sit ritus inter Festa S. Marci, et SSrum Apostolorum Philippi, et Jacobi, Officium de Patrocinio S. Josephi est recitandum, si cum praedictis solemnitatibus occurrat*.

Ad 2. *Non sunt dimidiandae, sed integrae persolvendae Vesperae de Patrocinio, attenta ratione superius allata*.

Ad 3. *Non habens locum in Dominica tertia post Pascha Officium Patrocinii S. Josephi, ob occurrentiam Festi altioris ritus, vel dignita-*

tis, pro eo anno omittetur, ex novissimo hujus S. C. Decreto in Ensidlen. 5. *Maii* 1736. (3894. alia Dubia ad 10.)

Ad 4. *In Oratione* a Cunctis *idem servetur ordo, qui in Litaniis majoribus praescribitur.*

Ad 5. *Primaria Festa Sancti Joannis Baptistae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, attentis rationibus per P. Merati allatis, innixis Decreto S. hujus C. in Aquilejen.* 21. *Augusti* 1688. (3014.) *excludunt omnia alia Festa in ipsis occurrentia, excepta solemnitate Corporis Christi.*

Ad 6. *Ubi ejusdem S. Joannis Baptistae Festum, et ejusdem Decollationis memoria gaudent praerogativa Patroni, vel Titularis in Missis est utique recitandum Symbolum, secus vero Negative, nisi tamen adesset ejusdem Sancti insignis Reliquia?* Et ita declaravit. *Hac die* 11. *Maii* 1743.

3995. TOLETANA.

Ad tollendum abusum introductum in Civitate Regali Dioecesis Toletanae non terminandi recto tramite Processionem SSmi Corporis Christi quotannis peragendam, et respective egrediendam ab Ecclesia Parochiali S. Mariae de Prado, sed postquam deventum fuerit ad alteram Parochialem Ecclesiam S.Petri cum SSmo Sacramento in Altari deposito, solemnis Missa decantaretur; S. R. C. sub die 29. Novembris 1738., ad relationem cl.mem. Card.Belluga, praevia informatione Rmi Administratoris Archiepiscopatus Toletani, considerato, et recognito, quod talis Interruptio Processionis cum decantatione Missae adversaretur Caeremoniali Romano, ac Brevi S. M. Urbani VIII., rescripsit. *Servetur Breve Urbani VIII., et ad Dnum Administratorem Archiepiscopatus Toletani pro executione:* Deinde vero, cum ex parte Parochi, Beneficiatorum praefatae Ecclesiae S.Petri eludi praetenderetur, ob diversa litigia, executio praefatae resolutionis, ita ut dilata fuerit Processio ad alterum tempus, sub die 23. Januarii 1740. eadem S. C. censuit iterum rescribendum: *Ad praefatum Dnum Administratorem, ut, quibuscumque in contrarium non obstantibus, mandaret omnino servari Breve praedictum Urbani VIII. ad formam dictae resolutionis, et quod Processio fieret statuta die Corporis Christi, ut Sacrum Caeremoniale praescribit.* Et quantumvis sub die 8. Junii 1741. reclamante formiter praefata Ecclesia S. Petri, subscribi curaverit duo Dubia: Primum vero: An intret arbitrium pro aperitione Oris? Et quatenus Affirmative: Secundum: An sit standum, vel recedendum a decisis? praefatisque dubiis fuerit responsum: quoad primum *Affirmative*: quo vero ad secundum: *Servetur solitum*: nihilo tamen minus, proposita iterum eadem causa sub die 28. Julii 1742., responsum prodiit: *Dilata, et ad Emum Ponentem, juxta mentem*; eaque demum reproposita sub die 11. currentis ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Accoramboni, subrogati in locum praedicti cl. mem. Card. Belluga, re mature discussa, ac utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit: *Praevio re-*

cessu ab ultimo locò decisis, servetur Breve, et amplius: Et ita declaravit, et servari mandavit. *Hac die* 11. *Maii* 1743.

3996. MELPHITEN PRAEEMINENTIARUM

Inter Rm̃um Episcopum Melphiten. ex una, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis nonnullis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Em̃us, et Rm̃us D. Cardinalis Picus infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit, nempe

1. An Canonici teneantur in solemnioribus tantum praescriptis in Caeremoniali, excipere in aula Episcopum accedentem ad Ecclesiam Cathedralem pontificaliter celebraturum, vel ut Divinis inibi assistat, vel etiam in aliis diebus minus solemnibus, et toties, quoties ipsi placuerit cum cappa Pontificali accedere ad Ecclesiam, pro assistendo Choro, et Divinis Officiis?

2. An in diebus solemnioribus teneantur eum reducere ad eamdem aulam, sive potius usque ad fores Ecclesiae in casu etc?

3. An Canonicus magister caeremoniarum teneatur requirere Episcopum: utrum, et quando velit accedere ad Ecclesiam pro assistendo Divinis Officiis, sive potius ipse Episcopus teneatur notificare Capitulo suum accessum ad Ecclesiam?

4. An Episcopus teneatur reperiri in Ecclesia hora congrua pro assistendo Missae Conventuali: an potius Celebrans expectare debeat ultra dictam horam?

5. An, celebrante Episcopo in Pontificalibus die Festo S. Benedicti in Ecclesia Monialium Ordinis ejusdem Sancti, teneantur Dignitates et Canonici in corpore praestare assistentiam eidem Episcopo, seu potius assistere tantum ei debeant duo ex Canonicis? Et quatenus negative ad primam, et affirmative ad secundam partem.

6. An Episcopus teneatur istos duos Canonicos assumere, et deferre in suo curru in casu etc?

7. An liceat Vicario generali assistere Divinis in sua sede ad partes extra scamna canonicalia, et ante eam habere genuflexorium cum tapete, et pulvinari, vel potius sedere debeat in Choro sine istis ornamentis, sicut caeterae Dignitates, et Canonici, praeter Celebrantem habentem sedem ornatam?

8. An liceat Episcopo retinere suam sedem Episcopalem, seu thronum sex gradibus elevatum, seu potius ipse teneatur hanc sedem reducere, et dimittere ad tres tantum gradus juxta legem Caeremonialis lib. 1. cap. 13?

9. An, celebrante Episcopo Missam privatam in Cathedrali, vel in alia Ecclesia, cogi possint duo ex Canonicis una cum altero Canonico Magistro caeremoniarum ad assistendum eidem Episcopo in casu etc?

Et S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis. et utraque parte in scriptis, et voce informante audita, sub die 10. Decembris 1740., rescribendum censuit. Ad 1. *Teneri semper ac Episcopus accedat cum cappa magna etiam in Dominicis, et Festis minus solemnibus*.

Ad 2. *Affirmative quoad primam partem, et Negative quoad secundam in casu etc.*

Ad 3. *Affirmative juxta modum, modus est, ut teneatur in diebus, in quibus solet Episcopus assistere. In reliquis Negative.*

Ad 4. *Quoad primam partem, Episcopum debere opportune accedere ad Ecclesiam, hora constituta, quoad secundam satis provisum in prima.*

Ad 5. *Negative quoad primam partem, et ad secundam Affirmative, cum Canonicis necessariis pro celebratione in Pontificalibus.*

Ad 6. *Arbitrio Episcopi.*

Ad 7. *Negative quoad primam partem, et Affirmative quoad secundam partem.*

Ad 8. *Ad mentem, quae est, quod Thronus Episcopi superemineat super stalla Canonicorum.*

Ad 9. *Negative*. Et ita decrevit. *Die* 10. *Decembris* 1740.

Verum adversus supradictas resolutiones nempe 1. 2. 8. et 9. ex supra propositis Dubiis, expedita, et obtenta a Capitulo Ecclesiae Cathedralis nova audientia, ac modo reproposita in S. R. C. controversia super praedictis quatuor dubiis, S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi. D. Card. Guadagni, subrogati in locum cl. mem. Cardinalis Pico causae Ponentis nuper defuncti, utraque parte in scriptis, et in voce iterum audita, ac visis juribus ex parte Promotoris Fiscalis noviter deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Praevio recessu a decisis, teneri Canonicos excipere Episcopum ad formam Caeremonialis approbati a S. M. Benedicto XIII., et ad Dñum Secretarium, juxta mentem, quae est, ut Episcopus se abstineat ab hujusmodi assistentia cum pluviali in diebus minus solemnibus.*

Ad 2. *In casu, de quo agitur, esse reassociandum extra fores Ecclesiae.*

Ad 8. *Esse reducendam Sedem Episcopalem ad tres gradus, et unum suppedaneum ita tamen, ut sedes praedicta sit inferior mensa Altaris, et superior stallis Canonicorum.*

Ad 9. *In decisis*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 20. *Julii* 1743.

3997. AQUILEJEN.

Ex parte Guardiani, et Religiosorum Capuccinorum Conventus Vippacci Provinciae Styriae Aquilejen. Dioecesis S. R. C. humillime supplicatum fuit, quatenus Dubium, in infrascripto supplici Libello idiomate vulgari expressum, declarare dignaretur, nempe.

Emi, e Rmi Signori „ Il Guardiano, e Religiosi Cappuccini del Con-
„ vento di Vipacco nella Provincia di Stiria Diocesi d' Aquileja espongono
„ riverentemente all' EE. VV., come essendo nato un dubio circa il giorno
„ Anniversario della Dedicazione della loro Chiesa, stante che il Documento
„ della Consecrazione della medema parla in questi termini: *Consecravimus*

„ *anno* 1643. *ipsa Dominica quatuor Temporum post Festum Exaltationis*
„ *S. Crucis Ecclesiam etc.* E dandosi alcuni anni, che fra l' Esaltazione di
„ S. Croce, e le quattro Tempora intermedia una Domenica: Si domanda:
„ Se questa Domenica, che antecede le quattro Tempora, o quella che im-
„ mediatamente siegue, debba considerarsi propriamente, *ipsa Dominica*
„ *quatuor Temporum*, nella quale si debba celebrare l'Anniversario di essa
„ Consacrazione? Che ec.

Et S. eadem C., audito voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Dominicam quatuor Temporum esse illam, quae Sabbatum quatuor Temporum immediate sequitur, non est prorsus ambigendum*. Et ita declaravit. *Die* 31. *Augusti* 1743.

3998. FIRMANA.

Cum in Civitate Firmana semper invaluerit pius usus indicendi publicas Proccesiones qualibet secunda Dominica Mensium aestivorum in honorem Beatae Mariae Virginis, cujus Imago asservatur in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia ejusdem Civitatis, a qua Ecclesia Processiones ducuntur ad illam Metropolitanae hoc ordine, ut post Confraternitates Laicorum, sequatur Clerus Regularis, et Saecularis, et deinde Capitulum dictae Metropolitanae; post illud vero subsequuntur ordinatim quatuor confratres uniuscujusque Societatis gerentes intortitia, assignatu ultimo loco quatuor confratribus Societatis SSmi Sacramenti incedentibus immediate cum intortitiis ante Sacram Imaginem a Sacerdotibus processionaliter delatam, ac postremo sequitur Gubernator pro tempore cum illius Magistratu. Cum autem quatuor famuli, qui a dicto Magistratu ad Processionem mittuntur, non raro praetensionem excitaverint praecedendi confratres Confraternitatis SSmi Sacramenti vestibus ejusdem Sodalitatis indutos, et occupandi nobiliorem locum immediate ante dictam Sacram Imaginem: propterea, ad dirimendas seditiones, et scandala, Officiales praefatae Societatis SSmi Sacramenti recursum habuerunt ad S.R.C. adversus praedictum Magistratum pro declaratione infrascripti Dubii ab Emo, et Rmo D. Cardinali Sacripanti propositi, nempe,

An praecedentia tam in incessu, quam in Ecclesia, occasione sacrarum Processionum, debeatur confratribus Ven. Societatis SSmi Sacramenti gestantibus intortitia accensa, seu potius famulis Magistratus similia intortitia deferentibus in casu etc?

Et S. eadem C., audita Informatione Rmi Episcopi, ac Juribus ex parte supradictae Confraternitatis deductis, ad relationem ipsius Emi Domini Ponentis, rescribendum censuit: *Affirmative quoad primam partem*; *Negative quoad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit: *Die* 31. *Augusti* 1743.

3999. MEDIONALEN.

Bernardinus Cassinus unus ex Magistris caeremoniarum Metropolitanae Mediolanen. pro declaratione sequentium Dubiorum S. R. C. humillime supplicavit.

1. An iis diebus, quibus, juxta ritum Ecclesiae Ambrosianae, prohibetur

fieri de duplici, sive de solemni, prohibeantur etiam Missae de Requiem? Et quatenus affirmative.

2. An Missae pro enunciatis diebus Officium de duplici, seu de solemni non admittentibus in Calendario, et Missali Ambrosiano praescriptae, ad Altaria privilegiata celebratae Animabus in Purgatorio existentibus perinde suffragentur, ac si celebrarentur Missae de Requiem etc?

Et S. eadem R.C, audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Affirmative ad utrumque*. Et ita declaravit. *Die* 31. *Augusti* 1743.

4000. URBIS.

Cum omni communi aeque, ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut, quos e Sanctorum numero sibi singulae elegerint, eos etiam adjecto illustrium Patronorum titulo, suis unaquaeque Calendariis inscribant: minime dubitandum est, quin Romana potissimum Ecclesia Principum Apostolorum Petri, et Pauli Martyrio consecrata, ac supra alias in summum honoris, et gloriae culmen evecta a Fidei primordiis eosdem Apostolos uti Patronos habuerit apud Deum, seque in illorum tutela positam jure putaverit. Clarum antiquae huic traditioni perhibent testimonium tum S. Leo Papa Serm. 1. de Sanctis Petro, et Paulo, ubi eos Romae Patronos nominat speciales: Sicut autem inquit, et nos experti sumus, et nostri probavere Majores credimus, atque confidimus inter omnes labores istius vitae ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adjuvandos = tum quoque S. Maximus Episcopus Taurinensis Homil.3. de iisdem = ubi eos Romae Patronos appellat peculiares = Horum hodie concursu laetissimo recolit Roma Martyrium, et quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari devota Patrocinio gloriatur = eisdem celebri disticho concinit S. Venantius Fortunatus.

A facie hostili duo propugnacula praesunt.
Quos Fidei Turres Urbs caput Orbis habet.

At quia compertum est in ordine Divini Officii debita hac nota, ac insigni titulo Patronorum Principalium almae Urbis Sanctos eosdem Apostolos nuncupari non consuevisse eam fortasse ob causam, quod Sancti Petrus, et Paulus Catholicae Ecclesiae Patroni caeteroquin generales habeantur, eaque propter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur; SSmus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. solerter advertens per hujusmodi Ecclesiae universae generale patrocinium non effici, quominus iidem sint quamplurium per Orbem Ecclesiarum Patroni simul etiam peculiares, sive, ut ajunt, principales, et hoc nomine in earum Calendariis inscribantur, ratus est, non decere, ut quae ipsorum patrocinio Roma prae caeteris laetatur, eos ubi maxime oportet in fastis Patronos non appellet. Qua de re Sanctitas Sua, *ut in posterum debita honoris, et obsequii ratio servetur in recolenda memoria Principum Apostolorum, quorum praesenti ope, ac tutela Christiana Respublica undique procellis acta, ac gravioribus in diem aerumnis confecta, tandem erigatur, mandat, ac praecipit memoratos Apostolorum Principes Sanctos Petrum, et Paulum posthac Romano quoque Calenda-*

rio, *sive ordini Divini Officii pro degentis in Urbe Cleri directione quotannis imprimendo similiter inscribi*, *titulo scilicet principalium Patronorum non omisso*. Propterea eadem Sanctitas Sua inhaerens Decretis alias editis a S. R. C., et a Praedecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis, declarat, *Quod commemorationi, quae in unaquaque Civitate, et Dioecesi ex laudabili consuetudine, Rubricarum dispositione fit Sanctorum suorum Patronorum Principalium inter Suffragia Sanctorum post Laudes, et Vesperas in Divinis Officiis, quando commemorationes, sive Suffragia SSrum̃ recitantur*, *tum Romae tum alibi ubicumque SS. Apostoli Petrus, et Paulus uti Patroni Principales coluntur, satisfactum censeatur per eam commemorationem ordinariam, seu communem, quae fit eorumdem in universa Ecclesia post commemorationem Bm̃ae Virginis Mariae*. Atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit, et declarat. *Die* 16. *Octob.* 1743.

4001. MEDIOLANEN.

Porrecto in S. R. C. ex parte P. Fr. Desiderii a S. Margharita Sacerdotis Professi S. Augustini Discalceatorum Provinciae Mediolanen. infrascripto supplici libello pro declaratione sequentium Dubiorum, videlicet.

1. An Regulares debeant celebrare Festa perpetuo translata in illis diebus in Calendario Dioecesis, auctoritate Ordinarii assignatis tamquam propriis, quando in illis diebus non occurrat Festum sui Ordinis?

2. An Festa perpetuo translata, etiamsi sint semiduplicia transferri possint in dies infra Octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de Octava tamquam in dies proprias?

3. An in fixatione Festorum attendenda sit anterioritas temporis, et non superioritas ritus?

4. An post Decretum 7. Decembris 1680. (2779) abrogatum, sit aliud decretum ejusdem S. R. C., scilicet, Officia SSrum̃, quae alicubi supersunt de mense Decembris, possunt transferri in annum sequentem?

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad. 2. *Ut ad proximum*.

Ad. 3. *In fixatione Festorum attendi debet, quod praecipitur a Rubrica* 10. *Breviarii Romani sub num.* 7. *de translatione Festorum, ut scilicet, prius agatur de duplici, postea de semiduplici, et inter plura duplicia, quod est magis solemne semper prius celebretur, sive ex ritu, sive ex dignitate majoritas ista solemnitatis proveniat; alioquin si sint omnino aequalia unum ante aliud reponatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus; eadem etiam militat ratio in fixatione, quae probaret in translatione*.

Ad 4. *In posterioribus hujus S. C. Decretis, quibus cautum est, ut Sancti, qui in fine anni supersunt, non sint ad sequentem annum transferendi, abrogatum fuisse Decretum diei* 7. *Decembris anni* 1680., *ideoque comprhendi sub illis etiam Sanctos, qui in mense Decemb. occurentes translati supersunt, affirmare non dubitaret*. Et ita etc. *Die* 7. *Decembris* 1743.

4002. BARCHINONEN.

Declarationis Dubii: An Confratres, et Consorores tertii Ordinis S. Francisci Civitatis Barchinonae, dicantur comprehensi in constitutione a SSmo Domino Nostro edita super clausura Monasteriorum quorumcumque virorum Regularium, referente Emo Lucino. *Affirmative. Die* 1. *Febr.* 1744.

4003. PANORMITANA.

Cum Vincentius de Daidonis Archipresbyter Oppidi Thermarum Dioecesis Panormitanae exposuerit, quod ab ejus Antecessore, et Juratis, ob liberationem a ruinis terraemotus ejusdem Oppidi de anno 1726. sequuti, sub die prima Septembris in Festo translationis Reliquiarum B. Augustini Novelli, et Sanctorum Basillae, et Calogeri Martyrum, eorum assertorum Patronorum, emissum fuit votum servandi in futurum per totum dictum Oppidum in pervigilio dictorum Sanctorum Jejunium ecclesiasticum, et in ipsorum Festivitate se abstinendi ab operibus servilibus: propterea praefatus Archipresbyter ad sedandam quietem conscientiae suorum concivium, ac parochianorum, S. R. C. humillime supplicavit, quatenus infrascriptum Dubium benigne declarare dignaretur.

An sit validum votum emissum anno 1726. in Civitate Thermitana; primo celebrandi tria Festa de praecepto, scilicet diem primam, secundam, et tertiam Septembris: secundo jejunandi die praecedente praedicta Festa: tertio nunquam admittendi Mulieres in scaenis histrionum, et theatris.

Et S. eadem C., audita prius relatione Rmi Archiepiscopi, ac re mature examinata, ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Burghesii Ponentis, rescripsit: *Votum substineri quoad Personas tantum, quae illud emiserunt*. Et ita declaravit. *Die* 1. *Februarii* 1744.

4004. BERGOMEN.

Cum ex parte Episcopi Bergomensis pro resolutione infrascriptorum Dubiorum S. R. C. enixe supplicatum fuerit: nempe.

1. Utrum in Sabbato Sancto pro collatione Sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Prophetiis, ut in Missali, celebrare?

2. Utrum in Ordinum collatione diebus a jure statutis dicenda sit Missa de Sancto contingente, an semper de Feria occurrente?

3. Utrum in Dominicis primae classis, et aliis diebus, in quibus absolute quaecumque alia festa etiam primae classis excluduntur, licitum sit cantare Missam de Requiem praesente cadavere?

4. Cum Rubrica Missalis de introitu etc. num. 5. praescribat, quod, incensata Cruce, incensentur et Reliquiae, seu Imagines SSrum, quaeritur: An Imagines SSrum debeant habere inclusas SSrum Reliquias, juxta Quarti part. 3. tit. 4. de Introitu Missae, et Merati tom. 1. part. 2. tit. 4.

5. Cum in Missale ultra primam in principio detur et altera Rubrica in ordine, et Canone Missae, et inter has videtur aliqua discrepantia praecipue in inclinationibus, et manuum junctionibus: quaeritur: quaenam sequenda?

6. Quaeritur: utrum in nocte Feriae V. in Coena Dñi licitum sit Statuam B.M.V. velo nigro circumdatam cum Crucifixo mortuo in gremio deposito exponere, et Feria VI. sequenti in mane eam in Processione cum pluvialibus nigris deferre?

7. Cum in quamplurimis nostrae solius Dioecesis Ecclesiis inoleverit, et quotidie usus excrescat, vestem violaceam cum ferula in sacris functionibus deferendi per Caeremoniale Episcoporum Cathedralium caeremoniarum Magistro; quaeritur: An sit usus tolerandus?

S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative. Id est pro collatione Sacrorum Ordinum in Sabbato Sancto Missa incipienda est a Prophetiis.*

Ad 2. *In Ordinum collatione diebus a jure statutis, dicatur semper Missa de Feria occurrente.*

Ad 3. *Servetur Decretum latum die 5. Julii 1698. (3328) videlicet: In duplicibus primae classis, etiam praesente corpore, non potest cantari Missa defunctorum.*

Ad 4. *Non esse de necessitate in sculptis SSrum̄ Imaginibus in Altare dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut, incensata Cruce; valeant illae a Celebrante thurificari.*

Ad 5. *Pari forma sequendas esse tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani ad caeremonias in inclinationibus, et manuum junctione, rite peragendas.*

Ad 6. *Permitti posse, ut Statua B. M. V. velo nigro circumdata in nocte Feriae V. in Coena Dñi cum Jesu Dño Filio mortuo in gremium deposito in Ecclesia exponatur, ut sequenti Feria VI. in mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur.*

Ad 7. *Serventur praescripta a Caeremoniali Episcoporum circa vestem violaceam, et ferulam gestandam, prout legitur cap. 5.. et hujusmodi color, et ferulae gestatio convenit solummodo Caeremoniariis Ecclesiae Cathedralis.* Et ita declaravit. *Die 21. Martii* 1744.

4005. PATAVINA.

Porrecto S. R. C. nomine Abbatissae, et Monialium Monasterii S. Benedicti Civitatis Patavinae infrascripto supplici Libello, idiomate vulgari, tenoris sequentis, videlicet.

„ Emi, e Rmi Sigg. L'Abbadessa, e Monache del Monastero di S.
„ Benedetto della Città di Padova umilmente espongono all'EE. VV., co-
„ me, non ostante il Decreto della f. l. mem. di Benedetto Papa XIII., in
„ in cui comanda a tutti li Sacerdoti, che nella Festa di S. Benedetto
„ celebrano nella Chiesa dell'Ordine la Messa propria del Santo; corren-
„ do l'infra Ottava non vogliono li Cappellani del prefato Monastero ce-
„ lebrare la prefata Messa, e neppure l altra del comune; perciò infra
„ l'Ottava o celebrano della Feria, o pure del Santo predetto votiva.
„ Quindi l'Oratrici supplicano l'EE. VV. a dichiarare, se i predetti Cap-
„ pellani debbano celebrare quella particolare secondo il prefato Decre-

,, to, o almeno del comune, ma però sul rito dell'infra Ottava, ineren-
,, do all'altro Decreto di codesta Sacra Congregazione, che li Cappellani
,, suddetti si conformino nella celebrazione all'officio delle medesime Mo-
,, nache. Che della grazia etc.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Cappellani Monialium Ordinis S. Benedicti, caeterique Sacerdotes tam Saeculares, quam Regulares ad earum Ecclesiam confluentes, Missam propriam S. Benedicti cum Missali monastico non solum in die Festo, sed per subsequentes dies alias non impeditos infra ejus Octavam celebrare possunt, ac debent*. Et ita declaravit hac die 21. *Martii* 1744.

4006. EPISTOLA AD OMNES EPISCOPOS, ET ARCHIEPISCOPOS, QUA COMMENDATUR OBSERVANTIA DECRETORUM, JUSSU S. M. ALEXANDRI VII., EDITORUM CIRCA USUM PONTIFICALIUM SERVAN. AB ABBATIBUS, ALIISQUE PRAELATIS INFERIORIBUS.

Rme Dne uti Frater: SSmus Dnus Noster pro diuturno, qua gubernat Ecclesiam zelo, et sollicitudine, animo reputans, quod ea, quae a longo tempore fuerunt statuta, quamquam opportunissima, et necessaria, ita tamen decursu temporis in desuetudinem abeant, et in oblivionem, ut penitus tandem negligantur: ac proinde varios abusus animadvertens inolevisse adversus Decreta a S. M. Alexandro VII. constituta, praesertim circa usum Pontificalium, in Congne Ordinaria Sacrorum Rituum habita coram eodem Pontifice anno 1659. Idem SSmus Dnus Noster nedum opportunum, sed plane necessarium duxit praescribere, sicut reapse praescripsit, quod non solum fieret nova praedictorum Decretorum in memorata Congreg. editorum impressio, sed etiam, quod ad omnes, et singulos locorum Ordinarios eorum exemplaria transmitterentur (quorum unum etiam Amplitudo tua hisce adnexum recipiet) ad hoc, ut pro munere, quod ipsis incumbit, ac pro peculiari studio, quo in res sacras eosdem affectos esse decet, exactam eorumdem Decretorum observantiam urgeant, et compleant, eoque magis, quod asserentibus tunc temporis Monachis Cassinensibus, etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico indulto, eis licitum esse Ecclesiasticam suppellectilem benedicere: et S. C. mandavit usque ab anno 1660. tale indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum exhiberi, et interim abstinere, nunquam huc usque fuit ostensum. Et diu felix, et incolumis vivas: *Romae* 31. *Martii* 1744.

4007. AUXIMANA,

Archipresbyter nuncupatus Congregationis Ecclesiae S. Mariae Gratiarum Terrae Montis Filotrani Dioecesis Auximanae S. R. C. humillime supplicavit, quatenus, ad tollendas omnes haesitationes, infrascripta Dubia declarare dignaretur: nempe.

1. An Clerus dictae Terrae possit, vel debeat recitare Officium cum

Missa tam in die, quam per Octavam Dedicationis Ecclesiae Matricis? Et quatenus negative.

2. An excludantur habentes aliquod Beneficium simplex in eadem Ecclesia?

3. An etiam excludantur Sacerdotes adscripti servitio, vel commoditati ejusdem Ecclesiae?

4. An Clerus supradictae Terrae possit, vel debeat recitare Officium cum Missa tam in die, quam per octavam Dedicationis Ecclesiae Matricis. An sint excludendi Sacerdotes praefatae Congregationis noviter erectae, qui onus habent recitandi Divinum Officium more Canonicorum in propria Ecclesia, cujus Dedicatio occurrit in die 3. infra Octavam supradictae Ecclesiae Matricis, sub cujus Cruce in Processionibus, quae fiunt infra annum promiscue incedunt?

Et S. C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit. Ad 1. *Non teneri, nisi qui fuerint ipsius Ecclesiae servitio adstricti, aut in ea aliquod Beneficium, vel tenue possiderent.*

Ad 2. *Jam provisum in prima Responsione.*

Ad 3. *Ut ad proximum.*

Ad 4. *Non indigere Responsione*. Et ita declaravit. *Die* 16. *Maii* 1744.

4008. CORTONEN.

Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Cortonae exposuerunt, quod cum Festum Dedicationis eorum Ecclesiae, jam affixum quintae Dominicae post Pentecosten, concurrat hoc anno 1744. cum primis Vesperis SSrum Apostolorum Petri, et Pauli, propterea S. R. C. humillime supplicarunt pro declaratione, quod ex hisce duobus Festis sit praeferendum?

Et S. eadem C., audito voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Faciendum esse totum de digniori, cum commemoratione minus digni, scilicet totum de Dedicatione cum commemoratione Sanctorum Apostolorum, quodque servandum est in praelatione Octavarum, juxta Rubricas generales, etiam occorrente in Dominica quinta post Pentecosten*. Et ita declaravit. *Die* 16. *Maii* 1744.

4009. IMOLEN.

Orta controversia inter Capitulum, Canonicos, et Dignitates Ecclesiae Cathedralis S. Cassiani Imolae ex una, et Patres Carmelitas ejusdem Civitatis partibus ex altera, super delatione sacrorum paramentorum in Processione, quae peragitur ab iisdem Patribus extra claustra eorum Ecclesiae infra Octavam SSmi Corporis Christi, illaque ad S.R.C. delata, Emus, et Rmus D. Cardinalis de Gentilibus Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit.

1. An Patres Carmelitae induere possint sacras vestes ad formam eorum Ritualis in Processione facienda extra claustra, et ambitum Ecclesiae infra Octavam SSmi Corporis Christi in casu etc?

2. An liceat eisdem Patribus ingredi Ecclesiam Monialium S. Stepha-

ni, et ibidem benedictionem impertiri eisdem Monialibus, et deinde populo, nec non in propria Ecclesia sub triplici signo ad formam ejusdem Ritualis in casu etc?

Et S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, ac utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum, censuit. Ad 1. *Affirmative, exceptis Fratribus laicis*.

Ad 2. *Licere Patribus Carmelitis ingredi Ecclesiam Monialium, accedente consensu Episcopi, ibique impertiendam esse unicam benedictionem Monialibus, et in propria Ecclesia cum triplici signo*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 16. *Maii*. 1744.

4010. TIRASONEN.

Episcopus Tirasonen. humiliter exposuit, quod, licet ex variis Sacrorum Canonum, summorumque Pontificum, et S. hujus R. C. declarationibus constet, ad Episcopum spectare in sua Dioecesi jus benedicendi Sacra, nedum vasa, campanas, et alia, quae sacro Chrismate deliniuntur, sed et sacras vestes, et caetera, in quorum benedictionibus unctio Chrismatis non adhibetur, quodque illae benedictiones, in quibus haec unctio requiritur fieri non possint, etiam ad exercitium Pontificalium habentibus, pro Ecclesiis sibi pleno jure non subiectis, et quod Superiores Regularium, ut Rectores, Priores, Guardiani, Ministri, et alii, benedictiones omnes, in quibus Sacrum Chrisma non requiritur, tam pro suis, quam pro alienis Ecclesiis, similiter faciant: et quod ad campanas attinet jam usus invaluit ab immemorabili, ut eas absque Sacro Chrismate benedicant simplices Presbyteri cum facultate ab Episcopis delegata, juxta Rituale Caesaraugustanum, in quo benedictio, quam simplicem, et privatam dicunt, reperitur, et est eadem cum solemni in Pontificale Episcoporum tradita, Chrismatis unctione dempta: Quare praedictus Episcopus enixe S. R. C, supplicavit pro declaratione sequentium Dubiorum, videlicet:

1. An liceat Abbatibus, aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus benedicere campanas, vasa sacra, et alia, quae Sacro Chrismate liniuntur, nec non vestes sacras, et in quorum benedictionibus Chrismatis unctio non requiritur? quatenus Affirmative.

2. An hoc eis liceat etiam pro Ecclesiis sibi pleno jure non subiectis?

3. An Superiores Regularium, et Rectores, Priores, Guardiani Ministri, et alii possint explere benedictiones omnes, in quibus Sacrum Chrisma non requiritur?

4. An Episcopus inhibere possit Decano Tutelano, aliisque Abbatibus etiam Nullius Dioecesis Pontificalium exercitium habentibus in Dioecesi Tirasonen., prout quoque Rectoribus, Prioribus, Guardianis, et alii ministri, Regularium Superioribus, ne praedictas benedictiones explere audeant?

5. An idem Episcopus utendo ordinaria facultate, possit aliis in Dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi Sacra Indumenta, et alia, in quibus juxta Rituale Romanum Sacrum Chrisma non adhibetur:

seu potius hanc delegationem idem Episcopus etiam ad campanarum benedictionem ampliare valeat?

6. An, quatenus ad eamdem delegationem Apostolicum requiratur Indultum, istud sit concedendum praefato Episcopo, ut in locis praecipuis, et nobilioribus suae Dioecesis eo in numero Presbyteros in Dignitate constitutos ad hoc opus eligat, quot aestimet sufficere pro omnium Ecclesiarum suae Dioecesis indigentia?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, et ad relationem Emi, et Rmi D. Card. Tamburrini, Ponentis, respondendum censuit: Ad 1. *Quoad primam partem non licere, nisi habeant S. Sedis privilegium, quoad secundam partem licere*.

Ad 2. *Hoc eis licere pro usu dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum*.

Ad 3. *Posse pro suis Ecclesiis, supposito S. Sedis privilegio*.

Ad 4. *Proponatur, citatis interesse habentibus*.

Ad 5. *Non posse*.

Ad 6. *Posse concedi in forma solita*. Et ita declaravit. *Hac die* 16. *Maii* 1744.

4011. CRACOVIEN.

Cum Decanus, et Officialis generalis Cracoviensis, cui commissum est munus ordinandi Directorium pro Officio Divino recitando, nonnullas patiatur difficultates, nec pro earum resolutione sufficientem habeat auctoritatem, S. R. C. enixe supplicavit pro declaratione infrascriptorum Dubiorum, nempe.

1. Utrum sufficiat usus in Regno Poloniae receptus qualificandi Festa non pauca titulo duplicis majoris, ex ea ratione sola, quia sunt celebria ad populum?

2. Utrum ratione Festivitatis, seu Feriationis in occurrentia cum aequalibus debeant Festa, quae sunt celebria in populo habere integras Vesperas?

3. Utrum Festis a sua sede propter impedimentum perpetuo translatis possint assignari dies proprii, qui reperiuntur liberi in Calendario Romano, independenter ab Octavis particularibus?

4. Utrum, interveniente necessitate movendi in perpetuum aliquod Festum, cui assignata fuerat dies alia propria, moveri etiam debeant alia Festa, quibus pariter assignati fuerant dies proprii, ita ut per modum translationis omnia ista cedant locum antiquioribus?

5. Utrum Ecclesia particularis, quae non potest facere de Festo die assignata tamquam propria pro tota Dioecesi, possit, ac debeat huic Festo aliam diem eligere tamquam propriam?

6. Ab antiquo Festum SSrum Cosmae, et Damiani perpetuo a sua die translatum in Polonia appositum fuit pro prima die Octobris: postea Festum S. Remigii concessum fuit semiduplex ad libitum. Nonne convenit assignare diem aliam istis Sanctis, puta 3. Octobris, ut possit fieri

de S. Remigio, et in hoc casu, nonne satius esset, ut in Cathedrali propter occursum diei infra octavam S. Wenceslai fieret die prima Octobris commemoratio tantum S. Remigii in Officio de infra octavam, protrahendo illud SSrum Cosmae, et Damiani ad diem 3., ne multiplicentur dies proprii respective ad particulares Ecclesias?

7. Perpetuo transferri debet Festum S. Annae, quod celebre est in Polonia, propter Octavam nuper concessam de B. Joanne de Dukla, supplicatur humillime, ut hoc Festum fiat propria die cum commemoratione diei octavae etiam S. Vincentii de Paulo apud RR. Sacerdotes Congregationis Missionis: Similiter contingit fieri de die octava S. Stanislai Kostka 25. Novembris cum translatione S. Catharinae, quae colitur celebriter ad populum, eadem gratia postulatur, ut scilicet fiat de Sancta cum commemoratione Octavae.

9. Usus pulcherrimus viget in Polonia dicendi, vel potius cantandi quotidie per totum Adventum Missam *Roratae* de B.M.V., et quidem solemniter. Quaeritur: an ista in Missa dicendus sit semper hymnus *Gloria in excelsis*: vel etiam: *Credo*: quando Missa diei currentis illud exigat?

9. In Ecclesiis minoribus, in quibus nonnisi unica Missa haberi potest, quaeritur: utrum Sacerdos possit habere: *Rorate*: maxime in Dominicis, et Festis celebribus, puta S. Andreae, Conceptionis B. M. V., S. Thomae etc?

10. An decreta prohibentia dicere, *Credo*, in Missis Patronorum minus principalium sustineantur, etiamsi nunquam fuerint ad praxim deducta, quinimo in Missalibus post Evangelium in istis Missis notatus sit *Credo*?

Et S. eadem C., audito prius Voto unius ex caeremoniarum Apostolicarum Magistris, censuit respondendum. Ad 1. *Usus celebrandi quamplura Festa sub ritu duplicis majoris ex eo, quia sunt celebria in populo Cracoviensi sustineri non potest.*

Ad 2. *Festa per annum duplicia, quae solemniter celebrantur a Choro, et in Populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum, et dignitatem, possunt habere integras Vesperas ad sensum Rubricae XI. Breviarii Romani num. 2.*

Ad 3. *Non dedecet assignari Festis etiam semiduplicibus, a propria die ob aliquod impedimentum perpetuo translatis, dies illos infra octavam non privilegiatam ab alio occurrente Festo non impeditos, qui dies habeantur, et sint in posterum sedes fixa talium translatorum.*

Ad 4. *Cum aliquod Festum jam translatum iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut coetera alia Festa post ipsum translata a diebus sibi respective assignatis denuo removeantur; ni forte nova Calendarii constructio ex integro assumeretur.*

Ad 5. *Affirmative, cum approbatione tamen Rmi Episcopi loci Ordinarii circa electionem diei.*

Ad 6. *Festum SSrum Cosmae, et Damiani jam alias a propria die perpetuo amotum state celebrari deinceps poterit tam in Cathedra-*

li, quam in Dioecesi Cracoviensi die 3. *Octobris, ut die prima agatur in Dioecesi de S. Remigio ad libitum, de quo in Cathedrali haberi poterit commemoratio tamquam de simplici in Officio de infra octavam S. Wenceslai inibi tantum occurente.*

Ad 7. *Pro gratia quoad Officium Festivum S. Annae die* 26. *Julii cum commemoratione Octavae tam Beati Joannis De Dukla, quam S. Vincentii a Paulo pro RR. Sacerdotibus Congregationis Missionum insimul occurrentis. Quoad incidentiam vero diei octavae S. Stanislai cum Festo S. Catharinae, servetur Rubrica de translatione Festorum.*

Ad 8. *Tolerari potest Missa votiva cantata B. M. V. toto tempore Adventus, exceptis solemnioribus Festivitatibus, dummodo canatur sine symbolo, et solum cum* Gloria in excelsis *in Sabbatis, et infra Octavam ejusdem B. M., non omissa Missa conventuali.*

Ad 9. *In Ecclesiis minoribus, ubi unica celebratur Missa, non potest omitti illa occurrentis Festi de Praecepto, ut cantetur votiva.*

Ad 10. *Exequenda sunt Decreta* 2. *Decemb.* 1684., (2925, *ad* 4.) 15. *Septemb.* 1691. (3098.), *et* 19. *Junii* 1700., (3416. *ad* 7. *et* 8.), *quibus vetitum est dicere* Credo *in Missis Patronorum minus principalium, etiamsi nunquam fuerint ad praxim deducta, et a Missalibus, ubi contrarium notatur, expungatur*. Et ita declaravit. *Hac die* 22. *Augusti* 1744.

4012. FRISIGEN.

Porrecto in S. R. C. ex parte Patrum Societatis Jesu Monachii in Bavaria supplici Libello, pro assignatione nonnullorum Festorum Sanctorum eodem die cum aliis Sanctis occurrentium, tenoris sequentis, videlicet.

Emi et Rmi Domini: Cum P. Merati in suis observationibus ad Gavantum in Rubricas tom. 2. sect. 3. cap. 10. *de occurentia Divinorum Officiorum* asserat, quod si duo Festa, etiam aequalis ritus, eodem die constanter in perpetuum occurrant, et idcirco alterum eorum transferri debeat, prima dies proxima non impedita assignata censeri debeat in perpetuum pro die propria Festi respective translati. Quaeritur: An liceat absque alio recursu ad S. C. iis, ubi talis perpetuus Festorum ejusdem ritus occursus constanter contingit, diem primam proxime non impeditam tamquam propriam, translato ipso facto assignare, eamque pro die fixa in Directorio declarare: An vero pro tali declaratione, et assignatione ad eamdem S. C. recurrere oporteat? Sunt Monachii Bavariae Metropolis in Templo Societatis Jesu ob plures insignes SSrum Reliquias Serenissimo Duci Guillelmo ejus Fundatori, etiam ab urbe illo missas, aliquot Festa duplicia, quae constanter cum alio Festo in die eodem occurrunt, ac transferri debent, videlicet.

3. Januarii S. Anteri P. et M. etc. omittimus elenchum Festorum, quae ob concurrentiam perpetuo sunt transferenda.

Quaeritur igitur; an dies primae proximae non impeditae, quae post enumerata officia duplicia sequuntur, et recipere in se translata possunt, cuilibet eorum ut propriae, et in perpetuum fixe in impresso Templi Dire-

ctorio deinceps assignari valeant ? Nisi enim id fiet, multa identidem Festa conjungenda sunt, et uno anno unum, et proprium ritum, alio vero alium attribuere necessitas cogit, ut ab aliquo tempore, quo nova Festa sunt aucta, factum est.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit.

Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet Festo a suo die, ob perpetuum impedimentum, translato, ita ut dies propria, et fixe Festi translati; justificatis tamen apud Rmum Episcopum Loci Ordinarium translatorum numero, et causis dierumque assignatorum ordine, et qualitate. Et ita etc. *Die* 22. *Augusti* 1744.

4013. JANUEN.

Ex parte Monialium S. Clarae Civitatis Januen. S.R.C. humillime supplicatum fuit, quatenus Dubium in infrascripto supplici Libello, idiomate vulgari expressum, declarare dignaretur, nempe.

Emi, e Rmi Signori „ Le Monache di S. Chiara della città di Geno„ va umilmente espongono all' EE. VV., che essendo sempre usato in „ detto Monastero di recitare l' Officio Divino secondo il Breviario de' Fra„ ti Minori, e loro Calendario, come prescrive la Regola in queste precise „ parole: Del Divino Officio, quale tanto di giorno, che di notte si ha „ da celebrare, questo si osservi, che tutte quelle, che sanno leggere, e „ cantare, celebrino l' Officio Divino, secondo la consuetudine dell' Ordine „ de' Frati Minori: e la continuazione: Diranno l' Officio Divino ogni gior„ no, e notte in Coro all'ore destinate, ed osserveranno nel dirlo il rito del „ Breviario Romano, e quello della Diocesi, e ne giorni di qualche Santo, „ o Santa dell'Ordine del Padre S.Francesco, reciteranno gli Officij si proprij, „ che comuni di essi Santi. Al presente vi sono alcune, che, informate „ da alcuni Sacerdoti secolari, l'hanno consigliate a piuttosto omettere „ l' Ottave de' Santi dell' Ordine, che quelle della Diocesi contro i Decre„ di questa Sagra Congregazione, quali espressamente dicono, non esser „ tenuti i Regolari all' Ottave de' Santi, che si celebrano nella Città, ed an„ che persuase a prevalersi del Calendario piuttosto de' Padri Conventuali, „ contuttochè le dette Oratrici militano sotto la Regola di Santa Chiara con„ cessa dalla S. M. di Urbano PP. V., come espressamente si dichiarano „ nella formola della Professione; e queste tali, sebbene in poco numero, „ non lasciano d' apportare del disturbo molto, e pervertire quel buon or„ dine, che v' era, tanto che non sanno ormai come regolarsi nell' Officio, „ e perciò ricorrono all' EE. VV. acciò si degnino dichiarare, per quiete „ comune del Monastero, non solo di non esser tenute all' Ottave de' Santi „ della Città, ma di dovere, secondo l' uso introdotto, e Regola, servirsi „ del Calendario de' PP. Osservanti. Che etc.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Moniales Locorum Ordinariis subjectae non tenentur recitare Officia particularia Dioecesium; tenentur tamen recitare de Patrono Principali Loci, et de Titulari Ecclesiae Cathe-*

dralis, *nec non de ejusdem Ecclesiae Dedicatione*, *non vero de eorumdem Festorum Octavis*, *nisi id specialiter ipsis indultum sit*, *ex vi concessionis Apostolicae*, *vel propriae constitutionis ab Apostolica Sede approbatae : novum vero Breviarium*, *et Calendarium pro Patribus Conventualibus editum possuut assumere*, *petita venia ab hac S. C.* Et ita etc. *Die* 22. *Augusti* 1744.

4014. MELPHITEN. PRAEEMINENTIARUM.

Inter Rmum Episcopum Melphiten. ex una, et Capitulum Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis partibus ex altera, ortis nonnullis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Card. Picus infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit, nempe.

1. An Canonici etc. Omittuntur Dubia, et S. C. resolutiones, quae habentur suis locis num. 3954. 3996.

Hujusmodi vero resolutioni Promotor Fiscalis minime acquiescens novam petiit, et obtinuit audientiam, cujus vigore, examinata iterum controversia, ac in S.R.C. infrascriptis quatuor Dubiis discussis, nempe.

1. An Canonici teneantur in solemnioribus tantum praescriptis in Caeremoniali excipere in aula Episcopum accedentem ad Ecclesiam Cathedralem pontificaliter celebraturum, vel ut Divinis inibi assistat, vel etiam aliis diebus minus solemnibus, et toties quoties ipsi placuerit cum cappa Pontificali accedere ad Ecclesiam pro assistendo Choro, et Divinis Officiis ?

2. An in diebus solemnibus teneantur eum reducere ad eamdem aulam, sive potius usque ad fores Ecclesiae ?

8. An liceat Episcopo retinere thronum sex gradibus elevatum, seu potius sit reducendus ?

9. An, celebrante Episcopo Missam privatam in Cathedrali, vel alia Ecclesia, cogi possent duo ex Canonicis una cum altero Canonico Magistro caeremoniarum ad assistendum Episcopo ?

S. eadem C. utraque parte in scriptis, et in voce denuo audita, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. Nempe : *Teneri semper ac Episcopus accedit cum cappa magna*, *etiam in Dominicis*, *et Festis minus solemnibus*.

Ad 2. *Affirmative ad primam*, *partem*, *Negative ad secundam*, *et ad mentem*. Mens autem est, *quod nomine S. C. Emus Ponens dignetur scribere Episcopo*, *quod discrete se gerat in assistendo cum cappa*, *et urbane pariter procedat cum Capitulo circa reassociationem*. Quo vero ad reliqua duo Dubia, *persistendum censuit in secundo loco decisis*, *et amplius in omnibus non videatur*.

Ad 8. *Reducendam esse Sedem Episcopalem ad tres gradus*, *et unum suppedaneum*.

Ad 9. Denique : *Negative*. Et ita censuit. *Hac die* 22. *Augusti* 1744.

4015. RIPANA.

Exorta inter Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Civitatis Ripanae ex una, et Confraternitatem SSmi Sacramenti, sive S. Joannis ejus-

dem Civitatis partibus ex altera, controversia, super praecedentia ab Officialibus ejusdem Confraternitatis praetensa in Processione fieri solita cum Imagine, seu Statua Bmae Virginis Lauretanae, illaque ad S.R.C. delata, Emus, et Rmus D. Cardinalis Accorambonus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit.

1. In quo loco asserti tres Officiales majores Confraternitatis S. Joannis Ripaetransonae in Processione fieri solita cum Sacra Imagine B. M. V. incoronatae incedere debeant, sive interveniente, sive non interveniente Episcopo, in casu etc.?

2. An dicta Sagra Imago deferenda sit sub baldachino? Et quatenus affirmative.

3. An liceat deferri per confratres sacco, vel potius per Sacerdotes, seu Clericos superpelliceo indutos, in casu etc.?

S. eadem C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, rescribendum censuit.

Ad 1. *Officiales debere incedere a latere Statuae.*

Ad 2. *Sacram Imaginem non esse deferendam sub baldachino,*

Ad 3. *Licere deferri dictam Sacram Imaginem per confratres sacco indutos.* Et ita declaravit, et decrevit. *Die 22. Augusti* 1744.

4016. PERUSINA.

Fr. Bernardus a Tiferno modernus Guardianus Conventus Capuccinorum Civitatis Perusinae, quatenus, ad tollenda jurgia inter Fratres choristas praefati Conventus exorta circa translationem Festi SSrum Martyrum, et Episcoporum Cornelii, et Cypriani occurrentis die 16. Septembris cum Festo Dedicationis ejus Ecclesiae, S. R. C. humillime supplicavit, pro declaratione infrascripti Dubii, nempe.

An Officio SSrum Martyrum, et Pontificum Cornelii, et Cypriani dies 22. Septembris septima Octavae Dedicationis, ut non impedita ab alio Festo, aut alia non impedita post Octavam ejusdem Dedicationis, sit assignanda?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit respondendum: *Festum SSrum Cornelii, et Cypriani a propria die perpetuo amotum die 22. Septembris, licet septima infra Octavam Dedicationis state celebrari deinceps non improbatur,* Et ita etc. *Die 28. Novembris* 1744.

4017. LUNEN. SARZANEN.

Cum Festum Dedicationis Ecclesiae Patrum Minorum Observantium S. Francisci de Villa Franca Dioecesis Lunen. Sarzanen. semper occurrat cum altera Festivitate S. Silvestri, et Officium dicti Sancti ad annum sequentem minime transferri valeat: propterea P. Guardianus, et Religiosi praefati Conventus S. R. C. humillime supplicarunt, quatenus: ob occurrentiam dictae Festivitatis, benigne declarare dignaretur, quid in posterum faciendum sit?

Et S. eadem C. respondit, *ut fiat Festum Dedicationis cum commemoratione S. Silvestri. Die 23. Januarii* 1745.

4018. IPPOREGIEN.

Joannes Perotti Cantor Canonicus Ecclesiae Cathedralis Civitatis Ipporegien. S. R. C. enixe supplicavit, pro declaratione sequentis Dubii.

An prima dies mensis impedita duplici, aut semiduplici, cum ex praescripto rubricarum Officium defunctorum, et Missa conventualis de Requiem non sit celebranda, Officium, et Missa hujusmodi differenda sit ad aliam diem non impeditam?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Magistris caeremoniarum, censuit rescribendum: *Affirmative, juxta Rubricas*. Et ita etc. *Die* 27. *Martii* 1745.

4019. ASTEN. GENUFLEXIONIS.

In causa Asten. Genuflexionis verten. inter Rmum Episcopum Asten. ex una, et Beneficiatos Ecclesiae Cathedralis ex altera partibus, super obsequiis per dictos Beneficiatos praestandis dicto Rmo Episcopo Pontificalia exercenti, aut Pontificalibus assistenti, proposito, et resoluto in S. R. C. sub die 27. Martii 1745., referente Emo, et Rmo D. Card. Tanario infrascripto Dubio.

An Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Asten. pluvialibus, aliisque sacris paramentis induti Pontificalibus functionibus inservientes, genuflectere teneantur Altari, et Episcopo Pontificalia exercenti, aut Pontificalibus assistenti, quoties transeunt ante Altare, et Episcopum, sive ad idem accedunt, vel recedunt in casu etc?

S. eadem C., partibus in scriptis, et in voce informantibus auditis, rescripsit: *Affirmative, juxta formam praescriptam in Caeremoniali Episcoporum*.

Reproposita deinde causa ab eodem Emo Ponente, ad instantiam dictorum Beneficiatorum adversus praefatam resolutionem petentium novam audientiam.

Eadem S. C. rescribendum censuit: *Nihil de nova audientia*. Et ita decrevit *hac die* 15. *Maii* 1745.

4020. ASTEN. FUNCTIONUM.

Renuentibus Beneficiatis Ecclesiae Cathedralis Asten. Episcopo Pontificalia, et respective Dignitatibus, et Canonicis ecclesiasticas functiones exercentibus assistere, habitoque per eosdem recursu ad hanc S.R.C., Emus, et Rmus Dominus Card. Tanarius Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An Beneficiati Ecclesiae Cathedralis Asten. in functionibus Pontificalibus solemnioribus, quando scilicet Episcopus celebrat Missam Pontificalem, vel ad Vesperas Officium facit, aut intervenit solemnibus Processionibus, et signanter illis SSmi Corporis Christi, et Assumptionis B. M. V., teneantur assistere Canonico cantori, et exercere munus Choristarum?

2. An ipsi Beneficiati in aliis functionibus Pontificalibus minus somnibus, quando, nempe, Episcopus assistit Missis, et Vesperis solemnibus a Dignitate, vel Canonico celebratis, assistere teneantur eidem Canonico

cantori, et exercere praedictum munus Choristarum, et Diaconi, ac Subdiaconi?

3. An iidem Beneficiati assistere teneantur dicto Canonico cantori, et explere idem munus Choristarum, et Diaconi, ac Subdiaconi tam in dictis Processionibus, quam in Missis solemnibus, Episcopo absente, a Canonico, vel Dignitate celebratis, quam etiam in omnibus, et singulis Missis conventualibus, caeterisque aliis Missis, quae a Canonicis, etiam extra Ecclesiam Cathedralem. solemniter celebrantur, in casu etc.?

Et S. eadem R. C., utraque parte in scriptis, et in voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Affirmative in omnibus*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Hac die* 15. *Maii* 1745.

4021. LUCANA.

Magister caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lucanae humillime S.R.C. supplicavit pro declaratione sequentis Dubii, nempe.

An sit laudandus Parochus, qui in feria VI. in Parasceve, dum defert SSmum Sacramentum ad domum sui parochiani infirmi, pro ministrando ei Viaticum, per vias publicas recitat consuetos Psalmos, sed in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri*, et ingressus Ecclesiam statim reponit sacram Pyxidem, et dimittit populum absque benedictione?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Non est reprobandus Parochus, qui defert SSmum Viaticum infirmo feria VI. in Parasceve, dummodo privatè, et submissa, quinimo submississima, voce recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat,* ℣. Gloria Patri etc.; *quia in tali circumstantia actio talis nihil habet esse cum functionibus Ecclesiae hujus diei, et considerandum est, quod defert cum stola, atque pluviali albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus: ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum absque benedictione dimittat feria VI. in Parasceve, quia in publica Ecclesia non debet recondi*. Et ita etc. *Die* 15. *Maii* 1745.

4022. ORDINIS DISCALCEATORUM SSMAE TRINITATIS PROVINCIAE S. JOACHIM IN REGNO POLONIAE.

Cum P. Provincialis S. Joachim in Regno Poloniae Ordinis discalceatorum SSmae Trinitatis exposuerit, quod in Conventibus dictae Provinciae perpetuo occurrant eodem die plura SSrum Festa, de quibus omnibus cum fieri non possit eodem die: cum autem in praefato Regno Poloniae magna sit varietas in iis transferendis, quia alii illa transferunt tamquam non perpetuo impedita: ad evitandas ergo confusiones, et conscientiae scrupulos sedandos, humilliter S.R.C. supplicavit, quatenus sequentia Dubia benigne declarare dignaretur.

1. Quis debeat diem assignare tamquam propriam Festis illis, quae perpetuo impedita manent, ratione alterius Festi occurrentis?

2. An possit assignari dies quamvis sit infra Octavam privilegia-

tam, ut puta, infra Octavam Patronorum, quae plures sunt in Regno Poloniae?

3. Similiter cum in die octava B. Joannis de Dukla compatroni Regni Poloniae incidat perpetuo Festum S. Annae Genitricis B. M. V., qui dies magna cum devotione populi frequentatur: quaeritur: An debeat fieri Officium de S. Anna cum sola commemoratione Octavae B. Joannis de Dukla?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit.

Ad 1. *Quando plura Officia de praecepto eadem die in aliquibus Locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus, seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita assignata censetur in perpetuum pro die propria Festi respective translati.*

Ad 2. *Hujusmodi Festa posse stabiliri infra illas Octavas, quae hujusmodi Festa occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut est Octava Corporis Christi, quae admittit duplicia currentia, non autem translata. Stabiliri autem non possunt infra eas Octavas, quae hujusmodi Festa occurrentia excludunt, juxta regulas praescriptas in Rubrica de Octavis num* 3.

Ad 3. *De die octava S. Joannis de Dukla Compatroni Regni habendum esse Officium, S. Annae vero die prima non impedita*. Et ita etc. *Die* 15. *Maii* 1745.

4023. PORTUGALLEN. SUB MEMORIALI.

Porrecto S.R.C. suprascripto supplici Libello ex parte Fr. Josephi Mariae Episcopi Portugallensis pro declaratione Dubii, nempe.

Licuisse, et licere in casu Episcopo Portugallensi observari facere caeremoniam candelae accensae in confirmatione conferenda, utpote ab Ecclesia receptam, Fidei protestativam, et meritoriam.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Licuisse, et licere in casu etc.*. Et ita etc.. *Die* 15. *Maii* 1745.

4024. ARETINA.

Canonici Ecclesiae S. Mariae Plebis Concathedralis Aretinae S. R. C. humillime supplicarunt, quatenus pro bono pacis exposita in infrascripto supplici Libello, idiomate vulgari, tenoris sequentis, benigne declarare dignaretur.

,, Emi, e Rmi Sigg.: Li Canonici di S. Maria della Pieve Concatedra-
,, le Aretina capitolarmente adunati decretarono sotto il dì 8. Marzo 1741.,
,, che ogni volta, che fosse piaciuto a Monsig. N. N. Prelato domestico di
,, Nostro Signore di intervenire in abito Prelatizio al loro Coro, dovesse
,, avere il primo luogo, come è sempre seguito in quattro anni le sei in
,, sette volte, che vi è intervenuto, non solo in tempo dell' Arciprete de-
,, fonto, ma ancora in tempo del moderno Arciprete, che anche esso al-
,, lora Canonico, intervenne col suo voto al suddetto Decreto Capitolare,
,, e perchè ora pretende di non dover cedere il luogo al suddetto Prelato,

„ supplicano l' EE. VV. pro bono pacis a compiacersi di dichiarare ciò ;
„ che parerà loro di giustizia non solo sulla presente controversia , ma an-
„ cora per simili casi , che possono darsi in avvenire . Che ec.

Et S. eadem R.C., audito prius voto R. P. D. Reali sacrarum caeremoniarum Apostolicarum Praefecti : *Supradictum Praesulem in possessione , quam jam per multos reiteratos actus acquisivit , sedendo nempe in Choro supra Dignitatem praefatae Concathedralis* confirmavit , *et a supremo Ecclesiae Catholicae Moderatore implicite praeeminentiarum accessione obtinuit , explicite eidem deberi* declaravit; *ac per consequens idem Prelatus obtentis a SSmo Domino Nostro praerogativis in praedicta Concathedrali absque contradictione frui possit* . Et ita etc. *Die* 3. *Julii* 1745.

4025. GRAVINEN. PRAEEMINENTIARUM .

Inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Gravinen. , et litis etc. ex una , et Capitulum , et Canonicos Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis partibus ex altera , ortis controversiis super nonnullis juribus praeeminentialibus tam in Choro , quam in functionibus ecclesiasticis extra Cathedralem peragendis , iisque ad S. R. C. delatis , Emus , et Rmus D. Card. Lercarius infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit .

1. An Vicarius generalis interveniens Choro , praesente Episcopo , sit thurificandus , eique pax praebenda ante , seu post Dignitates, et Canonicos habitu Chorali indutos in casu etc. ?

2. An , et in quo loco stare debeat sedes Vicarii in casu etc. ?

3. An dicta sede sit ornanda strato , et pulvinari in casu etc. ?

4. An Vicarius in functionibus ecclesiasticis peragendis extra Cathedralem sedere debeat separatim a gyro , et circulo Canonicorum , et in quo loco in casu etc. ?

Et S. eadem C., utraque parte in scriptis , et in voce informante audita , visisque juribus hinc inde deductis , ad relationem praedicti Emi Ponentis , rescribendum censuit .

Ad 1. *Affirmative ad primam partem , Negative ad secundam , dummodo Canonici non sint paramentis sacris induti , et exceptis illis , qui assistentiam praestant Episcopo, etiam chorali habitu induti* .

Ad 2. *In loco solito a cornu Evangelii* .

Ad 3. *Negative* .

Ad 4. *In loco digniori a capite circuli Canonicorum , dummodo Canonici paramentis sacris non sint induti* . Et ita declaravit , et servari mandavit . *Die* 3 *Julii* 1745.

4026. AQUEN.

Unus ex Presbyteris Directoribus Seminarii Aquensis a Perillustri , et Rmo Episcopo Aquensi praepositus ad praebendum quotannis Clero ejusdem Dioecesis ordinem Divini Officii dicendi, juxta ritum Breviarii Romani, S.R.C. humillime supplicavit pro declaratione sequentium Dubiorum , nempe .

1. Si in aliqua Dioecesi , Patrono occurrente eadem die , qua in Calendario Romano descriptum est aliud Festum inferioris ordinis , istud ad aliam diem fixam fuerit legitima auctoritate ver. gr. ad diem 24. Nos

vembris, ex quo eadem dies posteriori decreto S. R. C. determinata est ad recitandum Officium S. Joannis a Cruce, de quo faciendum erit in Dioecesi praedicta, an de eodem Sancto, de quo prius, an de S. Joanne, priori ad aliam diem translato, et fixo? Eritne eadem responsio, sive Festum de novo praeceptum sit ritus altioris, sive sit inferioris, aut aequalis?

2. Festa Conceptionis, et Purificationis B. V. impedita per Dominicam privilegiatam transferunturne ad feriam secundam sequentem prae alio Officio duplici, vel semiduplici eo die occurrente, aut fixo, quia a propria sede in perpetuum ejectum est per aliquam Octavam? Item in Festis secundae classis, aut etiam primae non festivis, aut minus solemnibus, ut in die Ascensionis, vel in Feria 2. Paschae, seu Pentecosten, et generatim quoties posset cantari Missa de Requiem, corpore praesente, potestne cantari Missa votiva pro re gravi publicave Ecclesiae, aut Regni causa? Potestne celebrari in die duplici Missa privata votiva pro re quantumlibet gravi?

3. Octava cujuspiam Festi B. M. V. concurrens cum dup. maj. ver. gr. S. Barnabae translato, aut S. Raphaelis, habetne Vesperas integras, an in Vesperis fit a Capitulo de sequente, aut Vesperae integrae de sequenti cum commemoratione Octavae?

4. In hymno: *Iste confessor* debetne (quando non est dies obitus) mutari tertius versus in iis Ecclesiis, in quibus Hymni veteres solum sunt in usu? Sunt aliquae Breviarii editiones, in quibus hoc praescribitur, aliae, in quibus de ea mutatione nil notatur. Quibus fidendum, aut quid servandum?

5. In Ecclesiis, in quibus Patronus, aut Titularis in Calendario Romano invenitur descriptus cum aliis Sanctis, et quidem conjunctione non arbitraria, sed necessaria, quia socii fuerunt et laborum, et Martyrii ipsius; Officium estne recitandum de pluribus Martyribus, an de uno Martyre, reliquis ad aliam diem translatis? Ver. gr. ubi S. Dionysius est Patronus (multae sunt in hac Dioecesi tales Ecclesiae) habenturque Reliquiae illius tantum, die 9. Octobris Officium estne recitandum de eo solo? Hoc supposito, estne omittenda haec phrasis in Collecta: *Quique illi ad praedicandum gentibus gloriam suam, Rusticum, et Eleutherium sociare dignatus es*? Eo in casu Officium SSrum Rustici, et Eleutherii, quod erit tantummodo semiduplex, eritne transferendum post Octavam S. Dionysii (cum dies 10. Octobris sit impedita Festo novem Lectionum) an poterit figi ad diem 11? statuere dignetur S. C. quid in nostris Ecclesiis servandum erit de dup., aut semidup. occurrente in Dominica privilegiata. Debetne fieri in die immediate sequenti prae alio ejusdem ritus, et dignitatis ab ante translato? Citatur Decretum 16. Februarii 1737. (3907.) id statuens. Est ne verum, et derogatne priori 30. Septembris 1679? (2754.) Item Officium S. Joachim jam fixum ad Dominicam infra Octavam Assumptionis B. M. V. debetne ulterius transferri, quando dicta Dominica est Octava Assumptionis?

6. Cum anticipatur Officium Dominicae cujuspiam post Epiphaniam ad Sabbatum, vel Feriam V. praecedentem, Lectiones primi Nocturni suntne de Dominica anticipata; An Feriae occurrentis? Et, ne sunt tunc dicenda plura Initia? Item si anno, quo quinque tantum sunt Dominicae post Epiphaniam, hebdomada ante Septuagesimam habeat singulis diebus Officia novem Lectionum, Sabbatoque occurrat Festum primae classis, Homilia Dominicae IV. debetne ipso Sabbato legi, an Feria VI., an eo anno penitus omitti? Si Festum aliquod primae, vel secundae classis incidit in Feriam III. vel IV. Rogationum in Ecclesiis non Cathedralibus, aut Collegiatis, in quibus unica Missa cantatur, debetne in ea fieri commemoratio praedictae Feriae?

7. Pro defuncto pridie sepulto potest ne in ea Ecclesia cantari Missa de Requiem in die non festivo duplici primae, aut secundae classis, vel in duplici majori, aut saltem in duplici minori? Et hoc saltem cum ipsa die sepulturae Missa cantari non potuit, aut etiam (licet cantata fuerit) ubi adest consuetudo cantandi per duos, aut tres dies continuos Missam de Requiem, cui intersint parentes defuncti? Item ubi adest consuetudo cantandi Missam de Requiem pro confratibus alicujus Societatis, die immediate sequente festum Patroni ipsius Societatis, poteritne Missa praedicta cantari, etsi ea die recitetur Officium duplex, modo non sit Festum de praecepto feriandum, aut primae classis? In exequiis parvulorum, quae fiunt in hebdomada majori, debetne in fine Psalmorum dici *Gloria Patri*? Quid eo in casu exigit uniformitas? Circumfertur Decretum S. C. diei 20. Martii 1682., quo praecipitur, ut quoties Missa de Requiem cantatur cum Diacono, et Subdiacono, etiamsi Missa sit quotidiana, et sine apparatu, unica dicatur Oratio (exceptis prima Mensis, et Feria secunda) estne verum, an suppositum? Debetne extendi ad eas minores Ecclesias, in quibus nunquam ministrant Diaconi, et Subdiaconi parati pro Missis de Requiem, quae cum aliqua solemnitate cantantur extra dies privilegiatos? Dies tertia, septima, et trigesima debetne computari a die obitus, an sepulturae, et quidem inclusive, an exclusive? In Ecclesiis, ubi Anniversarium celebrari solet in fine mensis undecimi, cantabiturne Missa de Requiem, si tunc fiat Officium duplex?

8. In Ecclesia, ubi fit Officium duplex Confessoris, aut Virginis, potestne quis Missam de Martyre (de quo recitat Officium) celebrare, et in quibus paramentis?

9. Tandem dicendo Missam privatam de die occurrente, etiam non duplici, satisfitne cuilibet obligationi Missae privatae, sive fundatae, sive a Fidelibus petitae (oblato manuali stipendio), sive pro defunctis, sive in honorem alicujus Sancti petita fuerit? Ea est persuasio, et praxis quamplurimorum Sacerdotum, quod quidam asserunt determinatum per Decreta S. Congregationis? Optandum est rem ita esse, ut citius defunctis subveniatur, et ad Sacerdotum commoditatem, ac securitatem dignetur S. C. declarare, et statuere: Parochi tenenturne diebus Festivis de praecepto in Dominicis Missam applicare pro suis Parochianis generatim?

In Missis, quae coram SSmo Sacramento exposito celebrantur, et quae proprium Praefatium non habent, ut liceat in Dioecesi Aquensi dicere Praefatium de SSmo Sacramento (ut generatim permissum est facere commemorationem de eo) permittere dignetur S. C.

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Si eadem die occurunt duo Officia, quorum unum sit particulare, alterum vero sit descriptum in Calendario Ecclesiae Universalis, est recitandum Officium S. particularis, dummodo sit antiquior, ex concessione S. R. C. die 2. Martii 1681. in una Canon. Regul. Later.* (2794. *ad* 1.). *Si vero Festum sit de praecepto in Ecclesia Universali, erit Officium de Sancto Ecclesiae Universalis, et fiat translatio Officii Sancti particularis.*

Ad 2. *Si Festum duplex secundae classis incidat in Dominicam privilegiatam primae, vel secundae classis, tunc Officium, et Missa debent dici de Dominica praedicta majori, et Festum duplex secundae classis debet transferri in aliam diem, eamque proximam non impeditam Festo novem Lectionum; et ita Festa Conceptionis, Purificationis B. M., quando sunt impedita per Dominicam privilegiatam, semper transferuntur in primam diem non impeditam Festo novem Lectionum, etiam in diebus infra Octavas aliquas non privilegiatas, in quibus fiat de duplicibus translatis. Idem, praesente cadavere, posse celebrari unicam Missam tantum de Requiem; quo vero ad Missas privatas votivas, negative. Missam vero solemnem votivam pro re gravi, et gravissima posse celebrari, de licentia tamen Ordinarii pro illa vice tantum, dummodo in illa Ecclesia jam celebrata fuerit Missa Conventualis de Officio currenti.*

Ad 3. *Servandas esse Rubricas Breviarii Romani.*

Ad 4. *Servetur ritus Breviarii, de quo Officium recitatur, et est in usu. Ex reformatione Breviarii facta dilucidatur hoc Dubium.*

Ad 5. *Posse recitari de uno Sancto, scilicet de S. Dionysio, ut in Calendario Basilicae Patriarchalis S. Joannis in Laterano Urbis pro ipsomet S. Dionysio, in qua Basilica servatur humerus praefati S. Dionysii, fit Officium S. Dionysii tantum, et dicitur sequens Oratio:* Oremus. Deus, qui hodierna die B. Dionysium Martyrem tuum, atque Pontificem virtute constantiae in Passione roborasti, tribue nobis, quaesumus, ejusdem imitatione pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dñum etc. *Et in eo casu transfertur Officium SSrum Rustici, et Eleutherii in diem 10. Octobris ad normam praefatae Basilicae cum Oratione de communi:* Deus, qui nos concedis etc. *tamquam propriam diem in perpetuo assignatam, neque vero transferri debet extra Octavam. Et Officium S. Francisci Borgiae, quod cadit die 10. Octobris, tamquam recentius concessum, transferatur in primam diem etiam infra Octavam non impeditam. Serventur Rubricae Breviarii satis abunde declaratae. Officium S. Joachim transferatur in primam diem non impeditam, quando cadit in Dominica, in qua celebretur dies octava Assumptionis, ut hoc anno. Ita S. R. C. declaravit anno praeterito* 1744.

Ad 6. *Quando fit anticipatio Officii Dominicae, semper Lectiones leguntur de illa Dominica anticipata, et dicenda sunt plura Initia, ut in hoc clara videtur Rubrica Breviarii. In duplicibus primae classis semper fit commemoratio Dominicae occurrentis, de qua etiam legitur Homilia, ne omittatur, etiam in Sabbato impedito Officio primae classis, si occurrat anticipari Officium Dominicae. Temporibus Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum, et Feriae secundae Rogationum, de iis, inquam, Feriis semper fieri debet commemoratio, etiam occurrente Festo duplici primae classis. De Feria III., et IV. Rogationum servetur Rubrica particularis in Missali.*

Ad 7. *Servetur Decretum S. C. Defunctorum Missae non sunt cantandae, nec celebrandae in diebus solemnibus*. S. R. C. 1607. in Veronen. (206.) citatur etiam aliud Decretum a S. R. C. factum, tenoris videlicet = *Omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus cujusvis Ordinis etiam necessario exprimendi, districte praecipitur Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare valeant, vel audeant, vel praesumant. Quod si ex Benefactorum praescripto Missae hujusmodi celebrandae incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum. Curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristae, aliique, ad quos spectat, ut hujusmodi Decretum inviolate servetur, atque in Sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici, et legi possit: in eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel premissa adimplere neglexerint, Locorum Ordinarii tam Saeculares, quam Regulares, pro modo culpae animadvertant S. R. C., approbante Alexandro VII.* 5. *Augusti* 1662. (2031.). *Missae exequiales defunctorum in die depositionis defuncti possunt solemniter celebrari in diebus, in quibus cadit Festum duplex alicujus Sancti, dummodo Festum non sit etc., juxta Rubricas Breviarii Romani. S. R. C.* 19. *Septembris* 1654. *in Papien.* (1585.) *Tenore dicti Decreti, a confratribus Societatis non possunt celebrari exequiae, nisi in prima die non impedita ab Officio duplici. Non est necesse in fine Psalmorum tribus diebus hebdomadae majoris recitandi* Gloria Patri etc. *Sed tantum Psalmos sine* Gloria etc. *Decretum sub die* 20. *Martii* 1682. *S. R. C. quod in Missis defunctorum cantatis unica dicatur Oratio, etiamsi Missa sit quotidiana. Hoc Decretum sub dicta die, et anno non reperitur. Praxis vero Ecclesiarum Urbis est contraria, prout Patriarchalis Basilicae S. Petri in Vaticano, in qua pro obligatione Chori canitur Missa quotidiana defunctorum cum tribus Orationibus singulis diebus non impeditis officio duplici, pro Animabus Fratrum et Benefactorum praefatae Basilicae. Item provisum fuit a S. R. C.* 23. *Maii* 1603. (51.) *sicut autem si trigesima, vel septima, aut tertia dies ab obitu defuncti incidat in diem Dominicam potest anticipari, vel transferri in diem immediate sequentem, et ita semper debet enume-*

rari a die obitus, si vero incidat in diem Dominicam, in tali casu a die depositionis enumerandum erit, et in die tertia, septima, et trigesima semper canitur Missa ex privilegio, ut in die obitus. Anniversaria pro defunctis possunt celebrari in dup. maj., dummodo sint dies propriae, et assignatae a Testatore, non tamen in Festis de praecepto.

Ad 8. *Semper uniformari debet Officio Ecclesiae, in qua Sacerdos celebrat, et etiam in colore paramentorum, et quando est duplex, tunc celebrari debet de Sancto, cujus particularis illa Ecclesia celebrat Officium.*

Ad 9. *Satis provisum in septimo Dubio, in quo transmittitur Decretum S. R. C.. Eadem S. R. C., juxta alias Decreta censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere. Praefatio in Missis, quae celebrantur coram SSmo Sacramento, dicitur Praefatium Missae currentis, si habeat Praefatium proprium, alias de communi; numquam vero de Sacramento.* Et ita etc. *Die 4. Septembris 1745.*

4027. PERNAMBUCEN.

Dignitates, et Canonici Ecclesiae Cathedralis SSmi Salvatoris Pernambucen. Dioecesis in Brasilio Regni Lusitani exposuerunt, quod cum Capitulum praefatum quinque tantum Dignitatibus, novemque Canonicis praebendatis, ac quatuor aliis Semicanonicis constet, nullamque aliam habeat Ordinum distinctionem, aliquoties inter ipsos Dubia aliqua orta sunt circa ritum observandum in Missis Pontificalibus, aliisque functionibus ecclesiasticis in praefata Ecclesia sua celebrandis, quae adeo cum ab ipsis probe judicari nequeant; ideo, ne erronee, sed rite procedant, S. R. C. pro declaratione infrascriptorum Dubiorum humillime supplicaverunt, nempe

1. An universa Dioecesis teneatur ad celebrandum sub ritu primae classis cum octava de Festo Transfigurationis Domini, quia est Ecclesiae Cathedralis, et Civitatis Titularis?

2. An Canonici assistentes Episcopo in Missa Pontificali debeant induere albam, eo quod dictum Capitulum adhuc utatur superpelliceis rotundis, et non Rochetto, neque Cotta, super quam et Amictum, innuit Caeremoniale Episcoporum induere Dalmaticam?

3. An qualesnam ex Capitulo esse debeant Diaconi assistentes, ac Diaconus, et Subdiaconus in Missa Pontificali?

4. An, nulla habita consuetudine sedendi in Choro, Vicarius generalis, possit Episcopus cogere Canonicos ad dandam primam sedem supra Dignitates omnes Vicario Generali?

5. An Capitulum possit in bona conscientia omittere recitationem Officii parvi B. M. V. in diebus simplicibus, et ferialibus, eo quod tenues sint dictae praebendae, et nulla adsit consuetudo praedictum Officium parvum recitandi?

6. An Clerici Saeculares Choro non addicti, possint recitare de Sanctis Ordinis Carmelitani, si sint ejusdem Ordinis Tertiarii?

7. An Clerici Saeculares Professi in militari Ordine D. N. J. C. possint recitare de Sanctis, de quibus recitant ejusdem Ordinis Claustrales?

8. An de Titulari Ecclesiae Cathedralis debeat fieri commemoratio in suffragiis SSrum per totam Dioecesim, vel illorum, qui tantum fuerint de loco Titulari?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Canonici assistentes Episcopo non Albam, sed Rochettum, vel Cottam quoquo modo, vel forma ad regionis morem compacta illa sit, et consuta, induere debent una cum Amictu subtus Dalmaticam, vel aliud Chori peculiare Insigne*.

Ad 3. *Quando praebendae non sunt distinctae, duo Diaconi assistentes apud solium Episcopo erunt primae duae Dignitates immediate sequentes post Primam, si autem inter Praebendatos Canonicos perpetua, non autem accidentalis esset Ordinum distinctio in Presbyterales, et Diaconales pro munere assistentiae, assumantur primi duo Canonici ex Ordine Diaconali. Diaconus vero Evangelii, et Subdiaconus pro Epistola in Missa Pontificali inservientes, quando tale onus inter omnes per vices, vel alias, juxta Ecclesiae consuetudinem non sit, erunt alii duo digniores sive Canonici, sive Dignitates fuerint, qui sequantur in ordine post assistentes Canonicos in solio; si, ut supra dictum est, nulla intercedat Ordinum, vel Praebendarum distinctio*.

Ad 4. *Cum nullus pro Vicario generali Episcopi determinatus sit locus, sed illum diversum obtineat, juxta diversarum consuetudines Ecclesiarum, idcirco scribendum Episcopo, ut de sua respondeat Ecclesiae praxi*.

Ad 5. *Officium parvum B. M. V. in diebus simplicibus, et ferialibus, non abrogata tamen consuetudine, quae in contrarium fortasse vigeret, tuto potest omitti*.

Ad 6. *Affirmative*.

Ad 7. *Ut ad proximum; cum clausula, dummodo non sint Choro adstricti*.

Ad 8. *De Titulari Ecclesiae Cathedralis in genere, commemoratio inter suffragia solummodo habenda est per illos, qui sunt de gremio Ecclesiae, secus si esset simul Patronus principalis Civitatis*. Et ita etc. *Die 4. Septembris 1745*.

4028. RATISBONEN.

Franciscus Josephus de Weimberg Canonicus Cathedralis Ratisbonen. pro quiete suae conscientiae humillime S. R. C. supplicavit pro declaratione sequentis Dubii, nempe: An non obstante Decreto 1. Septembris 1607., aut alio quocumque, possit in Festo omnium SSrum, post secundas Vesperas, etiam Vesperas Vigiliae Defunctorum una cum Matutino, et Laudibus, recitare, et facere fructus suos, aut, an obligetur sub peccato obedire praedicto Decreto, et secunda Novembris dictum Matutinum cum Laudibus recitare, facereque fructus suos?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit: *Privata Officii defunctorum recita-*

tio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest, post Vespertinas horas Festi omnium SSrum̃. In Choro autem, juxta Rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris, nisi, ut populi commodius, et frequentius illi interesse possint, contraria jam faceret consuetudo. Et ita etc. *Die* 4. *Septembris* 1745.

4029. SANCTI SEVERI.

Delatis ad S. R. C. a Canonicis Cathedralis Ecclesiae S. Severi controversiis super usu explicandi cappam magnam usque ad talos tam in adoratione S. Crucis in feria VI. majoris habdomadae, quam in Processionibus poenitentiae, et in associatione cadaverum defunctorum Episcoporum, et Concapitularium a Promotore Fiscali illius Curiae Episcopalis excitatis, Emus, et Rmus D. Card. Tanarius infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit, nempe.

1. An liceat Capitulo Ecclesiae Cathedralis S. Severi in adoratione S. Crucis, quae peragitur in hebdomada majori, incedere cappis extensis, usque ad talos? Et quatenus affirmative.

2. An eidem Capitulo liceat itidem incedere in Processionibus poenitentiae, quae fieri contingant, et in associatione cadaverum Concapitularium, et Episcopi Ordinarii in casu etc?

Et S. eadem R. C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 4. *Septembris* 1745.

4030. PAMPILONEN.

Ex parte Sacerdotis Joachim a Teruel Decani, seu Praesidentis Capituli Parochialis Ecclesiae Villae de Larin. Pampilonen. Dioecesis, et Joannis Josephi a Teruel Beneficiati ejusdem Ecclesiae expositum fuit clavem custodiae, in qua reconditum est SSmum Sacramentum Eucharistiae Feria V. in Coena Domini retineri a Judice saeculari vulgo nuncupato. *Alcade major* ejusdem Villae, et cum id multis resolutionibus hujus S. C. adversetur, pro illorum observantia eidem S. C. humillime supplicatum fuerit.

S. eadem C., inhaerendo Decretis pluries in similibus editis, rescribendum censuit: *Dentur Decreta* 30. *Jan.* 1610., 9. *Jul.* 1673., 13. *Septemb.* 1642., *et* 26. *Jan.* 1664. (273. 840. 1265. 2110.). Et ita etiam in *Ecclesia Parochiali prefatae Villae de Larin.*, servari mandavit. *Die* 11. *Decembris* 1745.

4031. PANORMITANA.

Abbatissae, et Monialium Monasterii SSmi Salvatoris Ordinis S. Basilii Magni Civitatis Panormi S. R. C. humillime supplicantium pro elevatione Officii S. Macrinae ritus secundae classis cum Octava, ad ritum primae classis ratione alterius Officii translationis SSrum̃ Martyrum Eustorii, Proculi, et Galbodei ejusdem ritus, quod eadem die in Dioecesi Panormitana insimul occurrit.

Et S. eadem C. rescripsit : *Detur Decretum in Einsidlen.* 23. *Junii* 1736. (3894) *tenoris sequentis = In occurrentia Festorum ejusdem ritus, et alias quorumcumqu parium, primum locum habebit Officium Ecclesiae particularis, secundum Ordinis, seu Religionis, tertium Dioecesis, qaartum Nationis, quintum Ecclesiae universalis = Ideoque Officium de S. Macrina a Monialibus praedictis praeferendum esse* censuit. *Die* 29. *Januarii* 1746.

4032. VARSAVIEN.

Capitulum insignis Regiae Ecclesiae Varsaviensis S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentium Dubiorum, nempe

1. Cum in Polonia Festum S. Raymundi de Pennafort ob occurrentiam fixam Desponsationis B. M. V. transferatur perpetuo ad diem 28. Januarii, nonne satius esset assignare aliam diem S. Raymundo, et diem 28. Januarii relinquere vacuam, ut Festum Nominis Jesu ponatur illa die, et non celebretur intra Quadragesimam, quando contingit illum transferri, ex eo quod Dominica secunda post Epiphaniam, quae est assignata huic Officio, aliquando incidat in Dominicam Septuagesimae?

2. Quomodo intelligenda est Rubrica illa Missalis de benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. M. V., ubi dicit : Si hoc Festum venerit in Dominica Septuagesimae, etiam dicitur Missa de Dominica; Missa vero Festi transfertur in sequentem diem. Pariter Decretum Clementis XI. allegatum a Gavanto Sect. 7. num. 4. statuentis, quod si Festum Purificationis occurrat in Dominicis privilegiatis transferendum esse in Feriam sequentem : an, inquam tam Rubrica Missalis, quam praefatum Decretum ita intelligenda sint, ut praedictum Festum Purificationis praeferendum sit unicumque Festo novem Lectionum, etiam occurrenti in die sequenti, a quo dicta dies, nempe tertia Februarii, venit impedita, ut est in Polonia impedita Festo S. Timothei Episcopi, et Mart. quod perpetuo transfertur ex 6. Januarii, et cui assignata est dies 3. Februarii?

3. Cum Festum S. Canuti Mart., quod est ad libitum, ob occurrentiam Festi duplicis, nempe S. Henrici in Polonia, nunquam potest celebrari, pariter et Festum S. Laurentii Justiniani occurrens in Octava Decollationis S. Joannis Baptistae, Tituli dictae insignis Regiae Ecclesiae Varsavien., supplicatur humillime S. R. C., ut possit a Loci Ordinario assignari certa, et fixa eisdem Festis dies, similiter et Festo S. Remigii Conf., quod in Ecclesia S. Crucis Congregationis Missionis Varsavien. occurrit infra Octavam Dedicationis dictae Ecclesiae.

4. Recitantur in aliquibus Dioecesibus ab aliquo tempore Officia 9. Julii de Sanctis Martyribus Gorcomiensibus (quod est concessum pro Belgio) Item 3. Junii de S. Erasmo Ep. Mart. sub ritu dupl. ad libitum, licet sit nullum fundamentum horum officiorum extensionis ad Regnum nostrum; supplicatur proinde declarari, utrum licite possit horum Officiorum recitatio continuari?

5. Cum in quibusdam Ecclesiis quaedam Festa simplicia sint perpetuo impedita, ita ut de illis ne quidem commemoratio perpetuo fieri potest, sup-

plicatur: num loci Ordinarius possit assignare certam diem aliam illis Festis impeditis, et utrum consuetudo antiqua, et immemorabilis dicendi Officium de aliquo Sancto sufficiat ad licite continuandum, et recitandum dictum Officium?

6. Cum inter caetera Officia Patronorum Regni Sueciae a S.R.C. approbata, et sub die 25. Maii 1616. extensa ad Regnum Poloniae repetiatur Festum Reliquiarum in Ecclesia Hispalensi Dominica proxima post Festum S. Matthaei celebrandum, et Dioeceses Regni Poloniae varie celebrent illud: aliae autem praedictum Festum impeditum a Festo altioris, vel aequalis ritus in Dominica praefata occurrente illo anno, omittunt, juxta Decretum a S. R. C. emanatum sub die 20. Martii 1653. Aliae vero Dioeceses, non obstante praedicto Decreto, transferunt illud in primam diem non impeditam secundum alia Decreta emanata sub die 16. Septembris 1730., et sub die 5. Maii 1736. Denique in Dioecesibus Cracovien. et Posnanien. jam a tribus annis nihil fit de praefato Festo Reliquiarum, juxta alia iterum Decreta ab eadem S.R.C. sub die 3. Julii 1617., et 12. Maii 1615., et 5. Aprilis 1625.; ideo, ad uniformitatem Dioecesium supplicatur humillime declarari: an debeat praedictum Officium recitari, etsi impeditum sit a festo altioris ritus occurrente in praefata Dominica, possitne transferri ad primam diem non impeditam, non obstante citato Decreto?

7. Cum Officium gratiarum actionis pro victoria de Turcis obtenta pro Polonia concessum sit, atque approbatum a S. R. C. sub die 21. Jun. 1629. sub ritu dup., et Missa nulla sit ordinata, varie illam Sacerdotes dicunt: alii dicunt votivam de SSma Trinitate, cum secunda Oratione pro gratiarum actione, ut in Missali; alii vero Missam quidem dicunt de SSma Trinitate, sed orationem dicunt ex officio, et quidem unicam. Evangelium etiam conforme Officio, non illud, quod est in votiva de SSma Trinitate, ideoque, ad tollenda Dubia, supplicatur declarari qualiter debeat dici Missa, an priori modo, an posteriori, utpote in quo Missa est conformis Officio?

8. Cum praescriptum sit dicendum esse Officium de Dedicatione in ipso die Consecrationis a Clero illius Ecclesiae, quae consecratur, dubium est: utrum Episcopus consecrans etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem Officium de Dedicatione?

9. Cum in insigni Regia Ecclesia Varsaviensi quotidie cantetur in Cappella Crucifixi Missa votiva de SSma Trinitate cum expositione SSmi in Pyxide, ac in aliis etiam Ecclesiis contingat saepius cantare, seu legere Missas votivas, seu de die etiam ante SSmum expositum in Pyxide; utrum in his Missis debeat fieri commemoratio de SSmo? Item in dicta Cappella Crucifixi, durante expositione Sanctissimi in Pixide, an, permittente Rubrica, possint in Ecclesia, vel aliis Cappellis celebrari Missae de Requiem? Item transeundo circa SSmum expositum in Pyxide, uno, an utroque genu ante illud genuflectendum sit?

10. Cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi publice in majori Altari, et praeter Missam solemnem dicantur etiam Missae privatae ad idem Altare majus, et ad alia Altaria minora, durante expositione SSmi, an debeat fieri commemoratio de eodem Sanctissimo Sacramento?

11. Exposito SSmo Sacramento in Altari majori, dum sub *Magnificat* in Vesperis idem Altare majus incensatur, an debeant etiam incensari alia Altaria ex eo, quod incongruum esse videtur relinquere in Altari expositum SSmum, et utrum, thurificato Altari majore, ubi est SSmum, debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris in quo est reconditum SSmum in ciborio?

12. Transeuntes ante expositam Reliquiam SSmae Crucis, utrum debeant genu usque ad terram flectere, vel etiam, an sufficiat semigenuflexio, uti solet fieri coram Episcopo? Et utrum eadem genuflexio facienda est ante praedictam Reliquiam SSmae Crucis, quae, licet non sit exposita, asservatur tamen occlusa in aliquo Altari, aut etiam quando exposita est, sed non apparet ex eo, quod pars haec, quae respicit populum, habet figuram Christi Crucifixi?

13. Cum contingat saepius in Ecclesiis Regularium, vel aliis praesertim in die obitus, seu Anniversario defunctorum, Missas celebrari a confluentibus Sacerdotibus, supplicatur declarari: An Sacerdotes, qui recitant Officium de Festo duplici confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas defunctorum? Item recitantes Officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi nulla ibi sit solemnitas?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit. Ad 1. *Potest ulterius transferri Officium S. Raymundi, ut Festum SSmi Nominis Jesu ante Quadragesimam celebrari possit.*

Ad 2. *Quando Festum Purificationis occurrit in aliqua Dominica secundae classis, ejus Officium transferendum est in Feriam 2. immediate sequentem quamvis impeditam, translato ab ea quocumque alio Festo, ne continuatio Mysterii Dominicae Incarnationis diu protrahatur.*

Ad 3. *Ordinario, ut semel, et pro semper assignare possit diem non impeditam extra Dominicam, et Octavas, SSrum Festis Canuti, et Laurentii Justiniani, nec non S. Remigii Episcopi, et Confessoris, non immutata tamen lege SSrum ad libitum.*

Ad 4. *Non posse continuari.*

Ad 5. *Quoad primam partem Negative; quoad secundam vero Affirmative, dummodo immemorabile respiciat Festum in Romano Martyrologio descriptum; sin minus, Negative,*

Ad 6. *Officium Reliquiarum, quod celebratur prima Dominica post Festum S. Matthaei, si talis Daminica fuerit altioris ritus impedita, poterit in aliam diem non impeditam transferri.*

Ad 7. *Exhibeant Officium concessum, ut ex ipso designari possit Missa.*

Ad 8. *Negative quoad praeceptum, poterit tamen, si velit, ex congruentia.*

Ad 9. *Commemoratio de SSmo Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando ejus expositio fiat ex publica causa. Missae de Requiem extra*

Altare, ubi est expositum SSmum Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa: quoad genuflexiones vero, utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiamsi fuerit in Pyxide patenter expositum.

Ad 10. *Poterit fieri commemoratio de SSmo Sacramento, durante expositione.*

Ad 11. *Non esse thuere adolenda alia Altaria, licet alibi SSmum Sacramentum asseruetur.*

Ad 12. *Si loco principe Reliquia SSmae Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent, diversimode vero, sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita erit in custodia.*

Ad 13. *Negative quoad primam partem, Affirmative quod secundam, etiam quoad Missam, quae non poterit celebrari de Sancto Confessore, si color fuerit rubeus.* Et ita etc. *Die 7. Maii* 1746.

4033. ARIMINEN.

Cum orta fuerit controversia inter Capitulum Collegiatae Ecclesiae SSmi Rosarii Terrae S. Archangeli Dioecesis Ariminen. ex una, et Cappellanos Confraternitatum SSmi Suffragii, et SSmae Crucis ejusdem Terrae partibus ex altera, super delatione stolae ab iisdem Cappellanis praetensa in generalibus Processionibus, aliisque omnibus functionibus, quae ab eadem Collegiata Ecclesia, toto incedente Capitulo, fieri consueverant, illaque ad S.R.C. delata, Emus, et Rmus D. Cardinalis Tanarius infrascriptum Dubium, inter partes concordatum, decidendum proposuit, nempe.

An, et in quibus functionibus, et Processionibus Cappellani Confratertatum SSmi Rosarii, et SSmae Crucis possint deferre stolam in casu etc?

Et S. eadem C., audita prius informatione Episcopi, ac visis juribus hinc inde deductis, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Non licere, nisi in propria Ecclesia*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 3. *Septemb.* 1746.

4034. MASSAE, ET POPULONIAE.

Magister caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Massae, et Populoniae exposuit S. R. C., quod in praefata Civitate, et Dioecesi, juxta decretum S. M. Benedicti Papae XIII. die 24. Septembris 1726. ab omnibus, qui tenentur ad horas Canonicas, recitatur die 16. Julii Officium, et Missa respective celebratur B. M. V. de Monte Carmelo. In Ecclesia ejusdem Tituli, non tamen Regularium, non Curata, Clero carente, visitationi Episcopi subiecta, licet in temporalibus ad instar laicarum Confraternitatum administrata solemnizatur hujusmodi Festum Dominica infra Octavam, et plures Sacerdotes invitantur ad ibi celebrandum Missam: quare Orator praedictus S. R. C. humillime supplicavit pro declaratione sequentium Dubiorum, nempe.

1. An Dominica infra Octavam B. M. V. de Monte Carmelo, Sacerdotes, qui accedunt ad dictam Ecclesiam debeant in ea, prout praetendit Cappellanus mercenarius ejusdem Ecclesiae, celebrare Missam B. M. V. de

Monte Carmelo cum commemoratione, et Evangelio Dominicae in fine, et idem Cappellanus possit celebrare ejusmodi Missam solemnem, prout singulis annis celebrat, absque ulla commemoratione?

2. An in exequiis defunctorum Sacerdotum, praesente corpore, Subdiaconus se sistere debeat ad caput defuncti Sacerdotis, vel ad pedes?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit rescribendum. Ad 1. *In Dominica infra Octavam Missae privatae nequeunt dici de Festo, sed dicuntur de Dominica cum commemoratione Octavae, juxta Rubricas; constito tamen de concursu populi, permittitur unica tantum Missa solemnis de Octava cum* Gloria *et* Credo, *absque ulla commemoratione*.

Ad 2. *Servetur Rituale Romanum, et in Exequiis defuncti Sacerdotis, praesente corpore, locetur Crux ad caput defuncti inter feretrum, et Altare*. Et ita etc. *Die* 3. *Septembris* 1746.

4035. MEXICANA IN INDIIS OCCIDENTALIBUS.

Exposito a Patribus Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Mexicanae in Indiis occidentalibus, eorum Congregationem fuisse auctoritate ordinaria erectam, et postea a S. M. Innocentio XII. confirmatam cum omnibus, et singulis privilegiis ad instar Congregationis S. Mariae in Vallicella, et S. Gregorii de Urbe, ut ex Brevi exhibito sub dat. 24. Decembris 1697. Cum autem in Ecclesia dictorum Patrum plures tumulari jusserint, et jubeant, Parochi in associandis ad eorum Ecclesiam cadaveribus, parentalia, et omne aliud, quod in exeqniis fieri solet, in ea peragere voluerint, ita ut Patres praedicti pluries a recipiendis defunctis se abstinuerint, et abstineant, et quando ab hoc se expedire non potuerunt, intrante Parocho eorum Ecclesiam, semper protestati fuerunt jurisdictionem ad se, non ad illum spectare; idcirco ad evitanda scandala, quae ex hoc oriri possunt, demisse S. R. C. supplicarunt, quatenus benigne declarare dignaretur: quibus competat: Parochis ne, an Patribus in eorum Ecclesia exequias persolvere?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: *Quando Ecclesia tumulans est a Parochiali diversa, ducto funere ad Ecclesiam, non Parochus, sed alius Sacerdos ejusdem Ecclesiae, ad quam cadaver delatum est, indutus Cotta, et Stola, vel etiam Pluviali nigri coloris prosequatur Officium a Rituali Romano praescriptum; et sic S. R. C. servandum esse censuit in Ecclesia praedictorum Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii in Civitate Mexicana, sine tamen praejudicio jurium Parochis competentium, ut possint, si velint, illa experiri in hac S. C.*. Et ita etc. *Die* 3. *Septembris* 1746.

4036. CINGULANA.

Renuentibus Dignitatibus, et Canonicis Cathedralis Ecclesiae Cingulanae incedere annuatim in corpore ad praestandum obsequium Vicario generali Episcopi, felicitates inaugurando recurrentibus natalitiis Festivitatibus, idque aegre ferente Promotore Fiscali, ad ejus instantiam propositum fuit

in S. R. C. ab Emo, et Rmo Dno Cardinali Tamburino in locum cl. mem. Card. Calcagnini nuper suffecto, infrascriptum Dubium, nempe.

An Dignitates, et Canonici constituentes Capitulum Cingulanum teneantur incedere in corpore annuatim ad praestandum obsequium Vic. Episcopi, recurrentibus Festivitatibus natalitiis in casu etc?

S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, ac partibus in scriptis, et in voce informantibus auditis, ad relationem praedicti Emi Ponentis rescribendum censuit, *Negative*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 17. *Decembris* 1746.

4037. VIGILIEN.

In Causa Vigilien. super praetensa Insignitate, et Thurificatione exortis inter Capitulum Cathedralis ex una, et Abbates Curatos, et Canonicos Ecclesiarum S. Adoeni, Matthaei, et Nicolai ejusdem Civitatis, partibus ex altera, controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Cavalchinus infrascripta Dubia inter partes concordata declaranda proposuit?

1. An Collegiatae Ecclesiae SSrum Adoeni, Matthaei, et Nicolai Vigilien. sint, seu denominari possint Insignes in casu etc?

2. An dicti Ecclesiarum Abbates in Thurificatione, Pace, et praeintonandis Antiphonis praeferendi sint Canonicis Cathedralis Ecclesiae paratis, sive assistentibus Episcopo solemniter celebranti in casu etc?

3. An earumdem Ecclesiarum Abbates, et Canonici in solemnibus Ecclesiae functionibus thurificationem a Diacono, Pacem a Subdiacono sumere debeant, seu potius sit servanda transactio in casu etc?

4. An ipsi Canonici Collegiatarum Ecclesiarum thurificandi sint duplici ductu immediate post Canonicos Cathedralis Ecclesiae in casu etc?

S. eadem C., visis juribus hinc inde deductis, et utraque parte scriptis, et voce informante audita, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Servetur transactio*.

Ad 4. *Negative, et amplius in omnibus*.

Item in eadem causa super ingressu Processionis, proposito per eumdem Emum, et Rmum D. Card. Ponentem infrascripto Dubio inter partes concordato, nempe.

An, non interessente Rmo Episcopo, liceat R. D. Archipresbytero, Dignitatibus, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Vigilien., occasione solemnis, et generalis Processionis SSmi. Corporis Christi, ingredi Ecclesias Collegiatas SSrum Adoeni, Matthaei, et Nicolai ejusdem Civitatis, ac in eis benedicere populum in cusu etc?

S. eadem C., partibus scriptis, et voce informantibus auditis, rescribendum censuit: *Affirmative, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 17. *Decembris* 1746.

4038. LICIEN. FUNERUM.

Habito a Joanne Barba Oppidi Caballini Dioecesis Licien. ad S. R. C.

recursu adversus Archipresbyterum, et Sacerdotes Parochialis Ecclesiae ejusdem Oppidi, qui, vigore assertae immemorabilis consuetudinis, quando cadavera Sacerdotum processionaliter ad Ecclesiam Parochialem tumulantem deferunt, transeundo per tres Ecclesias, seu Cappellas intra illius ambitum sitas, sistunt ante earum januas, ibique nonnullas preces, nempe *Libera me Dñe etc.* cum consueta Oratione in suffragium animae defuncti Presbyteri persolvunt, et ad tollendum hujusmodi abusum, infrascriptum Dubium, coram Emo, et Rmo D. Card. Cavalchino Ponente inter partes concordatum declarandum propositum fuit?

An cadavera Sacerdotum defunctorum Oppidi Caballini recto tramite ducenda sint ad Ecclesiam tumulantem, seu potius liceat prius trausferre per omnes cappellas dicti Oppidi, et in eis decantare preces iu casu etc?

S. eadem C., audita prius informatione Episcopi, ac visis juribus hinc inde deductis, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Servetur solitum, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 17. *Decemb.* 1746.

4039. ASTURIEN.

Promota a D. Gregorio Alvarez della Torre actuali Rectore, perpetuo Senatore civitatis Asturicensis in S. R. C. habita sub die 29 Januarii anni proxime elapsi duplici instantia: Prima scilicet elevandi Insignia, seu Arma propriae domus, ac retinendi scamnum pro se, ejus uxore, et familia in parte Evangelii, ac in loco praeeminentiali, seu post ultimum gradum Cappellae majoris, et extra Presbyterium Parochialis Ecclesiae S. Joannis in Villa de Sanctivane de Valdevidrales, ex quo est Patronus pro tertia parte ejusdem Ecclesiae, ac etiam Baro pro alia tertia parte ejusdem Feudi cum jurisdictione in Vassallos. Secunda demum habendi gratiosum beneplacitum, ut ejus Primogenitus, ejusque Successores in Majoratu incedere valeant ense denudato in Processionibus SSmi Sacramenti in dicto Feudo, velut in signum devotionis, et Religionis in defendendo usque etiam ad sanguinem tam ineffabile Sacramentum. Cumque placuerit huic S. C, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Tanara, rescribere = Dilata, et proponatur citatis aliis compatronis, seu reportato eorum consensu = Subinde expeditae fuerunt, vigore hujusmodi Rescripti ab hac S. C. Literae Rmo Episcopo Asturicensi cum prefixione termini aliis Compatronis ad deducendum sua jura iu eadem S. C.. in qua, acceptis literis responsivis ejusdem Episcopi, ut, elapso termino trium mensium ipsis assignato, absque eo, quod ullus usque adhuc comparuerit, iterum ab eodem Rmo D. Card. Tanara Ponente repropositae fuerunt supradictae Instantiae Oratoris.

Et S. eadem C., scriptis, et voce Procuratore dicti Dñi Gregorii Alvarez audito, visisque juribus ex parte ejusdem deductis, rescribendum censuit: *Pro gratia elevationis Insignium, et retentionis Scamni extra tamen Presbyterium, salvis juribus aliorum compatronorum, et in reliquis Lectum. Hac die* 4. *Maii* 1746.

4040. ORIOLEN. PRAEEMINENTIARUM.

Episcopus Oriolen. fretus auctoritate constitutionum Apostolicarum,

et signanter S. M. Innocentii XIII. in ejus Bulla pro Regnis Hispaniarum evulgata, quae incipit: *Apostolici Ministerii*: nec non et hodierni Pontificis feliciter regnantis, tam pro observantia Caeremonialis Episcoporum in Dioecesi Oriolen., quam pro agendis exercitiis spiritualibus in quadam domo Seminarium nuncupata in Urbe Oriolen. constructa, atque erecta, compuli Capitulum Insignis Ecclesiae Collegiatae Civitatis Alonae, vulgo dictae Alicantes, aliosque d. Ecclesiae, et Civitatis Clericos, atque Presbyteros ad nonnulla, quae, praemissis non obstantibus, vigore vel inveteratae consuetudinis, vel alterius juris, putabat dictum Capitulum ipsis licite, et valide pertinere, atque observari posse tam in eadem Ecclesia, quam in Civitate praefata. Quapropter idem Capitulum adversus hujusmodi Episcopi mandata porrigendo humillimas preces SSm̃o Domino Nostro Benedicto XIV., eidem Sanctitati Suae praedictas preces remittere placuit S. R. C. Ab hac itaque postulata primum, indeque audita relatione ejusdem Rm̃i Episcopi, ad hanc ipsam S. C. transmissa super juribus utriusque partis in controversiis expositis, electoque deinde in Ponentem Cl. Mem. Card. Calcagnino, ab eo pluries proposita fuit, sed numquam resoluta. Tandem, vita functo dicto Em̃o Ponente, et in ejus locum subrogato Em̃o, et Rm̃o D. Card. Sacripante, ab eodem sequentia Dubia discutienda in S. R. C. proposita fuerunt.

1. An Dignitates, et Canonici Ecclesiae Collegiatae Alonae solemniter celebrantes, uti possint Presbytero assistente in casu etc.?

2. An iidem Canonici, et Dignitates dictae Collegiatae in diebus minus colendis compelli possint canere Missas per se ipsos, an vero ad id supplere possint per Hebdomadarios, seu Beneficiatos in casu etc.?

3. An, et quomodo sint compellendi tam dicti Canonici, et Dignitates, quam alii ecclesiastici ejusdem Ecclesiae Collegiatae, et Civitatis, ad agenda exercitia spiritualia, seu potius sint tantum ad id hortandi in casu etc.? Et quatenus affirmative.

4. An debeant pro dictis exercitiis pergere ad Civitatem Episcopalem, eaque agere in domo, seu Seminario ejusdem, an vero ea peragenda sint in domibus religiosis in eadem Civitate Alonae existentibus, in casu etc.?

5. An dictae Dgnitates, Canonici, et alii de Clero dictae Ecclesiae, et Civitatis Alonae, euntes ad dictam Civitatem Episcopalem pro eorum negotiis, compellantur morari in dicta domo, seu Seminario, seu potius sit in libertate eorumdem alibi moram trahere in casu etc.?

Et S. eadem C., re mature discussa, ac utraque parte scriptis, et voce informante audita, rescribendum censuit

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative quoad primam partem*; *Affirmative quoad secundam*.

Ad 3. 4. et 5. *Hortandos esse, sed non cogendos, praeterquamquod suscipere debentes sacros Ordines*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 4. Martii 1747.*

4041. VENETA.

Cum Plebanus, et Clerus Ecclesiae Matricis, et Collegiatae S. Mariae Tubenicorum Civitatis Venetiarum exposuerint, quod Officium SS̄mi Redemptoris a S. R. C. concessum sub ritu dup. secundae class. cum Octava universae illius Reipublicae Dominio pro Dominica tertia Julii cujuslibet anni, a Clero dictae Ecclesiae eadem die ob occurrentiam Festi illius Dedicationis minime recitari possit; propterea nomine dicti Plebani, et Cleri S. R. C. demisse supplicatum fuit, ut Officium SS̄mi Redemptoris in posterum in Feriam secundam post dictam Dominicam tertiam tamquam diem propriam reponi valeat.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostol. caeremonairum Magistris, rescribendum censuit = *In casu, de quo agitur reponatur Officium SS̄mi Redemptoris in feria secunda post Dominicam tertiam Julii illud celebrando sub ritu dup. secundae class. sine commemoratione Octavae Dedicationis, de qua reliquis diebus fiat Officium cum commemoratione SS̄mi Redemptoris, cujus Officium desinat cum simplici commemoratione in die Octava Dedicationis Ecclesiae*. Et ita etc. *Die 22. Aprilis* 1747.

4042. ZAGOBRIEN.

Director Officii Divini in Croatia Dioecesis Zagobrien. S.R.C. humillime supplicavit pro resolutione sequentis Dubii, nempe.

An Officium Corporis Christi, quod ex speciali privilegio per annum sub ritu semiduplici conceditur recitari omni Feria quinta Festo duplici, aut semiduplici non impedita, demptis quoque Feriis Adventus, Quadragesimae etc. si occurrat in Vesperis cum alio Officio pariter semiduplici, Vesperae debeant dici a Capitulo sequentis cum commemoratione praecedentis, vel vero eaedem debeant dici integrae de Corpore Christi, utpote Officio digniore? Quare etc.

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit respondendum: *Officium SS̄mi Sacramenti, quod recitatur ex privilegio in feria V. non impedita cum currenti semiduplici, dividit Vesperas a Capitulo*. Et ita etc. *Die 1. Julii* 1747.

4043. AQUINATEN., SEU PONTIS CURVI.

Ad tollendam omnem dubitationem exortam inter Capitulum Cathedralis S. Bartholomaei Pontis curvi, et Collegiatas Ecclesias S. Mariae de Porta, et S. Nicolai ejusdem Civitatis, cui ex ipsis Capitulis spectet peragere functiones, recitandi preces, et Orationes occasione Processionis Rogationum, ex parte praedictorum Capitulorum Cathedralis, et Ecclesiarum Collegiatarum ejusdem Civitatis pro declaratione S.R.C. humillime supplicatum fuit, prout in supplici libello idiomate italico eidem porrecto, tenoris sequentis.

,, Emi, e Rmi Sigg. = Li Capitali, e Canonici della Cattedrale di
,, S. Bartolomeo di Pontecorvo, delle due Collegiate di S. Nicola,
,, e di S. Maria di Porta di detta Città, Oratori Umi dell' EE. VV.
,, ossequiosamente rappresentano, come per antica consuetudine suole

,, ogn' anno tutto il Clero della Città suddetta portarsi processionalmente in ,, occasione delle Rogazioni dalla menzionata Cattedrale nel primo giorno ,, di esse alla Collegiata di S. Maria di Porta, nel secondo alla Chiesa delle ,, Monache, nel terzo finalmente alla Chiesa Collegiata di S. Nicola di Porta. In essa Processione il solo Arciprete prima Dignità della Cattedrale, ,, incedendo in ultimo luogo, và con abito sacro di stola, e piviale, e tutti ,, gli accennati Canonici, e Clero portano cotta, e loro respettive corali insegne. Giunti in una delle riferite Chiese, ivi tutti genuflessi, si terminano le Litanie maggiori, le di cui preci, ed orazioni fino a questo tempo ,, si recitavano dal Curato primo Canonico di quella Collegiata, dove terminava la Processione nei due giorni descritti, e così si è pratticato sì quando la Chiesa di S. Bartolomeo era Collegiata, come anche dopo che dalla ,, fel. mem. di Papa Benedetto XIII. nell' anno 1725. s' eresse in Cattedrale. Ora il Capitolo, e Canonici di questa, osservato avendo un Decreto ,, della Sacra Congregazione in data dei 19. Agosto 1619. (427.) del seguente tenore cioè = Canonici Cathedralis Ecclesiae praecedant Canonicos Collegiatae etiam intra eamdem Collegiatam, non obstante consuetudine = e ,, perchè gli pare altresì conforme alla ragione, hanno creduto, e credono, ,, che la menzionata funzione di recitare le preci, ed orazioni spetti al loro ,, Capitolo, che fa la prima figura, e per esso a chi di loro và in ultimo ,, luogo della Processione con abito sacro di stola, e piviale, ripugnando a ,, ciò li Canonici delle riferite due Collegiate, e volendo dall' altra parte ,, evitare, se sia possibile, ogni spesa, e litigio, tutti trè li Capitoli concordemente supplicano l' EE. VV. a dare il loro oracolo sopra il giusto ,, senso del riferito Decreto, e dubbio insorto, affinchè tal risposta serva di ,, regola anco quando la Processione termina nella Chiesa delle Monache, ,, e quando nel giorno di S. Marco si và a questa Chiesa Parocchiale, nelle ,, quali due funzioni si recitavano le preci dal Confessore del Monastero, e ,, dal Parroco di San Marco respettivamente. Che etc.

Et S. eadem C., audita prius informatione Ordinarii, ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Millini, rescribendum censuit: *Spectare ad Archipresbyterum Cathedralis*. Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die 16. Septembris* 1747.

4044. AVENIONEN.

In causa Avenionen. functionum, et praeeminentiarum verten. inter Rmum Archiepiscopum Avenionen. ejusdem Civitatis, et litis etc. ex una, et Capitulum Ecclesiae Metropolitanae partibus ex altera, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Tanara Poneus infrascripta Dubia coram se concordata decidenda proposuit, nempe.

1. An Archiepiscopo sive solemniter, ac pontificaliter celebranti in die Octavae Corporis Christi in Ecclesia Collegiata S. Agricolae, sive alia qualibet Pontificalia exercenti tum in eadem Ecclesia, tum quoque in aliis quibuscumque Civitatis Avenionen. debeatur assistentia a Dignitatibus, et

Canonicis Ecclesiae Cathedralis, seu potius a Dignitatibus, et Canonicis earumdem Ecclesiarum?

2. An eidem Archiepiscopo liceat sacras generales Ordinationes extra Cathedralem Ecclesiam peragere? et quatenus affirmative.

3. An Dignitates, et Canonici ejusdem Cathedralis, et Metropolitanae Ecclesiae teneantur, etiam inviti, dicto Archiepiscopo alibi Ordinationes celebranti, assistere, et deservire?

Et S. eadem C., visis juribus ex parte praefati Capituli Ecclesiae Metropolitanae deductis, scriptis, ac voce illius Procuratore tantum audito, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem*, *Negative ad secundam*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Provisum in antecedenti*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 16. *Septembris* 1747.

4045. VIGILIEN.

Renuentibus Abbatibus, et Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum SS. Audoeni, Matthaei, et Nicolai Civitatis Vigiliensis Feria V. majoris hebdomadae Episcopo Sacra Olea solemniter benedicenti assistere, vel duodecim Presbyteros, qui tali officio fungantur, in suum locum subrogare; atque Promotore Fiscali Curiae Episcopalis reclamante alterutrum, juxta formam Decreti ab Episcopo Vigiliensi anno 1740. editi, a praedictis Abbatibus, et Canonicis esse praestandum, causa ad S. R. C. delata fuit, cui Emus, et Rmus D. Cardinalis Cavalchinus Ponens, ut liti finis imponatur, infrascripta Dubia decidenda proposuit, nempe.

1. An Abbates, et Canonici Collegiatarum SS. Audoeni, Matthaei, et Nicolai Civitatis Vigilien., non mittentes duodecim Presbyteros paratos ad formam Decreti Rmi Episcopi anno 1740. pro assistentia, et servitio praestando benedictioni Sacrorum Oleorum in Feria V. majoris hebdomadae, teneantur interesse, et inservire per se ipsos, et sub qua poena in casu renitentiae? et quatenus affirmative.

2. An dicti Abbates, et Canonici, non invenientes Presbyteros, qui velint interesse, et inservire dictae Sacrorum Oleorum benedictioni, teneantur interesse, et inservire per se ipsos in casu etc.?

Et S. eadem C., visis juribus ex parte Promotoris Fiscalis deductis, ac ejus Procuratore tantum scripto, et voce audito, cum alia pars non comparuerit, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Affirmative ad utrumque*, *sub poena arbitrio Episcopi*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 16. *Septembris* 1747.

4046. BITUNTINA.

Inter sex Dignitates Capituli Cathedralis Ecclesiae Bituntinae, quarum cuique statuta est certa dies pro functionibus ecclesiasticis peragendis, Sacerdoti Francisco Scivittaro caeremoniarum Magistro quintae Dignitati incumbit onus quotannis, absente Episcopo, celebrandi Vesperas in die Octava SSmi Corporis Christi. Cum autem, Vesperis expletis, ad Processionem peragendam gestet SSmum Eucharistiae Sacramentum usque ad Januam Ec-

clesiae, illudque Archidiacono primae Dignitati pluviali induto consignet ad dictam Processionem per ambitus Pareciae explendam, visa est ea methodus a dispositione Caeremonialis Episcoporum aberrare; propterea in S.R.C. ad instantiam ejusdem Magistri caeremoniarum, caeteris Dignitatibus minime comparentibus, infrascriptum Dubium coram Emo, et Rmo D. Card. Lercario Ponente concordatum declarandum propositum fuit.

An Processio, quae fit in Ecclesia Cathedrali Bituntina in die octava Corporis Christi post Vesperas incipi, et terminari debeat ab ipso Celebrante, seu potius idem Celebrans, post delationem SSmi Sacramenti usque ad Januam dictae Ecclesiae, teneatur illud tradere Archidiacono, seu alteri Dignitati, quae inibi sacris vestibus induta reperitur, ad effectum processionaliter illud per Civitatem ducendi in casu etc.?

Et S. eadem C., audita prius informatione Episcopi, ac Procuratore tantum praefati Magistri caeremoniarum voce, et scriptis informante, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem*, *Negative ad secundam*. Et ita decrevit, ac declaravit. *Hac die* 4. *Maii* 1748.

4047. CREMONEN.

In Causa Cremonen. Jurium Parochialium, inter Marchionem Antonium Mariam Pallavicini de Clavellis Patronum Ecclesiae del Dosi, et Praepositum Ecclesiae Parochialis Terrae Cigonioli; me Ponente (Emo, et Rmo Domino Cardinale de Gentilibus) proposita in S.R.C.. Eadem S. C. ad quatuor sequentia Dubia, nempe.

1. An in Festo Titulari, seu in aliis Festivitatibus in Ecclesia, de qua agitur, ad libitum asserti Patroni, seu Cappellani per quemcumque Sacerdotem Missae decantari valeant, etiam invito Parocho?

2. An Parochus ad interessendum in hujusmodi Missis per eumdem assertum Patronum, seu Cappellanum debeat invitari?

3. An in eodem Festo Titulari, aliisque diebus etiam non festis extra tempus Paschale possint quilibet Confessarii per assertum Ecclesiae Patronum, vel per Cappellanum selecti ex illis approbatis ab Ordinario, Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae ibi administrare tam eidem Patrono, ejusque Familiaribus, quam aliis; sive potius id fieri debeat ex permissu, et licentia Parochi ad libitum deneganda?

4. An invito asserto Patrono, seu Cappellano Ecclesiae, liceat Parocho Missam ibi celebrare, aliasque Functiones Parochiales, sive simpliciter Sacerdotales peragere? Respondit die 20. Julii 1748.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Affirmative quoad administrationem Sacramenti Eucharistiae in Ecclesia, et quoad Sacramentum Poenitentiae servetur forma approbationis Episcopi*.

Ad 4. *Negative nisi in casibus necessitatis*.

Petitaque per Praepositum, et obtenta nova audientia, SSmus D. N. ad preces Episcopi Cremonensis supplicantis, ne ex hujus Causae resolutio-

ne praejudicium inferatur usibus, et consuetudinibus suae Dioecesis, ac constitutionibus synodalibus, attentis Causae meritis, et rationibus hinc inde deductis, in audientia diei 17. Aprilis 1749. decrevit, ac definivit resolutiones S. Congr. confirmandas, et respective reformandas, et moderandas esse modo, qui sequitur.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Affirmative quoad administrationem Sacramenti Eucharistiae in Ecclesia, et in celebratione Missarum tantum, et quod Sacramentum Poenitentiae, servata forma approbationis Ordinarii*.

Ad 4. *Affirmative in functionibus Parochialibus tantum, sed, praevia participatione facienda Cappellano, ut decentius cum ea, qua convenit concordia, omnia peragantur*.

Declaravitque Sanctitas Sua *praesentes Resolutiones, et Decreta tamquam innixa peculiaribus rationibus, et circumstantiis, nullum praejudicium inferre debere juribus Parochorum Dioecesis quoad alia Oratoria, et Ecclesias intra fines Parochiarum existentia, et signanter usibus, consuetudinibus, et constitutionibus synodalibus, quas voluit in suo robore permanere*.

Et, ita silentium imponens huic controversiae, Decreta supra scripta servari voluit, ac registrari in Actis S. C. R. Die 17. *Aprilis* 1749.

4048. URBIS, ET ORBIS.

Nomine Compositorum Calendarii humillime S. R. C. supplicatum fuit pro explicatione Dubii.

An quando Festum Purificationis B. M. V. occurrit in Dominica privilegiata, ejus Officium transferri debeat in Feriam secundam immediate sequentem, vel in primam diem non impeditam festo duplici, vel semiduplici?

Et S. eadem C., referente Emo, et Rmo D. Cardinale Millino, declaravit: *Quando hujusmodi casus intervenerit, Officium Purificationis esse transferendum in Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Et idem servandum mandavit, quando Festum Annunciationis B. M. V. occurrat in Dominica privilegiata; quod si in hebdomada majori, vel Paschali, tunc Annunciationis Officium pari cum privilegio in Feriam secundam post Dominicam in Albis transferri voluit. Atque hoc Decretum generalibus Calendarii Romani Rubricis adjici praecepit. Hac die* 20. *Julii* 1748.

4049. ORDINIS EXCALCEATORUM S. AUGUSTINI PROVINCIAE AUSTRIAE.

Cum Fratri Theodorico a S. Vito Ordinis Excalceatorum S. Augustini Provinciae Austriae Directori Calendarii ejusdem Provinciae, et Terrarum eidem subjectarum, occurrerint nonnulla Dubia circa ejus compositionem, pro eorum declaratione S. R. C. humillime supplicavit. Dubia sunt sequentia.

1. An Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, ad quam Regulares intra cam-

dem Civitatem constituti sub ritu duplici secundae classis celebrandam tenentur, ultra illius Octavam transferri possit ab iisdem Regularibus, si prima dies altiori festo, simulque tota reliqua Octava aliis novem Lectionum Festis impedita sit?

2. An Festum Patrocinii S. Josephi occurrens in Festo S. Crucis, aut S. Matris Monicae a nobis possit transferri in aliam diem Festo novem Lectionum non impeditam? Idque non obstante, S.R.C. Decreto 20. Martii 1683. (2870.).

3. An Festum Titulare Archiconfraternitatis Septem Dolorum, quod pro Regnis, et Provinciis Haereditariis Augustissimae Domus Austriacae ab utroque Clero sub ritu duplici celebrari debere indultum est tertia Dominica Septembris, cum in nostra Sancta Religione idipsum saepe impediatur ab Octava B. M. V., et S. Nicolai, ac Festo S. Thomae de Villanova, eadem Dominica celebrari, possit similiter transferri, praecipue, quod hoc Festum potius videatur repetitio alterius, quod Feria VI. post Dominicam Passionis in Quadragesima celebratur, prout patet ex Oratione, et Lectionibus secundi Nocturni, quae sunt eaedem.

4. An Festum SSmi Nominis B. M. V., quod pro Regnis, et Provinciis Austriacis est duplex secundae classis, in occurrentia cedere debeat Festo S. Nicolai Tolentinatis, quod est duplex secundae classis cum Octava, praesertim cum illud Viennae cum solemnissima utriusque Cleri Processione, maxima exteriori pompa, Indulgentiis etiam plenariis, ac ingenti populi concursu, ob liberationem Viennensis Civitatis ab obsidione Turcarum celebretur?

5. An, ubi habentur insignes Reliquiae SSrum Virginum, et Martyrum a Societate S. Ursulae, debeat de illis fieri Officium duplex 21. Octobris cum commemoratione Si Hilarionis et SSrum Ursulae, et Sociarum, vel possit aliis distinctis extra illum diebus, de singulis illarum in particulari, prout hactenus alicubi die 17. et 18. Decembris observatum fuit, recitari Officium duplex? Quod si primum fieri oporteat, quaeritur adhuc, an idem faciendum ubi Festum SSrum Ursulae, et Sociarum est duplex, aut hoc potius in aliam diem non impeditam transferendum sit?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi, et Rmi Domini Card. Tamburini S. R. C. Praefecti, censuit rescribendum.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *Festum Patrocinii S. Joseph, occurrens in Festo altioris ritus, transferri potest, non obstante citato Decreto. Nam eadem S. C. die 26. Novembris 1735. (3889.) hanc declarationem edidit: Cum in tota Hispania sit concessum, ut tertia Dominica post Pascha celebretur Festum Patrocinii S. Joseph sub ritu duplici, quaesitum fuit, si cadat in illa Festum majoris ritus, an Festum Patrocinii S. Joseph sit transferendum ad aliam diem? Et responsum fuit: Transferri posse: Haec declaratio facta pro Regnis Hispaniae, valet etiam pro aliis Regnis, quibus idem Officium concessum est*.

Ad 3. *Affirmative. Quia pro Statibus Austriacis tale Officium est de praecepto : dicitur enim in Decreto concessionis die* 28. *Augusti* 1734.: *Recitari debere : Officia autem de praecepto, licet sint fixa certis diebus, si in his impediantur, transferri possint, juxta Decreta S.R.C.5.Maii* 1736. *in Einsidlen.* (3894.).

Ad 4. *Negative. Octava enim non elevat ritum. In paritate autem ritus attendi debet tum major Dignitàs B. M. V. juxta Rubricam de concurrentia Officii tit. XI. num.* 2., *tum major solemnitas celebrationis, et populi concursus, juxta Decretum die* 2. *Martii* 1683. (2870. *ad* 4.) *in qua sic : Si Officia, quae recitari debent in aliquibus Regnis, sint ejusdem ritus, et dignitatis, an sit praeferendum Officium loci Officio in proprio Religionis Calendario descripto? Resolutum fuit : Praeferendum esse Officium, quod cum majori solemnitate, et populi concursu celebratur.*

Ad 5. *Fieri debet Officium duplex de SS. Ursula et Sociis cum sola commemoratione S. Hilarionis, sicuti fit Romae in Patriarchali Ecclesia S. Mariae Majoris, ubi asservatur caput unius ex Sociis S. Ursulae. Et ita pariter fieri debet absque ulla translatione in illis Ecclesiis, in quibus Festum SSrum̃ Ursulae, et Sociarum aliunde esset duplex, vel semiduplex.* Et ita declaravit. *Die* 11. *Januarii* 1749.

4050. ELBOREN.

Rector, et alii Presbyteri Ecclesiae Parochialis S. Bartholomaei loci de Villa Vicosa Dioecesis Elboren. S. R. C. humillime supplicarunt, quatenus ad satisfaciendum peculiari eorum devotioni, quam habent erga Animas in Purgatorio existentes, eisdem facultatem celebrandi in praefata Ecclesia Parochiali Missam cantatam de Requiem singulis Feriis secundis benignè impertiri dignaretur.

Et S. eadem C.: *Gratiam petitam Oratoribus, exceptis tamen Festis primae, et secundae classis duplicis majoris, Festis de praecepto, et Octavis, aliisque diebus privilegiatis, concedendam esse* censuit, *non omissa tamen Missa de Festo duplici occurrente. Die* 11. *Jan.* 1749.

4051. LISBONEN.

Cum nonnulli Parochi Ecclesiarum Parochialium minorum, et filialium Civitatis, et Dioecesis Lisbonen. S. R. C. humillime supplicaverint pro declaratione sequentis Quaesiti, videlicet.

Utrum in Ecclesiis minoribus Parochialibus, et filialibus, in quibus non invenitur sufficiens Ministrorum numerus, et ornamentorum copia, ut valeat in propria die, seu Dominica infra Octavam Festum SSm̃i Corporis Christi cum debita solemnitate celebrari, possit fieri Processio in quacumque Dominica post Octavam ejusdem Festi cum Missa de tempore occurrenti, et commemoratione SSm̃i?

S. eadem C., audito voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit : *Ubi processio SSm̃i Sacramenti in ejus Festo die, vel per Octavam, ea qua decet solemni pompa, nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio, et prudentia unicuique Eccle-*

siae aliquam ex sequentibus Dominicis, in qua, celebrata Missa cum commemoratione SS̄mi Sacramenti, juxta Rubricarum praescriptam formam, solemnis illius Processio peragi possit. Et ita declaravit. *Die* 8.*Maii* 1749.

4052. CONGREGATIONIS BENEDICTINAE BOHEMIAE, MORAVIAE, ET SILESIAE.

P. Abbas Monasterii Brzewnoviensis Visitator generalis perpetuus, caeterique Abbates, ac superiores Congregationis Benedictinae Bohemiae, Moraviae, et Silesiae, S. R. C. exposuerunt, immemorabilem in eorum Ecclesiis consuetudinem esse, ut quotidie, exceptis diebus Nativitatis Dñi, Paschae, et Pentecostes, prima Missa sit votiva de Bīna V. M., et, ut qualibet Feria sexta Festo in Foro celebri, aut alio primae, vel secundae classis non impedita, Missa de S. Cruce loco conventualis solemniter decantetur; cumque a nonnullis dubitetur: an id licite fiat, ideo praefati Oratores ad omne Dubium amovendum, S. R. C. pro dictae immemorabilis consuetudinis confirmatione humillime supplicarunt.

Et S. eadem C., ad relationem Eīni, et Rīni D. Cardinalis Millini Ponentis: quoad Missam votivam B. M. V., rescripsit: *Pro gratia cum limitatione, ad mentem, explicandam ab eodem Eīno Ponente*; et mens est, *quod praedicta Missa votiva non possit celebrari in Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum cum tota majori hebdomada, Dominica Resurrectionis, et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Dñi, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, et omnibus diebus, in quibus celebrari debet Festum in honorem B. M. V., juxta praescriptum in Calendario, ac dummodo diebus, in quibus celebratur dicta Missa votiva, praeter eamdem, celebretur Missa conventualis, seu diei Festi currentis*. In reliquis rescripsit: *Dilata*. *Hac die* 19. *Aprilis* 1749.

4053. VENETA.

Exorto Dubio: An in Ecclesia Parochiali, et Collegiata S. Jacobi de Luprio Civitatis Venetiarum, liceat die 2. Augusti celebrari Festum S. Petri ad Vincula, prout ab antiquo tempore consuevit, eo, quod praecedenti die perpetuo occurrat Octava S. Jacobi Apostoli ejusdem Ecclesiae Titularis, an potius recitandum sit Officium S. Hermolai, quod paucis ab hinc annis in Dioecesi Venetiarum sub ritu semiduplici affixum fuit diei 2. Augusti; pro parte Capituli dictae Ecclesiae humillime S. R. C. supplicatum fuit, quatenus dignaretur declarare, nedum quid in subjecto casu sit faciendum, verum etiam, an possit assignari semiduplex infra Octavam non privilegiatam?

Et S. eadem R. C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit. Ad 1. *In Ecclesia S. Jacobi de Luprio Civitatis Venetiarum die 2. Augusti agendum est de Festo S. Petri ad Vincula*.

Ad 2. *Festum semiduplex a sua die perpetuo amotum celebrari deinceps potest infra Octavam non privilegiatam in die ipsi assignanda tamquam sede illius fixa, juxta Decretum die 28. Novembris 1744. editum in Perusina* (4016). Et ita declaravit. *Die* 19. *Aprilis* 1749.

4054. PATAVINA.

Cum ex parte Magistri caeremoniarum Congregationis S. Philippi Nerii Patavinae Civitatis, S. R. C. propositum fuerit Dubium.

An Instructio pro Oratione quadraginta horarum Romae, jussu felic. record. Clementis XI., primum edita, etiam extra Urbem servari possit, et debeat?

Ad quod S. C. respondit: *Praedictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis Locorum statutum sit. Hac die* 12. *Julii* 1749.

4055. CATACEN. PRAEEMINENTIARUM.

Exorta inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Catacen., et D. Basilium di Fiore Baronem Terrae Coprani illius Dioecesis controversia super nonnullis juribus honorificis a dicto Barone praetensis, eaque ad S. R. C. delata, Emus, et Rmus D. Cardinalis Sacripantes Ponens infrascripta Dubia decidenda proposuit, nempe.

1. An Baro Terrae Copranen., cum accesserit ad Collegiatam Ecclesiam dictae Terrae, excipiendus sit tam ipse, quam uxor, mater, et fratres, in janua ejusdem Ecclesiae a Canonico, vel Presbytero ipsius Ecclesiae, vel a proprio Cappellano Baronis superpelliceo induto cum aqua lustrali?

2. An dicto Baroni licitum sit pro Divinis audiendis habere sedem cameralem sericeam cum postergali, et tapete, ac scabello tapete similiter superimposito, in loco tamen extra Presbyterium tam in dicta, quam in aliis Ecclesiis ejusdem Terrae sive saecularibus, sive regularibus?

3. An sedem, ut supra, liceat Baroni retinere, tam praesente, quam absente Episcopo?

4. An eidem Baroni liceat retinere genuflexorium amovibile cum tapete, et pulvinaribus in dicta Collegiata, aliisque Ecclesiis praedictis, tam praesente, quam absente Episcopo?

5. An supradicto Baroni debeatur pax cum instrumento, nec non thurificatio duplici ductu per Magistrum caeremoniarum, vel alium Presbyterum, sive proprium Cappellanum Baronis superpelliceo indutum in casu etc?

Et S. eadem C., audita prius informatione Episcopi, scripto, et voce Procuratore tantum praefati Baronis, ad relationem praedicti Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative in omnibus*.

Ad 2. et 3: *Dentur Decreta in Ostunen. anni* 1703. 24. *Novembris*, (3519).

Ad 4. *Dentur Decreta in Satrianen. anni* 1719. 13. *Maii*, *et* 1720, 3. *Februarii* (3780. 3789).

Ad 5. *Affirmative per Acolythum superpelliceo indutum*. Et ita decrevit, ac imposterum in supradicta Terra Coprani, juxta Decreta, ut supra enunciata, servari mandavit. *Die* 20. *Septembris* 1749.

4056. JAURINEN.

Cum Episcopo Iaurinen. in Hungaria nonnulla occurrerint Dubia circa

Sacros Ritus, et Rubricas, S. R. C. humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur. Dubia sunt sequentia.

1. An Presbyteri ordinandi statim ab initio, vel solum a: *Suscipe Sancte Pater etc.* debeant inchoare Missam cum celebrante, et ordinante Episcopo?

2. An Presbyteri ordinandi debeant legere Missam stantes, vel in terram genuflexi?

3. An Presbyteri ordinandi omnes illas, quas Episcopus ordinans in Missa facit actiones, debeant facere? adeoque: an ii Presbyteri debeant Cruces manu super Oblata peragere, an genuflectere etc., an denique omnia illa, quae Episcopus sub sacrificio agit, agere?

4. Idem quaeritur de Episcopo consecrando.

5. An Presbyteri ordinandi, postquam sunt de Corpore Christi communicati, debeant de illo Calice, quem in Ordinatione sua tetigerunt, ablutionem sumere?

6. Cum Sabbato Sancto unica tantum in quavis Ecclesia Missa cantata admittatur, an Episcopus in privata Cappella, vel Oratorio, possit Ordinationem sub Missa lecta servare? Et quatenus affirmative: An debeat post Communionem idem Episcopus pro Vesperis, *Alleluja. Vespere autem etc. Laudate Dominum etc. Magnificat etc.* dicere?

7. An Episcopi non habentes facultatem specialem concedendi in Oratoriis privatis, et Cappellis pro saecularibus, et aliis legendi Missam, possint licentiam dictam petentibus concedere?

8. Cum in rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: Adulti, seu alii majores ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui: Quaeritur: an sufficiat, si Patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum Confirmandi?

9. An Confirmandus tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N. signo Te signo Crucis etc.* praeter nomen suum Baptismale, possit aliud nomen Sancti sibi imponi curare?

Et S. eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, ad relationem Emi, et Rmi Dni Cardinalis Tamburini Ponentis, censuit rescribendum. Ad 1. *Teneri solum ad* Suscipe Sancte Pater.

Ad 2. *Negative ad primam: Affirmative ad secundum partem.*

Ad 3. *Negative.*

Ad 4. *Servandum esse Pontificale Romanum.*

Ad 5. *Non esse necesse.*

Ad 6. *Ad mentem.* Mens est, *quod hoc Dubium ulterius non proponatur.*

Ad 7. *Negative.*

Ad 8. *Sufficere.*

Ad 9. *Posse.* Et ita declaravit. *Die* 20. *Septembris* 1749.

4057. MELEVITANA.

Inter Sacerdotes Joannem Andream Fratres de Cashà ex una, et Josephum Vella Parochum Oppidi Pinto Dioecesis Melevitanae ex altera parti-

bus, ortis controversiis, illisque ad S.R.C. delatis, Eñus, et Rñus D. Card. Cavalchini Ponens infrascripta Dubia inter partes concordata decidenda proposuit: nempe.

1. An liceat Fratribus de Cashà in Ecclesia de ass. eorum Auctorum fundatione sub titulo S. Francisci de Paula intra limites Ecclesiae Parochialis Oppidi Pinto celebrare Novemdiale, sive Tredicinam Sancti Titularis, aliorumque Sanctorum, eaque occasione sive per se ipsos, sive per Sacerdotes sibi benevisos, ab Ordinario tamen approbatos, habere concionem ad populum interessentem, illique cum Reliquiis, aut sacris Imaginibus benedicere, absque consensu Parochi dictae Civitatis in casu etc?

2. An, recurrente Festo S. Titularis, aliisque festivis diebus, liceat eisdem Fratribus sive per se, sive per alios, ut supra, celebrare Officia, et Missas solemnes, et distribuere populo Sacramentum Eucharistiae independenter a Parocho in casu etc?

3. An in praedicta Ecclesia liceat retinere fixas sedes confessionales, ad effectum per idoneos Sacerdotes excipiendi Confessiones Fidelium, invito Parocho, in casu etc?

S. eadem C., utraque parte scripto, et voce prius audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative in omnibus: salvo jure Episcopi*.

Ad 2. *Affirmative, ut supra, et quoad distributionem Sacramenti Eucharistiae, in Missarum celebratione tantum*.

Ad 3. *Negative, nisi de licentia Episcopi*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. Die 20. *Septembris* 1749.

In Congregatione 30. Augusti 1755. iterum proposita, responsum fuit: *In decisis, et amplius*.

4058. SENOGALLIEN. PRAEEMINENTIARUM.

Super jure deferendi stolam tam in associatione cadaverum, quam in publicis Processionibus, aliisque praeeminentiis in ecclesiasticis functionibus in Ecclesia Collegiata S. Petri Terrae Corinaldi, Dioecesis Senogallien. peragendis, inter Capitulum, et Canonicos dictae Ecclesiae Collegiatae, et Iosephum Pandolfi Curatum Mansionarium ejusdem Ecclesiae, ortis controversiis, illisque ad S. R. C. delatis, Eñus, et Rñus D. Cardinalis Cavalchini Ponens infrascripta Dubia declaranda proposuit, nempe.

1. An in associatione cadaverum, absente Archipresbytero, delatio stolae competat Archidiacono, seu alteri Dignitati, et Canonico Ecclesiae Collegiatae S. Petri Terrae Corinaldi, seu potius Parocho Mansionario seniori in casu etc?

2. An Missa cantata, praesente Cadavere, celebrari debeat a Curatis Mansionariis, seu potius a Canonicis dictae Ecclesiae Collegiatae in casu etc?

3. An in publicis Processionibus, in quibus non defertur pluviale, et functiones absolvuntur absque usu illius, absente Archipresbytero, stola deferri debeat a Canonicis, seu potius a Curato Mansionario seniore in casu etc?

4. An, absente Archipresbytero, celebratio Missae Feria V. in Caena Do-

mini, et ministratio SSmae Eucharistiae, in eadem die facienda Parochianis, spectet ad Curatum Mansionarium seniorem, seu potius ad Dignitates, et Canonicos ejusdem Ecclesiae Collegiatae in casu etc?

5. An, et cui, absente Archipresbytero, competat Benedictio Fontis Baptismalis, et administratio Baptismatis in die Sabbati Sancti in casu etc?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.*

Ad 2. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.*

Ad 3. *Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam.*

Ad 4. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam, cum assistentia Mansionarii pro distribuendis schedulis.*

Ad 5. *Competere Dignitati, seu Canonico celebranti.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 29. Novembris 1749.*

4059. PISAUREN.

Orta inter Episcopum Pisaurēn., et Capitulum Ecclesiae Cathedralis ejusdem Civitatis controversia, de obligatione Canonicorum inserviendi eidem Episcopo in Missa privata, occasione quarumdam functionum, eaque ad S. R. C. delata, infrascripta Dubia inter partes concordata fuerunt, et pro decisione proposita.

1. An, in functionibus Pontificalibus peragendis ab Episcopo extra Ecclesiam Cathedralem, teneantur Canonici ejusdem Ecclesiae inservire cum habitu chorali Episcopo in privato Missae Sacrificio, quod praecedere, vel subsequi debet easdem functiones?

2. An tempore visitationis per Dioecesim teneantur Canonici convisitatores inservire cum eodem habitu eidem Episcopo in privato Missae Sacrificio?

3. An Episcopus ad eumdem effectum cogere possit eosdem Canonicos ad sibi inserviendum in dicta celebratione Missarum? Et quatenus negative.

4. An, volentes Canonici ultro inservire praemisso modo eidem Episcopo, prohiberi possint ab aliis Colleghis id detrectantibus in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, ac visis juribus hinc inde deductis, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Prosperi Columna de Sciarra Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. 2., et 3. *Negative.*

Ad 4. *Affirmative, et amplius.* Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Hac die 18. Julii 1750.*

4060. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI.

Porrecto S. R. C. nomine Compositoris Calendarii Ordinis Minorum S. Francisci infrascripto supplici libello, idiomate vulgari, tenoris sequentis, videlicet:. = Emi, e Rmi Signori: Il compositore del Calendario per li Religiosi
„ e Religiose del Padre S. Francesco sotto l'obbedienza del Ministro Gene-
„ rale di tutto l'Ordine Serafico umilmente espone come, leggendosi nel Ri-
„ tuale del Padre Merati alla sect. 3. cap. 4. de Festo simplici, citato un
„ Decreto del dì 22. Gennajo 1735. col quale la Sacra Congregazione assegna

„ a S. Teodoro Martire di rito semplice per li Padri Minori Conventuali il
„ giorno 12. Novembre per l' impedimentu perpetuo della Dedicazione della
„ Basilica Costantiniana, celebrata da essi sotto rito di prima classe, e per
„ le Monache del terz' Ordine del P. S. Francesco, quali celebrano S. Elisa-
„ betta d' Ungheria sotto l' istesso rito, come Padrona principale, s'assegna
„ a S. Ponziano Papa, e Mart. il giorno 20. dell' istesso mese; ma non tro-
„ vandosi un tal Decreto nel Registro nella Segreteria; supplica l' EE. VV.
„ a dichiarare, se si debba tal Decreto osservare tanto dalle suddette Reli-
„ giose, quanto per altre diverse Chiese dell'Ordine, nelle quali occorrono
„ molti Santi del detto rito perpetuamente impediti, ovvero, si debba nelle
„ dette Chiese lasciare totalmente la memoria di essi Santi: tanto più, che
„ la Rubrica generale, dove al tit. 10. de translatione Festorum. Si
„ legge al num. 8. *eo anno de eo non fit amplius*: parla dei Santi semplici
„ impediti dalle Feste di prima classe mobili. Che della grazia etc.

Et S. eadem C., re mature discussa, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Tamburini S. R. C. Praefecti, rescribendum censuit: *Si Festum simplex perpetuo impediatur ob occurrentiam duplicis primae classis, non esse ad aliam diem transferendum, juxta Rubricas*. *Die* 18. *Julii* 1750.

4061. CAMERINEN.

Ortis inter Patres Minores Conventuales Conventus S. Francisci Ploraci, et Sacerdotem Cajetanum Caselli Plebanum Ecclesiae Parochialis ejusdem loci, Dioecesis Camerinen. controversiis super nonnullis juribus Parochialibus, occasione funerum, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Bolognettus Ponens infrascripta Dubia decidenda proposuit.

1. An Plebanus oppidi Ploraci, associando cadavera sepelienda in Ecclesia S. Francisci Patrum Minorum Conventualium, teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare?

2. An in eadem associatione liceat dicto Plebano ingredi praefatam Patrum Minorum Conventualium Ecclesiam cum Stola, et Cruce elevata, seu potius teneatur ad ejusdem Ecclesiae fores sistere, ibique ultimum vale defuncto dare?

3. An Patres Minores Conventuales eidem associationi invitati teneantur accedere ad levandum Plebanum ab Ecclesia Parochiali, seu potius debeat idem Plebanus pro hujusmodi effectu se conferre prius ad domum defuncti, juxta immemorabilem consuetudinem?

4. An liceat Patribus Minoribus Conventualibus in funeribus libere campanas pulsare, absque alia dicti Plebani licentia, seu potius teneantur dictam licentiam a Plebano obtinere?

5. An in Processionibus infra annum peragendis, liceat eidem Plebano Stola, Pluviali, aliisque sacris vestibus induto, ingredi dictorum Patrum Minorum Conventualium Ecclesiam, ibique sacras peragere functiones in casu etc.?

Et S. eadem C., visis juribus ex parte dictorum Patrum Minorum Conventualium, ac eorum Procuratore tantum scripto, et voce informante au-

dito, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative ad primam partem*, et *Negative ad secundam*.

Ad 2. *Negative ad primam partem*, et *Affirmative ad secundam*.

Ad 3. *Servetur solitum*.

Ad 4. *Affirmative ad primam partem*, et *Negative ad secundam*.

Ad 5. *Servetur solitum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 19. *Septembris* 1750.

4062. NULLIUS SUBLACEN.

Cum Emus, et Rmus D. Cardinalis Joannes Baptista Spinula, Abbas Commendatarius Ecclesiae Sublacen., a S.R.C. expostulaverit: An Clerus universus dictae suae Ecclesiae teneatur quotannis die 4. Decembris celebrare diem festum Dedicationis Ecclesiae Abbatialis S. Scholasticae sub ritu duplicis primae classis cum Octava?

S. eadem C., referente Emo, et Rmo D. Cardinali Millino Ponente, respondit: *Teneri universum Clerum ad formam Rubricarum, et quidem sub ritu duplici primae classis in Civitate cum Octava; In Dioecesi vero sine Octava; Regulares autem sub ritu duplici secundae classis, sed sine Octava*. Atque ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 19. *Septembris* 1750.

4063. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM PROVINCIAE GRANATENSIS.

Cum Fr. Josephus Lorenzo Vicarius Provincialis Provinciae Granatensis Ordinis Minorum Observantium S. Francisci, humiliter exposuerit, fuisse recenter a S. R. C. concessa quaedam Officia SSrum, alia Urbis, et Orbis, alia aliquibus Regnis, Ditionibus, Statibusque particularibus recitanda tum a Saecularibus, tum a Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur: ex quibus cum pene quadraginta Officia quotannis perpetuo supersint, nullique dies non impediti remaneant; hinc eamdem S.R.C. reverenter supplicavit, ut benigne deveniret ad singularem designationem, admissionem, seu exclusionem praedictorum Officiorum, prout magis convenire judicaverit.

Et S. eadem C. respondit: Detur Decretum jam ab anno 1738. 6. *Septembris* edito, tenoris sequentis: Ordinis Minorum S. Francisci: Ex parte P.V. Commissarii Generalis Ordinis Minorum Observantium S. Francisci S. R. C. pro declaratione infrascripti Dubii supplicatum fuit: An Sancti, de quibus in toto anni decursu celebrari Officium non potuit, transferendi sint ad annum sequentem?

S. eadem Congregatio, inhaerendo alteri resolutioni in similibus editae, ad instantiam Rmi Archiepiscopi Hispalen. sub die 26. *Novembris* 1735. rescribendum censuit: *Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos; sed, quoties toto anni decursu de illis celebrare non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in Semiduplicibus cum nona Lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius*. Atque ita S. C. satis provisum decrevit. *Die* 19. *Septembris* 1750.

4064. CREMONEN.

Porrecto ex parte Priorissae, et Monialium S. Josephi Civitatis Cremonae Ordinis S. Augustini subjectarum Ordinario, S.R.C. infrascripto simplici libello, idiomate vulgari, tenoris sequentis: „ La Priora, e Suore di S. Giuseppe di Cremona dell' Ordine, e Regola di S. Agostino soggette all' Ordinario
„ Umilissime Oratrici dell' EE. VV. Loro riverentemente espongono, es-
„ sere ultimamente arrivato a loro cognizione avervi un Decreto di codesta
„ Sacra Congregazione del giorno 27. *Gennajo* 1680., nel quale permettesi
„ a tutte le Monache, le quali militano sotto la regola di S. Agostino, an-
„ corchè soggette agli Ordinarii de' Luoghi, il poter servirsi del Breviario
„ Agostiniano, il quale in niente altro è diverso dal Romano, se non che
„ ha aggiunti alcuni Ufficj de Santi dell' istesso Ordine. Ora portate le Ora-
„ trici da particolar divozione verso i Santi del loro Ordine, e per uni-
„ formità coll' istesso Ordine, desiderarebbero ancor esse servirsi del sud-
„ detto Breviario Agostiniano, che però supplicano umilmente l' EE. VV.
„ di voler compiacersi di dichiarare, se possino l' Oratrici in virtù del suc-
„ cennato Decreto servirsi del Breviario Agostiniano. ? Che della gra-
„ zia ec.

S. eadem C. sub die 12. Decembris 1750. respondit: Detur Decretum prout infra: Ordinis Eremitarum S. Augustini: Cum pro parte R. P. Fr. Dominici Valvassoni Mediolanen. Generalis, totius Ordinis Eremitarum S. Augustini supplicatum sit pro declaratione: An Moniales, quae militant sub regula S. Augustini, sed subjecta Ordinariis Locorum, et vivunt sub eorum cura, possint uti Breviario Augustiniano (quod solum differt a Romano ex eo quia ibi sunt apposita, et adjuncta nonnulla alia Officia SSrum ejusdem Ordinis), sicut eodem Breviario utuntur Moniales, quae sunt sub guberno Religiosorum Augustinianorum? Et S. R. C. respondit *Affirmative*. Et ita declaravit. *Die* 27. *Ianuarii* 1680. Et ita etc. *Die* 12. *Decembris* 1750.

4065. PISAUREN.

Controversiarum super usu cappae in administratione Sacramentorum inter Rmum Episcopum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Pisauren. Cum Episcopus Pisauren. privatis literis ad suum Agentem datis, ei significaverit, se Cathedralis suae Canonicis tantum inhibuisse, ne cum solo Rochetto Sacramenta administrarent, idque jure omnino ab eo factum sit, ideo Capitulum, et Canonici nullam occasionem habent recurrendi ad S. R. C. *Die* 12. *Decembris* 1750.

4066. CASALEN.

Cum ab antiquo, et immemorabili tempore Canonici Ecclesiae Cathedralis diebus Dominicis, aliisque Festis infra annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperae decantantur, consueverint eo tempore in Choro bini, et bini Vesperas, et Completorium recitare; exortum est Dubium: An per eum modum recitandi Completorium satisfaciant Canonici muneri suo? Pro cujus declaratione Episcopus Casalen., et Canonici praedicti ad S. R. C. recursum habuerunt.

Et S. eadem C., iis omnibus mature perpensis, quae in hanc rem de-

ducta sunt, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Tamburini Ponentis, rescripsit: *Canonicos non satisfacere obligationi Chori, recitando modo praedicto Completorium tempore, quo a Musicis Vesperae decantantur*. *Die* 3. *Aprilis* 1751.

4067. BAREN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Exortis controversiis super juribus Parochialibus inter Felicem de Julianis Archipresbyterum Oppidi Pali Dioecesis Baren. ex una, et Patres Ordinis Praedicatorum partibus ex altera; illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Cavalchinus Ponens, infrascripta Dubia a se concordata, decidenda proposuit, nempe.

1. An liceat Patribus Ordinis Praedicatorum Terrae Pali deferre Stolam in Processione SSmi Rosarii, absque licentia Parochi in casu etc.?

2. An iisdem Patribus liceat in Processione, quae fit in Octava Corporis Christi intra limites Ecclesiae Parochialis, solemnem Benedictionem impertiri cum SSmo Sacramento, absque licentia Parochi in casu etc.?

Et S. eadem C., visis juribus Felicis de Julianis Archipresbyteri praefati Oppidi, cum adversa pars minime comparuerit, ac illius Procuratore tantum scriptis, et voce audito, ad relationem ejusdem Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Negative in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Junii* 1751.

4068. CAMERINEN.

Ortis inter Patres Minores Conventuales Conventus S. Francisci Castri Ploraci, et Sacerdutem Cajetanum Caselli Plebanum Ecclesiae Parochialis ejusdem loci Dioecesis Camerinen. controversiis, super nonnullis juribus Parochialibus, occasione Funerum, illisque ad S. R. C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Bolognettus Ponens infrascripta Dubia decidenda proposuit, nempe.

Omittimus Dubia, et Resolutiones editas in Congregatione Ordinaria habita sub die 19. Septembris 1750., quia habentur supra (4061.).

Verum adversus supradictas Resolutiones in contumacia editas, supra propositis Dubiis expetita, et obtenta a praefato Cajetano Caselli Plebano sub die 12. mensis Decembris ejusdem anni 1750. nova audientia, ac reproposita in eadem S. R. C. sub die 26. Junii currentis anni 1751. controversia super praedictis quinque Dubiis.

S. eadem C., ad relationem Emi, et Rmi Dni Card. Paulutii subrogati in loco Emi, et Rmi D. Cardinalis Bolognetti absentis causae Ponentis, utraque parte scripto, et voce iterum audita, ac visis juribus hinc inde deductis infrascriptum Dubium proposuit, nempe.

An, et in quibus sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.?

Et S. eadem C. rescribendum censuit.

Ad 1. 2. 4., et 5. *In decisis, et amplius*.

Quo vero ad 3. *praevio recessu a decisis, Affirmative ad primam*

partem, *et Negative ad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Junii* 1751.

4069. URBEVETANA.

Cum in Civitate Urbevetana ortum fuerit Dubium: An Clerus ejusdem Civitatis, qui celebrat quotannis infrascripta Festa, nempe S. Petri Parenzi Mart. die 21. Maii, S. Faustini Mart. die 29. Julii, die vero 13. Novembris S. Britii Episcopi (quorum Officia, et Missas, quamvis iidem Sancti sint asserti Patroni minus principales, sub ritu tantum duplicis minoris recitat, juxta consuetudinem) eumdem retinere ritum, vel sub ritu duplicis majoris praedicta Festa celebrare debeat? Propterea Episcopus, et Clerus praedictae Civitatis pro declaratione ejusdem supradicti Dubii S. R. C. humillime supplicarunt.

Et S. eadem C., rescribendum censuit: *Servetur solitum*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 26. *Junii* 1751.

4070. VENETIARUM MONACHORUM ARMENORUM.

Cum ad notitiam SSmi Dni Nostri pervenerit, Religiosos Armenos Ordinis S. Antonii Venetiis degentes, in privata Missae celebratione, contra proprios ritus ab Apostolica Sede approbatos, Oblationem Panis, et Vini consecrandi non ante Introitum, sed post Symbolum explere, eumque non in omnibus, sed in aliquibus Missis, more Latinorum, recitare, Sacramentum statim post Consecrationem elevare, nec cum illo ad populum benedicendum amplius se convertere; et insuper ultra proprii Calendarii Festivitates plura SSrum Officia ab Ecclesia Latina fieri solita propria auctoritate introduxisse; propterea SSmus, cui valde cordi est, ut Orientales Ecclesiae mores, et ritus ab Apostolica Sede approbatos exacte custodiant, *praefatas innovationes*, *et si quae aliae apud eos vigeant contra proprios ritus*, *expresse vetat*, *ac prohibet*, *eisque mandat*, *ut tam circa sacras caeremonias in Missa*, *et Divini Officii recitationem*, *ac Festivitates Sanctorum celebrandas*, *a propriis Rubricis*, *et Calendario non recedant*. *Ex speciali tamen gratia eis concedendum esse duxit*, *ut in eadem Civitate Venetiarum degentes*, *de Festivitatibus Dni Nostri*, *ac SSrum*, *quae in Ecclesia Latina cum abstinentia ab operibus servilibus celebrantur*, *nec non S. Benedicti Abbatis*, *et S. Thomae Aquinatis*, *Officia cum Missis secundum praedictos ritus recitare possint*, *et valeant*. Et hoc Decretum, nomine Sanctitatis Suae a S. R. C. publicari mandavit. Hac die 22. *Julii* 1751.

4071: AUXIMANA.

Ad dirimendas nonnullas obortas controversias inter Gubernatorem, Magistratum, et Capitulum Oppidi Montis Fani Dioecesis Auximanae ab Emo, et Rmo D. Card. Tanara Ponente in S. R. C. infrascripta tria Dubia, inter partes concordata, proposita fuerunt, nempe.

1. An, et quot ductibus Gubernator, seu Praetor Terrae Montis Fani interveniens una cum Magistratu solemnibus functionibus, thurificari debeat in casu?

2. An Magistratus, ut supra interveniens, sit thurificandus ante Canonicum Subdiaconum Altari ministrantem in casu etc?

3. An, in quo loco, et quomodo scamnum ejusdem Magistratus in Ecclesia retineri debeat in casu?

Et S. eadem C. sub die 19. Septembris elapsi anni 1750., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi, et Rmi D. Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative duplici ductu*,

Ad 2. *Affirmative*.

Ad 3. *Extra Presbyterium, et in reliquis arbitrio Ordinarii*.

Verum cum praedictae partes editis resolutionibus supra praepositis tribus Dubiis minime acquieverint, expetita hinc inde, et obtenta coram eodem Emo Ponente nova Audientia.

S. eadem C. infrascripta alia duo Dubia, inter easdem partes concordata proposuit, nempe.

1. An sit standum, vel recedendum a Decisis quoad 1. 2., ac 3. Dubium in casu etc.?

2. An, et quot ductibus sit thurificandus Praepositus Ecclesiae Collegiatae Montis Fani in casu etc.?

Quibus eadem S.C., utraque parte scripto, et voce iterum audita, ac visis juribus hinc inde pariter deductis, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Tanari Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *In Decisis, et amplius quoad primum et secundum, et quoad tertium, praevio recessu a decisis, nihil innovandum*.

Ad 2. *Affirmative triplici ductu, et amplius*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 4. Septembris* 1751.

4072. SENOGALLIEN.

Orta controversia inter Philippum Natali Archipresbyterum Collegiatae Ecclesiae S. Justinae Terrae Mondulphi, et Magistratum ejusdem loci Dioecesis Senogallien., super nonnullis ritibus servandis in recipiendo candelas die Purificationis, sacras cineres, et palmas, illaque ad S.R.C. delata, infrascriptum Dubium coram Emo, et Rmo D. Cardinale Tanario Ponente concordatum decidendum propositum fuit, nempe,

An Magistratus Terrae Mondulphi teneatur genuflectere ante Archipresbyterum celebrantem, occasione distributionis candelarum, cinerum, et palmarum, seu potius teneatur tantum inclinare caput absque genuflexione in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die 4. Septembris* 1751.

4073. IMOLEN.

Cum in S.R.C. in causa vertente inter Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Imolae, et Venerabilem Confraternitatem S. Mariae Terrae Tauxignani ejusdem Dioecesis per Eññum, et Rñum D. Card. Guadagni Ponentem propositum fuerit congruum Dubium: An Ordinarius, concedendo licentiam exponendi SSñum Eucharistiae Sacramentum, possit ad libitum conditionem apponere requirendi consensum Parochi?

S. eadem C., auditis partibus, ad relationem ejusdem Eñi Ponentis, rescribendum censuit: *Negative. Die 4. Septembris 1751.*

4074. ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM PROVINCIAE POLONIAE.

Cum Fratri Josepho a B. V. M Ordinis Carmelitarum excalceatorum Provinciae Poloniae nonnulla occurrerint Dubia circa Rubricas: S.R.C. humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur; Dubia sunt sequentia.

1. Cum Regulares teneantur recitare Officium de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis sub ritu duplici secundae classis; utrum tantum intra Civitatem constituti, ubi adest talis Ecclesia Cathedralis, an etiam per totam Dioecesim?

2. Cum in omnibus Dioecesibus Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae Officio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis assignata sit dies Dominica in perpetuum, et in eadem Dominica recitetur quotannis: utrum aliquando apud Regulares, occurrente in illa Dominica alio Festo altioris ritus, vel dignitatis, debeat praedictum Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis apud Regulares transferri in aliam diem non impeditam, etiam ultra duas Septimanas, an omitti, juxta Decretum S. R. C. emanatum in anno 1683. 20. Martii, et insuper: utrum cedere debeat praedictum Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, Officio solemniori alicujus Religionis occurrenti eadem die Dominica sub eodem ritu?

3. Dum fit expositio SSñi Sacramenti ratione solemnitatis ad populum in Dominicis privilegiatis, vel aliis, qualis adhiberi debeat color in Missis celebrandis de Dominica ad Altare majus, ubi manet expositum SSñum Sacramentum; an albus competens solemnitati, ratione expositionis SSñi Sacramenti, an violaceus?

4. Cum in Provincia Polona, et Lithuania, ob occursum perpetuum cum Festo S. Stanislai Episcopi Mart. Patroni Principalis, ex die 8. Maii Officium Apparitionis S. Michaelis Archangeli translatum in diem 10. Maii tamquam propriam recitabatur; quaeritur: utrum nunc, cum S. R. C. Officio S. Antonini de praecepto sub ritu semiduplici eamdem diem 10. Maii assignaverit pro universali Ecclesia, debeat cedere Officium Apparitionis S. Michaelis., ad uniformitatem Officii S. Antonini?

5. Utrum occurrente aliquando Festo altioris ritus in Dominica secunda post Pascha, in qua, ex indulto S.R.C., recitatur in Polonia Officium affixum huic Dominicae SSñi Sepulcri, debeatne praedictum Officium SSñi

Sepulcri transferri in aliam diem non impeditam, an omitti, juxta Decretum in anno 1683. 20. Martii emanatum?

6. Cum in Regno Poloniae cum maxima solemnitate, et concursu populi cantetur ab immemorabili tempore in Adventu Dñi singulis diebus Missa votiva de B. M. V., quae vocatur: *Rorate*: quaeritur: utrum haec Missa censenda sit solemnis ratione concursus populi, et pro re gravi instituta a Synodo Provinciali Regni Poloniae 1628. a SSmo D. N. Paulo V. adprobato?

7. Utrum ex praescripto fundatorum, et institutione eorumdem possit dici Missa de Assumptione, Purificatione, Conceptione B. M. V. in Sabbatis, vel aliis feriis per annum, non impeditis festo duplici?

8. Cum in Regno Poloniae ab immemorabili consuetudine recitetur 28. Septembris Officium S. Wenceslai Mart. sub ritu dup. min., et sub eodem similiter ritu dup. min. Officium Translationis ejusdem S. Wenceslai Mart. recitetur 5. Martii; utrum licite tolerari possit, ut Festum principale, et ejus Translatio sub eodem ritu celebretur; sicut in magno Ducatu Lithuaniae Officium S. Adalberti, et ejus Translatio, et debeat cessari a recitatione Officii Translationis S. Wenceslai Mart. sub ritu dup. in Regno Poloniae, sicut et in Lithuania, a recitatione Officii Translationis S. Adalberti?

9. Iis in Ecclesiis Regularium, in quibus non est consuetudo cantandi quotidie Missam currentis Officii; utrum in Missa solemni, quae sola canitur pro re gravi, vel ob occursum Festi solemnis, de quo eodem die Officium nequit fieri, non cantata Missa diei, nempe de Dominica privilegiata Feria majori, vel Festo aliquo, debeat addi collecta illius diei Officii currentis, nempe Festi alicujus Dominicae Feriae majoris?

10. Utrum Sacerdos saecularis, vel regularis habens Officium duplex, et quid si duplex primae, vel secundae classis celebrans in aliena Ecclesia ex devotione, ubi celebratur Festum solemne, debeat ne celebrare Missam conformando se illi Ecclesiae, ubi celebrat, etiam quoad solemnitatem, et colorem paramentorum?

11. Utrum etiam Sacerdos saecularis, vel regularis habens Officium duplex, et quid si duplex primae, vel secundae classis celebrans in aliena Ecclesia ex obligatione in sepultura solemni alicujus cadaveris, vel exequiis solemnibus, debeat se conformare illi Ecclesiae, celebrando Missam de Requiem?

12. Invaluit consuetudo in Regno Poloniae celebrandi Missam de Requiem in solemnibus Sepulturis, praesente cadavere, in festo dup. min. non tamen celebri, utrum hoc licite tolerari possit?

13. Utrum in majori hebdomada, excepto triduo ante Pascha, et biduo post, et infra Octavam Paschae, et Pentecostes, ac etiam in Festis duplicibus primae classis, non tamen celebribus, possit cantari Missa unica solemnis de Requiem in sepultura cadaveris?

14. Quaenam dicenda sit Missa in die obitus, vel depositionis alicujus defuncti Sacerdotis; prima, quae est pro Episcopis assignata, ut in comme-

moratione omnium Fidelium defunctorum cum Oratione : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.*, an illa, quae est secundo loco posita, quae est in die obitus, seu depositionis in communi cum Oratione : *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes*; et insuper quaenam dicenda sit Missa in exequiis solemnibus post sepulturam cadaveris?

Et S. Eadem C., audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit.

Ad 1. *Regulares degentes in Civitate tenentur ad Officium Dedicationis Cathedralis, extra Civitatem non tenentur neque ad recitationem Officii in die festo.*

Ad 2. *Ad primam ejusdem Dubii partem, esse transferendum ad primam diem non impeditam*; Ad *secundam Dubii partem, servetur Rubrica* 10. *Breviarii Romani de concurrentia Festorum.*

Ad 3. *In Altari, ubi est publice expositum SSmum Sacramentum, si celebretur Missa diei, celebrari debet cum paramentis Festo, seu Officio convenientibus.*

Ad 4. *Officium jam translatum Apparitionis S. Michaelis Archangeli ob occursum Festi S. Stanislai Ep. et Mart., quod in Polonia sub ritu dup. primae classis celebratur, ac perpetuo assignatum diei* 10. *Maii, non erit ulterius amovendum propter Officium S. Antonini Episcopi, et Confessoris eo die in Ecclesia universali celebrandum, sed firmo remanente Officio Apparitionis, illud S. Antonini transferatur in primam diem non impeditam.*

Ad 5. *Officium S. Sepulcri, si occurrit Festum altioris ritus non erit ad aliam Dominicam transferendum, sed prorsus omittendum.*

Ad 6. *Missa*, Rorate : *etsi solemniter decantetur in Adventu, non est tamen recensenda inter Missas votivas pro re gravi, vel pro publica causa, sed haberi dumtaxat poterit, ut mera populi devotio.*

Ad 7. *Non sunt violandae Rubricae imperitorum Laicorum causa, et ideo petentibus Missam votivam de Assumptione etc. fiet satis celebrando unam ex Missis votivis B. M. V. juxta temporis occurrentiam.*

Ad 8. *Servetur solitum.*

Ad 9. *In Missis votivis solemnibus, quae pro re gravi, vel ob occursum Festi solemnis in aliam diem transferendi, etsi unica tantum cantetur Missa, unica tantum Oratio dicenda est.*

Ad 10., et 11. *Serventur Decreta alias edita in una tertii Ordinis S. Francisci* 11. *Junii* 1701., *et Sacerdotes tam saeculares, quam regulares conformare se debent ritui Ecclesiae, in qua celebrant.*

Ad 12. *Missae privatae de Requiem, etiam corpore praesente, et insepulto, dici non possunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica exceptis, et quaecumque consuetudo in contrarium, abusus esse declaratur; Missa tamen unica solemnis, insepulto corpore, celebrari potelerit etiam in Dominicis, et festis diebus, non tamen solemnioribus primae classis.*

Ad 13. *Affirmative.*

Ad 14. *Una, vel altera Missa dici poterit in sepultura cadaveris, vel Anniversaria pro Sacerdote defuncto, dummodo Oratio pro eo designanda* : Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes etc., *omnino adhibeatur*. Et ita declaravit. *Die 29. Januarii 1752.*

4075. URBINATEN.

Ad removendos nonnullos abusus, qui incoeperant in Ecclesia Metropolitana Urbinaten. circa usum Pontificalium, aliarumque praerogativarum exercitium, quas Dignitates, et Canonici ultra Pontificii Brevis S. M. Benedicti XIII. limitationem sibi indebite arrogabant, ad S. R. C. judicium sequentia Dubia hodiernus Rmus Archiepiscopus inter partes concordata, per Emum, et Rmum D. Cardinalem Prosperum Columnam de Sciarra, decidenda proposuit, nempe.

1. An Dignitates, et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti possint annulo, cruce pectorali cum gemmis, caligis, sandaliis, et chirothecis praesertim auro ornatis in casu etc.?

2. An eaedem Dignitates, et Canonici pontificaliter celebrantes uti queant faldistorio? et quatenus negative, quomodo sedere debeant?

3. An faldistorium debeat esse coopertum holoserico coloris currentis, seu simplici panno?

4. An uti valeant palmatoria, seu bugia in Pontificalibus, et an in Missis lectis, seu privatis?

5. An liceat eisdem in Missa Pontificali populum salutare dicendo : *Pax vobis* : loco dicendi : *Dominus Vobiscum*?

6. An post Missas, Vesperas, aut Matutinum in Pontificalibus celebratum, possint ipsi solemnem dare benedictionem dicendo : *Sit nomen Domini benedictum etc.*, seu potius simplicem benedictionem tantum post Missam dicendo: *Benedicat vos Omnipotens Deus* : cum unico, seu cum trino signo Crucis?

7. An Dignitates, et Canonici in Missis, aut Vesperis pontificalibus celebratis, benedicendo populum cum SSmo Eucharistiae Sacramento, dare possint trinam Benedictionem, vel unicam tantum dare debeant?

8. An eaedem Dignitates, et Canonici induti Mitra, aliisque paramentis ad instar Abbatum, etiamsi Missas, aut Vesperas in Pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam benedictionem?

9. An possint pontificaliter celebrare Missas in Ecclesiis Monialium, absque consensu Archiepiscopi?

10. An in vestitionibus, et velationibus Monialium factis de commissione Archiepiscopi, uti possint Mitra?

11. An in Metropolitana Ecclesia uti possint Mitra, et pontificaliter celebrare in Missis defunctorum?

12. An in Insigniis, et Armis suae Familiae appositis, vel apponendis in paramentis sacris, aliisque rebus Ecclesiam concernentibus, loco Mitrae, vel una cum ipsa Pileum apponere valeant?

13. An dictae Dignitates, et Canonici in Processionibus SSmi Corporis Christi incedere possint, capite Mitra cooperto?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative juxta modum*: Modus est, *quod in Missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis auro non ornatis*, *nec non annulo cum unica gemma*, *et Cruce pectorali sine gemmis*, *et amplius*.

Ad 2. *Negative*, *et sedere debeant in scamno cooperto tapete*, *vel panno currentis coloris*, *et amplius*.

Ad 3. *Provisum in secundo*, *et amplius*.

Ad 4. *Negative*, *et amplius*.

Ad 5. *Negative*, *et amplius*.

Ad 6. *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam cum unico signo*, *et amplius*.

Ad 7. *Negative ad primam partem*, *Affirmative ad secundam cum unica tantam*, *et amplius*.

Ad 8. *Negative*, *et amplius*.

Ad 9. *Negative*, *et amplius*.

Ad 10. *Negative*, *et amplius*.

Ad 11. *Negative*, *et amplius*.

Ad 12. *Affirmative quoad Mitram tantum*, *et amplius*.

Ad 13. *Negative*, *et amplius in omnibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 29. *Januarii* 1752.

4076. BAREN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Exortis controversiis super juribus parochialibus inter Felicem de Julianis Archipresbyterum Oppidi Pali Dioecesis Baren. ex una, et Patres Ordinis Praedicatorum partibus ex altera; illisque ad S.R.C. delatis, Emus, et Rmus D. Cardinalis Cavalchini Ponens infrascripta Dubia, a se concordata, decidenda proposuit, nempe etc.

Omittimus Dubia, et Resolutiones S. C., quia legi possunt supra sub die 26. Julii 1751. (4067.).

Verum cum Patres Ordinis Praedicatorum praedicti Oppidi super, iisdem propositis, et resolutis Dubiis, novam audientiam expetiverint, atque obtenta, fuerit inter partes concordatum, et in S. C. propositum fuit sequens Dubium.

An sit standum, vel recedendum a Decisis tam super primo, quam super secundo Dubio in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit.

Quoad primum: *praevio recessu a Decisis*, *Affirmative*.

Ad 2. *Posse de licentia Archiepiscopi*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 22. *Aprilis* 1752.

4077. CASALEN.

Inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Casalen. ex una, et Praepositum,

et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris de platea eiusdem Civitatis ex altera partibus, exortis nonnullis dubiis, et controversiis super jure, et modo sedendi occasione Synodi, aliisque praeeminentiis ab iisdem praetensis in functionibus ecclesiasticis, eisque ad S.R.C., delatis, infrascripta Dubia coram Emo, et Rmo D. Cardinali Sacripante Ponente concordata decidenda proposita fuerunt, nempe.

1. An, et quando Praepositus, et Canonici Collegiatae Ecclesiae S.Mariae de Platea intervenire possint Congregationibus habendis ante Synodi celebrationem in casu etc.?

2. An dictus Praepositus, interveniendo Congregationibus ante Synodalibus, praecedere possit Canonicos Cathedralis in casu etc.?

3. An, et in quo habitu possint incedere Dignitates, et Canonici dictae Collegiatae in Synodo in casu etc.?

4. An, et ubi occasione Synodi sedere debeant Canonici Cathedralis, et Canonici Collegiatae in casu etc.?

5. An Canonici Ecclesiae Cathedralis in Synodo possint uti sedibus cum brachiis, vel potius uti debeant scamnis a pavimento elevatis per unicum gradum aliquo panno coopertis, et possint etiam Canonici Collegiatae uti iisdem scamnis, absque tamen dicto gradu, bene vero aliquo panno coopertis in casu etc.?

6. An praedictis scamnis tam Canonici Cathedralis, quam Canonici Collegiatae debeant uti in Rogationibus, dum a Canonicis Cathedralis canitur Missa in Ecclesiis Collegiatae, vel Regularium; et ubi utriusque Ecclesiae Canonici sedere debeant, quando Presbyterium non est capax, seu potius sit servandum assertum solitum in casu etc.?

7. An, convenientibus simul utroque Capitulo in Missis Rogationum, Osculum Pacis, et Thurificatio danda sit Canonicis, et Dignitatibus etiam Collegiatae, seu potius sit servandum assertum solitum in casu etc.?

8. An, et a quo dictum Osculum, et Thurificatio danda sit Dignitatibus, et Canonicis Collegiatae in casu etc.?

9. An Magister caeremoniarum dictae Collegiatae gestare possit habitum violacei coloris cum ferula, et associare Canonicos eiusdem Collegiatae in Processionibus, in quibus non interveniunt Canonici Cathedralis in casu etc.?

10. An Episcopo Pontificalia celebranti in Ecclesia dictae Collegiatae praestanda sit assistentia a Canonicis Cathedralis, seu potius a Canonicis eiusdem Collegiatae in casu etc.?

11. An, et a quibus Canonicis praestanda sit assistentia Episcopo celebranti Missam privatam, vel alias privatas functiones exercenti in dicta Collegiata in casu etc.?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, matureque perpensis, ac consideratis, ad relationem praefati Emi, et Rmi D. Cardinalis Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative, arbitrio Episcopi, et amplius.*

Ad 2. *Negative*.

Ad 3. *Incedere debere in habitu chorali, et amplius*.

Ad 4. *Servetur solitum*.

Ad 5. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, ad tertiam Affirmative; et quoad colorem, arbitrio Episcopi, et amplius*.

Ad 6. *Sedere debere in scamnis, et in reliquis servetur solitum, et amplius*.

Ad 7. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, et amplius*.

Ad 8. *Dilata, et exquiratur votum Magistrorum caeremoniarum*.

Ad 9. *Negative, et amplius*.

Ad 10. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam, et amplius*.

Ad 11. *Posse praestari assistentiam a Canonicis utriusque Capituli non renuentibus*. Et ita decrevit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Julii* 1752.

5078. GADICEN.

Cum hodierno Magistro caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Gadicen. nonnulla occurrerint Dubia circa Rubricas, S.R.C. humillime supplicavit, quatenus ea benigne resolvere dignaretur. Dubia sunt sequentia.

1. Num Missae, quae cohaerenter ad Officia semel in mense, vel hebdomada recitari concessa celebrentur cum *Gloria in Excelsis*, puta de SSño Sacramento Feria V., de SSño Nomine B.M.V. in Sabbato, de Patrono Principali in alia Feria, habere debeant etiam *Credo*?

2. Cum ex Fundatorum voluntate muneris sit Capituli Ecclesiae Gadicensis quotannis, ultra Officium diei, plura Anniversaria adimplere, et de pluribus Festivitatibus SSrum Officium cum Vesperis, et Missa celebrare; quaeritur: num Vesperae dictarum Festivitatum SSrum Pontificum V. G., seu Virginum tempore Paschali: si celebrentur, Antiphonae Psalmorum, et reliquae dici debeant cum Alleluja ob citati temporis Paschalis occurrentiam? et similiter in iisdem Vesperis (utpote extra diem proprium earum Festivitatum) ultimus Psalmus esse debeat in Sanctis Pontificibus V. G., *Memento Dñe David*, et in Sanctis Martyribus Psalmus *Credidi*, num vero Psalmus *Laudate Dominum omnes Gentes etc.*?

3. Et cum citatae Missae solemnes Anniversariorum, ut supra, in majori eiusdem Cathedralis Altari, praesente toto Capitulo, celebrentur; Quaeritur: num propositae Missae solemnes celebrari possint, occurrente Festo duplici, et maxime, quia tunc casus, si celebrentur, datur, quod de eadem Festivitate in eodem die duae Missae solemnes in eodem principali Altari dicantur, V. G. una solemnis post primam (ut accidit in eadem Cathedrali in simili occurrentia), et altera eadem post tertiam.

4. Quaeritur: num in Officio eidem Cathedrali Gadicensi, et Clericis eiusdem Choro tantum adscitis concesso, nomine, et privilegio dictorum Clericorum Cathedralis gaudere possint Clerici Curati in eadem Eccle-

sia curam Animarum exercentes, qui quidem eidem Choro de rigore non sunt adscripti?

5. Quaeritur: num Lignum SSmae Crucis, et Sacrae Spinae Coronae D. N. J. C., dum ab eodem Capitulo Gadicensi in eorum Festivitatibus processionaliter portantur, ex inveterata eiusdem Ecclesiae consuetudine, sub baldachino, vulgo Hispanice pallio, et cum duorum Thuribulorum incensatione conduci, et portari debeant?

Et S. eadem C., audito pius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, censuit rescribendum. Ad. 1. *Negative*.

Ad 2. *Quando ultra Officium diei recitatur aliud de aliquo Sancto ex Fundatorum voluntate; si tempus curerrit Paschale, ritum pro tempore convenit imitari, addendo Antiphonis, Versiculis, et singulis Responsoriis Alleluja, uno excepto B. M. V. Officio parvo, in quo, dum feriali conjungitur Officio diei, nullum additur Alleluja, secundum peculiarem illius Rubricam, juxta alias resoluta. Psalmi quoque Vesperarum erunt, ut jam alias designati in Festo, scilicet, ut in primis, si primae decantentur Vesperae, ut in secundis, si secundae.*

Ad 3. *In casu, de quo agitur, duplex de eodem occurrenti solemni Festo cantabitur Missa, una videlicet pro Fundatione post Primam, altera Conventualis post Tertiam.*

Ad 4. *Servetur Decretum S.R.C. die* 30. *Augusti* 1602., *nempe, Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiae, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare Officia, quae in Choro propria dicuntur.*

Ad 5. *Lignum SSmae Crucis, et Spinas Coronae D. N. J. C., ubi adest immemorabilis consuetudo, licitum est, capite aperto, sub Baldachino processionaliter deferre easdem Reliquias, incensantibus duobus Thuriferariis*. Et ita declaravit. *Die* 26. *Augusti* 1752.

4079. NOVARIEN.

Ad componenda dissidia exorta inter Confraternitatem SSmae Trinitatis, et Societatem Augustissimi Corporis Dni Terrae Vespolatae Dioecesis Novarien. occasione Processionum SSmi Sacramenti, Emus, et Rmus D. Cardinalis Sacripantes Ponens infrascripta Dubia, S.R.C. delata, declaranda proposuit, nempe.

1. An non solum in Corporis Dni solemnitatibus, sed etiam in quibuscumque Processionibus, in quibus SSma offeratur Eucharistia jus praecedendi sit Societati SSmi Corporis Christi?

2. An eidem Societati liceat extra Ecclesiam Processionem ducere, quae intus eam fit singulis tertiis Dominicis cuiuslibet mensis, aliisque Festis principalioribus?

Et S. eadem C., praevia relatione Rmi Episcopi, ac visis juribus ex parte ejusdem Confraternitatis ejusdem Corporis Domini deductis, illiusque Procuratore scriptis, et voce informante tantum audito, inhaerendo aliis Decretis in similibus emanatis, ad relationem praefati Emi Ponentis, rescribendum censuit: *In quibuscumque Processionibus, in quibus defertur SSmum Sacra-*

mentum, praecedentiam deberi Confraternitati ejusdem SSmi Sacramenti. In reliquis, arbitrio Episcopi. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 26. Augusti* 1752.

4080. CONSTANTIEN.

Indulti recitandi Officium, et Missam S. Floriani Mart. de com., cujus Corpus cum vase Sanguinis extractum ex Coemeterio Callixti in Ecclesia Parochiali Pagi Wollenschwil in Helvetia Dioecesis Constantien. Provinciae Moguntinae colitur, non obstantibus, quod in Martyrologio Romano praedictus Sanctus non sit descriptus, quodque obstet Decretum S. R. C. anno 1691. emanatum super cultu SSrum, qui ex Cathecumbis eruuntur, pro Parocho, et Clero ejusdem Pagi *SSmus mandavit servari Decreta S. C. super cultu SSrum, qui ex Cathecumbis eruuntur, et signanter Decretum anni* 1691. (3097) *Hac die 6. Septembris* 1752.

4081. BRACHAREN.

Pro parte Ludovici Antonii de Sousa Batelcho Civitatis Bracharen. S. R. C. expositum fuit, se, cum nuper obtinuerit Majoratum institutum a nonnullis piis Ecclesiasticis cum certis oneribus, et signanter, quod primus illius Possessor erigi faceret Cappellam sub invocatione B. M. V. de Pietate in Oppido nuncupat. de Macelleiros Dioecesis Bracharen., ac in ea tam ipse, quam ejus Successores celebrari facerent omnibus diebus festivis ejusdem B. M. V. Missam unam pro suffragio dictorum Fundatorum, eodemque modo aliam Missam in quatuor solemnioribus Festivitatibus infra annum occurrentibus, comperiisse ob incuriam primi, et aliorum Successorum in dicto Majoratu neglectam fuisse Cappellae erectionem, et non impleta onera eidem adnexa: quapropter, cum eam fundari curaverit sibi superesse Dubium sequens, quod humiliter S. R. C. solvendum proposuit videlicet = An onus a Fundatoribus dicti Majoratus adjectum celebrari faciendi in praefata Cappella Missam unam omnibus diebus festivis Deiparae Virginis, intelligendum sit pro diebus Festivis tantum de praecepto, an etiam pro aliis simplicibus, in quibus commemoratio in honorem Deiparae Virginis intra annum fieri consuevit?. Quo relato per Emum, et Rmum D. Cardinalem Cavalchinum Ponentem.

S. eadem C. respondit = *Missas esse celebrandas omnibus diebus, in quibus fit Officium Bmae Virginis sub ritu dup. maj., et altioris ritus tam in Ecclesia Universali, quam in Dioecesi. Die 9. Decembris* 1752.

4082. COMEN.

„ Emi, e Rmi Signori = Gio: Battista Pellegrini Vescovo di Epifania
„ in parti d'Infedeli, e Canonico della Chiesa Cattedrale di Como espo-
„ ne divotamente all'EE. VV., che per acquietare li Canonici della mede-
„ sima Cattedrale, quali credevano non doversi alli Canonici Vescovi la
„ precedenza tanto in Coro, quanto nell'altre Funzioni, e perciò neppu-
„ re all'Oratore, supplicò l'EE. VV. per una benigna dichiarazione; e
„ sotto li 22. Aprile 1752. si degnarono di rescrivere = *Dentur Decreta* =
„ in vigore di che riportò il Decreto del tenore seguente.

Compostellana etc. = Omittimus tenorem Decreti, quod habetur suo apte loco sub die 15. Julii 1617. (299.)

,, A questo Decreto si acquietarono li Canonici semplici, ma non li ,, Canonici, che sono Dignità, rilevando forse, che non sono essi lette- ,, ralmente compresi nel detto Decreto, massime, perchè nelle Chiese Pa- ,, triarcali di Roma, la di cui osservanza nel medesimo Decreto si allega, ,, non vi sono Dignità, come nella Cattedrale di Como; perciò l'Oratore ,, supplica umilmente l'EE. VV. a volersi degnare di dichiarare, se tra i ,, Canonici, e nel predetto Decreto di Compostella s'intendano in questo ,, caso compresi anche li Canonici, che sono Dignità della medesima Chie- ,, sa, talchè debba il Vescovo, e per conseguenza l'Oratore precedere tan- ,, to in Coro, quanto in tutte le altre funzioni a tutti li Canonici, e Di- ,, gnità dell'istessa Chiesa? Che della grazia etc.

Facta per me Secretarium relatione de suprascripto supplici libello Rmi Joannis Baptistae Pellegrini Episcopi Epiphaniae, et Canonici Ecclesiae Cathedralis Comen. S. eadem C. die 10. Februarii 1753. rescripsit: *Detur Decretum in Leodien.* tenoris sequentis.

Leodien etc. = Omittimus tenorem Decreti, quod legitur suo apte loco sub die 1. Decembris 1657. num. 1712.

4083. CASALEN.

Inter Capitulum Ecclesiae Cathedralis Casalen. ex una, et Praepositum, et Canonicos Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris de Platea ejusdem civitatis partibus ex altera, exortis nonnullis Dubiis, et controversiis super jure, et modo sedendi occasione Synodi, aliisque praeeminentiis ab iisdem praetensis in functionibus ecclesiasticis, eisque ad S. R. C. delatis, infrascripta Dubia coram Emo, et Rmo D. Cardinali Sacripante Ponente concordata decidenda proposita fuerunt, nempe etc.

Omittimus tenorem Dubiorum, et Resolutionum, quia legi possunt supra sub die 15. Julii 1752.

Proposita deinde in C. S. R. per eumdem Emum, et Rmum D. Cardinalem Sacripante Ponentem controversia super declaratione sexti Dubii, nempe: cuinam incumbat onus, et cura praeparandi hujusmodi scamna, quoties Capitulum Cathedralis occasione functionum collegialiter accedit ad Collegiatam? obtentaque nova audientia.

S. eadem C., unica tantum parte scripto, et voce informante audita, rescribendum censuit: *Onus praeparandi scamna spectare ad Capitulum Collegiatae, quoties Processio ad ipsius Ecclesiam ducatur*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die 26. Augusti* 1752.

Deducta pariter in eadem S. R. C. sub die 14. Aprilis 1753. novissima controversia, quae Ecclesiae Cathedralis Casalen. Capitulum, ejusdemque Canonicos summopere exagitat circa resolutionem octavi Dubii jam supra propositi,, An, scilicet, et a quo dictum osculum, et thurificatio danda ,, sit Dignitatibus, et Canonicis Collegiatae in casu etc.? ,, cui eadem S.C., rescripserat = *Dilata, et exquiratur votum Magistrorum caeremoniarum* =,

Quo requisito, auditisque iterum partium Procuratoribus scripto, et voce informantibus.

S. eadem C. ad relationem ejusdem Emi, et Rmi D. Cardinalis Sacripante, ut supra, Ponentis, rescribendum censuit = *Thurificationem faciendam esse per Acolythum unico ductu cum inclinatione capitis antea, et post singulis Canonicis, et Pacis osculum dandum esse per eumdem Ministrum. In reliquis ad eumdem Emum Ponentem cum facultatibus capiendi provisiones sibi benevisas.* Et ita decrevit, et servari mandavit. *Die* 14. *Aprilis* 1753.

4084. CONIMBRICEN. DUBIORUM.

Cum Rmus Episcopus Conimbricen. S. R. C., exposuerit, plures in sua Cathedrali vigere usus contra praescriptum Sacrarum Rubricarum, et Caeremonialis Episcoporum, pro quorum observantia Capitulum, Dignitates, et Canonici dictae Cathedralis antiquam consuetudinem adducebant; cumque ad S. C. suam relationem transmiserit Emus, et Rmus Card. Tamburinus S. R. C. Praefectus, et Causae Ponens, infrascripta Dubia, coram se inter partes concordata, decidenda proposuit.

1. An, attentis circumstantiis, toleranda sit asserta consuetudo cantandi unicam Missam, aliamque legendi iis diebus, quibus a Rubrica duae praecipiuntur Missae?

2. An in Missa Conventuali cani semper debeant Gloria, Credo, totum Graduale, Offertorium, Praefatio, et Pater Noster?

3. An servari possit asserta antiqua consuetudo, qua diebus non festivis in Missa Conventuali non assistit Magister caeremoniarum, nec adhibetur incensum?

4. An servari possit asserta consuetudo pulsandi Organum tempore Quadragesimae, Adventus, et Vigiliarum in Missis votivis B. M. V., quae singulis Sabbatis solemniter celebrantur, et in ejusdem Litaniis, quae post Vesperas cantantur?

5. An Canonici possint, ac teneantur in Feria IV. Cinerum transferre Processionem quamdam, et aliquas commemorationes pro defunctis, ad quas ex legato tenentur, ut Expositionem quadraginta horarum facere possint; seu potius, an melius sit dictam Expositionem in aliam diem transferre, ut praedictis functionibus mentem Testatoris adimpleant?

6. An in elevatione Ssmi Sacramenti in Missis solemnibus cani possit *Tantum ergo etc.*, vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria?

7. An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missae, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit?

8. An Hebdomadarius in Choro intonare possit initium Horae sequentis, priusquam Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit?

9. Utrum servari possit asserta consuetudo, ut Feria IV. Cinerum Canonicus turnarius, impedito, vel nolente Episcopo, Cinerum benedictionem peragat, et Missam cantet?

10. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus pal-

marum, et candelarum (functionem non peragente Episcopo) Crucem portet Cappellanus per turnum paratus?

11. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus Litaniarum earumdem Cantores incedant pluvialibus induti?

12. An in Ecclesiis, quas Processio Litaniarum per vias ingreditur, fieri possint commemorationes pro defunctis in adimplementum legatorum a personis in eisdem Ecclesiis sepultis relictorum?

13. An servari possit asserta consuetudo, ut duo medii Canonici, seu Tertianarii tunicella, seu dalmatica induti in Processione Corporis Christi thuribula deferant, et SSmum Sacramentum incensent?

14. Utrum asserta consuetudo, ut quatuor Canonici, vel medii Canonici, pluvialibus induti, quaedam argentea Insignia sine palmis, et candelis prae manibus gestent in Processionibus palmarum, et candelarum, licite retineri possit?

Et S. eadem C., re mature discussa, perpensisque tam Rmi Episcopi, quam Capituli, et Canonicorum juribus per eorum Procuratores voce, et scripto expositis, rescribendum censuit. Ad 1. *Negative, reservato jure probandi antiquam consuetudinem, et amplius.*

Ad 2. *Affirmative, juxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum, et amplius.*

Ad 3. *Affirmative quoad Magistrum caeremoniarum; Negative quoad thurificationem, et amplius.*

Ad 4. *Affirmative, et amplius.*

Ad 5. *Negative quoad primam partem, et quoad secundam, nempe Expositionem SSmi Sacramenti esse transferendam in aliam diem commodiorem, arbitrio Episcopi, et amplius.*

Ad 6. *Affirmative, et amplius.*

Ad 7. *Negative, et amplius.*

Ad 8. *Negative, et amplius.*

Ad 9. *Affirmative, et amplius.*

Ad 10. *Affirmative, et amplius.*

Ad 11. *Affirmative, et amplius.*

Ad 12. *Affirmative.*

Ad 13. *Affirmative, et amplius.*

Ad 14. *Affirmative, et amplius.* Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 14. *Aprilis* 1753.

4085. DECRETUM GENERALE.

Eminentissimi Patres S. R. C. praepositi decreverunt, *quod in posterum preces recitandi Officia votiva semel in hebdomada, vel semel in mense, amplius non recipiantur. Die* 7. *Julii* 1753.

4086. CASALEN. DUBIORUM.

Ortis nonnullis controversiis inter Rmum Episcopum Casalen, ejusque Promotorem Fiscalem,, et Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis circa observantiam Caeremonialis, et Ritualis Romani, iisque ad S.R.C. judi-

cium delatis,concordata fuerunt coram Emo, et Rmo Dño Cardinali Tamburino ejusdem S. C. Praefecto, et Ponente, sequentia Dubia, videlicet.

1. An, et quando prima Dignitas, seu dignior ex Canonicis teneatur sustinere librum Episcopo cantanti in Missis, et Vesperis pontificalibus, seu potius sit servanda asserta consuetudo in casu etc?

2. An eadem prima Dignitas, seu dignior ex Canonicis teneatur assistentiam praestare Episcopo in omnibus pontificalibus functionibus in casu?

3. An Diacono Evangelium cantante, Subdiaconus teneatur sustinere librum Evangeliorum sive ante pectus, sive in legili existentem, seu potius servanda sit asserta consuetudo vigens in Ecclesia Casalen. in casu etc?

4. An Episcopus Missam pontificalem celebraturus, teneatur intonare Tertiam cantandam, et in fine cantare Orationem in casu etc?

6. An dum recitatur Tertia, et Episcopus se praeparat, ac sacra paramenta sumit ad Missam pontificalem, Capitulum teneatur stare, capite detecto, et idem servandum sit in Vesperis pontificalibus, seu potius utroque casu sit servanda asserta consuetudo in casu etc?

6. An Canonici teneantur facere circulum Episcopo assumenti, vel dimittenti paramenta in Sacristia, et ubi hoc casu collocanda sit sedes Episcopalis in casu etc?

7. An, et qua hora facienda sit lotio pedum per Episcopum, eique functioni assistere teneantur omnes Canonici capitulariter, vel potius in minori numero, et in quo casu etc?

8. An Feria V. majoris hebdomadae teneantur Canonici post Vesperas ad denudationem Altarium procedere, seu potius fieri debeat denudatio per Episcopum celebrantem, eique assistentes in casu etc?

9. An sit servanda asserta consuetudo adhibendi in Sabbato Sancto parvum cereum pro Praeconio ad majorem commoditatem Celebrantis, aliumque majorem alias benedictum accendendi in Dominica Resurrectionis,ac toto tempore Paschali; seu potius pro omnibus his functionibus adhibendus sit unus, et idem cereus in toto, vel saltem in parte in singulis annis renovandus, et benedicendus in casu?

10. An Pectorale, seu Formale sit ornamentum adhibendum privative ab Episcopo, seu potius illo uti possint prima, aliaeque Dignitates, et Canonici solemniter celebrantes, juxta assertam consuetudinem dictae Ecclesiae in casu etc?

11. An Canonici, et Dignitates sacrum Officium peragentes praesertim cum pluviali, vel Antiphonam intonantes, uti possint pileolo, juxta assertam consuetudinem, seu potius teneantur haec peragere, capite prorsus detecto, in casu etc?

12, An liceat Clericis Seminarii uti pileolo, quando sedent in Choro praesentibus Canonicis, tam absente; quam praesente Episcopo, seu potius sit servanda asserta consuetudo in casu etc?

13. An Praepositus, seu prima Dignitas teneatur diebus Dominicis dum cantat Missam loco Episcopi,aspergere Chorum, prout faciunt caeteri Canonici, seu potius sit servanda asserta consuetudo in casu etc?

14. An Capitulo, et Canonicis in Presbyterio assistentibus Episcopo Missam, aliasque pontificales functiones celebranti, liceat habere sedilia in Presbyterio collocata cum parvulis scamnis aliquo panno coopertis, et super iis genuflectant, juxta assertam consuetudinem hactenus servatam, seu potius genuflectere teneantur super plano Presbyterii tapete cooperto in casu etc?

15. An dum Episcopus in Missa pontificali, signanter dum recitat psalmum: *Judica me Deus* etc., et in aliis functionibus stat, vel permanet genuflexus, ipsius Caudatarius debeat dimittere caudam cappae, aut vestis Episcopalis, ut Assistens, caeterique Canonici transire valeant ante ipsum Caudatarium in casu etc?

16. An, in casu discrepantiae quoad intelligentiam, et observantiam Caeremonialis Episcoporum, et quoad alias functiones, liceat Episcopo procedere, juxta resolutionem Congregationis particularis in casu etc?

17. An omnes Canonici in Choro praesentes Feria VI. in Parasceve, teneantur accedere ad adorandam Crucem ante gradus Altaris majoris in casu etc?

18. An etiam ad id teneantur Canonici mala corporis valetudine laborantes in casu etc?

19. An, et qua poena puniendi sint non accedentes ad Crucis adorationem, in casu etc?

20. An sustineatur edictum Episcopi mandans Canonicis cantum Completorii diebus in eo praescriptis, seu potius liceat recitare modo chorali, vel cani facere a Musicis Cappellae capitularis, in casu etc?

21. An omnes Horae Canonicae sint cantandae singulis Dominicis, Festis, aliisque diebus, quibus Officium sub ritu duplici celebratur in casu etc?

Et S. eadem C., utraque parte scripto, et voce informante audita, visisque juribus hinc inde deductis, ad relationem praefati Rmi Ponentis, rescribendum censuit. Ad 1. *Affirmative ad primam partem ad formam Caeremonialis Episcoporum, Negative ad secundam partem.*

Ad 2. *Affirmative.*

Ad 3. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Servetur Caeremoniale Episcoporum.*

Ad 6. *Servetur Caeremoniale, et Episcopi sedes ita collocetur, ut ipse respiciat Canonicos.*

Ad 7. *Lotio pedum facienda est hora congrua determinanda ab Episcopo, et in loco solito, assistentibus omnibus Canonicis.*

Ad 8. *Servetur solitum.*

Ad 9. *Servetur solitum.*

Ad 10. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Ad 11. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.*

Ad 12. *Negative ad primam partem, et Affirmative ad secundam.*

Ad 13. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 14. *Servetur solitum.*

Ad 15. *Affirmative*.

Ad 16. *Negative, et recurrant in casibus particularibus ad S. C.*

Ad 17. *Affirmative*.

Ad 18. *Negative, praevia licentia Episcopi*.

Ad 19. *Punctandi erunt tamquam absentes a Choro*.

Ad 20. *Negative ad primam partem, exceptis solemnioribus Festis in Quadragesima occurrentibus; ad secundum Affirmative, et ad tertiam Negative*,

Ad 21. *Servetur solitum, et amplius in omnibus*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 15. *Septembris* 1753.

4087. BARCHINONEN.

Cum hodiernus Parochus B. Mariae nuncupat. de Pinu Civitatis Barchinonen. exposuerit, quod ipse die Purificationis B. M. V. renuit descendere a suppedaneo, ut acciperet candelam a digniore Cleri, ad quod, ut asserebant Presbyteri Beneficiati residentes in eadem Parochiali, ascendere debebat dignior candelam portaturus, et humiliter supplicaverit, ut S. R. C. declarare dignaretur: an juxta Rituale bene se gesserit?

S. eadem C., ad relationem mei Secretarii, rescripsit: *Servetur Caeremoniale lib. 2. cap. 17., nempe ut dignior de Clero accedat ad Celebrantem stantem in suppedaneo, eique candelam porrigat*. Et ita declaravit, ac servari mandavit. *Die* 22. *Decembris* 1753.

4088. WILNEN.

Porrectis per Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Cathedralis Wilnen. in Lithuania S. R. C. humillimis precibus pro declaratione sequentium Dubiorum, nempe.

1. Num Anniversaria, quae ex diversorum testatorum voluntate sunt a Capitulo praesertim circa singula quatuor anni tempora in cantu celebranda, absolvi possint in Festo duplici majori per annum, non tamen de praecepto, etiamsi dies ille non sit vere dies anniversarius defuncti?

2. Translato Anniversario a proprio die obitus testatoris ob occurens impedimentum in alium diem non impeditum, si de Requiem cantanda sit Missa, quaeritur: quaenam cantari debeat, an, ut in Missis quotidianis pro defuntis?

3. An, obitus die impedito, possit pro defunctorum Anniversario cantari Missa de occurenti Festo, vel Feria privilegiata per applicationem?

4. Specialiter idem quaeritur de Anniversariis, quae occurrunt absolvenda circa quatuor Tempora, Paschalia, et infra octavam Pentecostes, et non possunt omnia absolvi, aut finiri ante Octavam SSmi Corporis Christi: Haec, inquam, quomodo, et qualiter absolvenda?

5. Cum multae fundatae sint Missae votivae quotidianae in cantu, nempe in Cappella SSmi Nominis Mariae Missa votiva de Assumptione B.M.V., in Cappella Immaculatae Conceptionis Missa votiva de Immacolata Conceptione, in Cappella Assumptionis Missa votiva de B. M., prout de tempore; et certis diebus de S. Casimiro Confessore in Cappella, ubi requiescit ejus corpus. Quaeritur: an, et quae Missae celebrandae?

6. Quando per Rubricas Missalis, et per Decreta S.C., videlicet, per Octavas Nativitatis, Epiphaniae, per Feriam IV. Cinerum, a Dominica Palmarum usque post Octavam Paschae: per octavas Pentecostes, et SSmi Corporis Christi prohibentur Missae votivae privatae, an etiam hae votivae in cantu prohibeantur?

7. Si prohibentur, an debeant pro votivis substitui Missae de Festo? an hae in cantu?

8. An lectis loco cantatarum satisfieri possit fundationi?

9. Num saltem in primis diebus solemnibus possint substitui loco votivarum cantatae de Festo; reliquis vero diebus infra praedictas Octavas, et aliis diebus suprameinoratis cantari votivae?

10. Quando juxta Rubricas Missalis in feriis Quadragesimae, quatuor Temporum, Rogationum, ac Vigiliarum praescribuntur duae Missae cantatae in Cathedralibus, et Collegiatis, una de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam: An in dicta Cathedrali Wilnen. propter insufficientiam temporis. ratione multarum votivarum cantandarum ex fundatione, possit una ex his duabus substitui lecta pro cantata, et quae potius, an de Festo post Tertiam, an post Nonam de Feria?

11. Denique, an securius una ex dictis votivis legi possit, ut ambae Conventuales de Sancto, et de Feria per Rubricas praescriptae decantentur?

12. An in Dominicis infra Octavam sive privilegiatam, sive non, praeter Missam conventualem, quae cantatur per Hebdomadarium ex Ven. Capitulo de Dominica, debeat etiam alia Missa cantari de die infra octavam? Item in Dominicis per annum, in quibus fit de aliquo Festo cum commemoratione Dominicae? An, item praeter Missam conventualem de Festo celebrandam per Hebdomadarium ex Ven. Capitulo debeat etiam alia Missa cantari de Dominica per Vicarios ejusdem Cathedralis?

13. Quando absolvitur Missa lecta coram SS. Sacramento in monstrantia exposito, attamen velato; item coram SSmo Sacramento in Pyxide exposito, an debeant omnes genuflexiones observari in tali Missa, quae alias observantur coram SSmo Sacramento publice exposito, et non velato conformiter ad Rubricam Missalis Feriae V. in Coena Dni, vel non?

14. Quando Episcopus pro publicis supplicationibus injungit in sua Dioecesi recitari publice in Templis Litanias de SSmo nomine Jesu, utrum Parochi, scientes easdem Litanias esse prohibitas, debeant satisfacere huic edicto?

15. Est consuetudo in plurimis Poloniae, et Lithuaniae Ecclesiis decantandi Officium parvum de Immaculata Conceptione B. M. V., sunt insuper in aliquibus Ecclesiis relicta pia legata ad hunc effectum, ut idem Officium parvum de Immaculata Conceptione B. M. V. certis diebus publice decantetur; in tali casu Rectores Ecclesiarum, quid facere debeant, cum idem Officium sit prohibitum?

S. eadem C., habita prius Rmi Episcopi Informatione, auditoque super praefatis Dubiis voto unius ex caeremoniarum Apostolicarum Magistris, ad relationem Emi, et Rmi D. Cardinalis Tanari Ponentis, rescribendum censuit.

Ad 1. *Affirmative*.

Ad 2. *In Anniversariis defunctorum ob aliquod impedimentum a proprio die translatis, quaevis dicatur Missa, sive ut in Anniversario, sive ut in quotidianis, verba in Oratione*, cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus etc. *non sunt varianda*.

Ad 3. *Negative*.

Ad 4. *Servetur Decretum datum die* 4. *Maii* 1686. *in una Canonicorum Regularium Lateranensium* (2961).

Ad 5. *Pro Missis ex fundatione, aut ex alia quacumque causa in cantu celebrandis, sive de Assumptione, sive de Conceptione B. M. V. extra ejus festos dies, vel Octavas earumdem Solemnitatum, assumi nequit propria Festivitatis, sed substituenda est una ex quinque votivis Missis B. M. V., quae habentur in Missali Romano juxta congruentiam temporis: Pro Missa votiva S. Casimiri, si habeatur propria, mutanda sunt verba natalitia, vel Festivitas in aliis congruentibus votivae, scilicet Commemoratio, aut Memoria*.

Ad 6. *Affirmative*.

Ad 7. *Affirmative*.

Ad 8. *Affirmative, ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda, et approbanda*.

Ad 9. *Negative*.

Ad 10. *Non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis*.

Ad 11. *Quoad Missam votivam lectam cantatae substituendam jam provisum sub num.* 8.

Ad 12. *Negative, scilicet in Dominicis infra Octavas, vel aliis a Festo duplici impeditis unicam tantummodo cantandam esse Missam. In Dominicis quidem infra Octavas, de Dominica cum commemoratione Octavae, in aliis vero Dominicis non privilegiatis, et in quibus fit de occurrenti Festo duplici Missa de Festo cum commemoratione Dominicae, ejusque Evangelio in fine*.

Ad 13. *Affirmative*.

Ad 14. *et* 15. *Dilata, et exhibeantur Litaniae, et Officium*. Et ita declaravit, *Die* 22. *Decembris* 1753.

Ita reperitur in Regestis Decretorum existen. in Secretaria Congreg. Sac. Rit. In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli.

Pro R.P.D. Julio de Carpineo S. R. C. Secr.
Aloysius Gardellini S. R. C. Assessor.

EXPLICIT VOLUMEN IV.